DISPUTATIONES CHYMICO-MEDICÆ:

Pleræq;

SUB PRÆSIDIO

JOH. HARTMANNI, MED. D. ET CHYMIATRIÆ IN ACADEMIA MARPURGENSI PROFESSORIS Publici,

AB

ALIQUOT MEDICINÆ CANDIDATIS ET Studiosis, ibidem censura publicæ exposita, & hac SECUNDA EDITIONE *auctiores edita.*

ACCESSIT PHILOSOPHUS, SIVE NATURÆ-CONSULTUS MEDICUS, INITIO Professionis Chymiatricæ ab ipso propositus.

MARPURGI,

Typis Pauli Egenolphi, Typogr. Acad.

CIↃ IↃ CXIV.

JOH. HARTMANNUS,
CHYMIATRIÆ,
hoc est,
Hippocraticæ & Hermeticæ
MEDICINÆ
Cupidissimis Studiosis,
Suis, tum hactenus, tum olim futuris Discipulis suavissimis, & amicis exoptatissimis S. D.

ANNUS jam agitur quintus, cùm me antea annos septendecim totos Mathematicâ Professione defunctum, CHYMIATRIÆ, hoc est, Hippocraticæ & Hermeticę Medicinæ, in Academia sua interpretem publicum esse voluit, Illustrissimus Princeps, ac Dn. Dn. MAURITIUS HASSIÆ LANDGRAVIUS, Nutricius & Mecœnas noster clementissimus. In quo munere, quâ fide & integritate mihi versandum, quâ deniq; alacritate pergendum esset, statim ab initio PHILOSOPHUS meus, sive NATURÆ-CONSULTUS MEDICUS,

ac paulò post DISPUTATIONES aliquot CHYMICO-MEDICÆ, pleræq; sub meo Præsidio habitæ, luculentũ, ut opinor, vadimonium promissæ sponsionis Chymiatricæ præstiterunt. Nec verò præstiterunt hactenus, sed & deinceps, quia distractis exemplis prioribus denuò prodeunt, & quidem hæ duplo auctiores, fidem facient, quàm utiles & necessarias faciamus has ipsas exercitationes Scholasticas; quæ de præceptis artis, tanquam de aliquota saltẽ parte è facultate habituq; Medicinæ, problematicè, sed modestè instituuntur: donec suo tempore, Exemplo & Opere ipso, Praxin Chymiatricã accuratâ benè medendi methodo comprehensam, publicè demonstremus. Iste autem labor vester fuit, *Discipuli suavissimi*, qui descriptis nominibus sub tutelâ meâ in hâc Palæstrâ Chymico-Medica desudare voluistis. Idem porrò vester erit, qui deinceps simili Stadiodromo uti, inq; MAURITIANA ACADEMIA tam nobile curriculum decurrere desideratis. Ad vos itaq;, ubicunq; etiam estis, qui superestis, ut spero, omnes, hic labor, à vobis

bis actus & subactus, meritò redit; cæteris, ni fallor, instar alicujus hermathenæ futurus, ne tam nobile ac celebratũ iter prætereundo declinare, inq; præclarissimo τῶν διασκέψεων Medico-Chymicarum Xysto haud exerceri laudabile seu gloriosum putent. Ego, quod semel in me recepi, in hac statione mea, licet propemodũ ἀδιεξόδῳ, fideliter propugnabo pro his Musis, nunquam me abdicaturus hisce artibus, propter quas improborum scurriles obtrectationes incurri: tantum abest ut eorũ odium virtute relictâ aliquando placare gestiam. Nimirum in hoc exulcerato seculo aliter homines quiescere nequeunt: atq; is pastus est eorũ, qui ad nominis sui commendationem, perversa libidine sugillandi alios, ἀπηρυθριακότως grassantur: videlicet se doctos credi posse arbitrantur, si alios indoctos probare queant: quasi verò doctos eruditione superare longè inferior gloria sit, quàm de inscitia triumphare. Quantamcunq; igitur quidam Arcanorum Chymicorum magnus eclogarius, χρυσοχυτεολήραιον illud à VILIBUS, virulentiam nuper admodum in me evomuit, eam

quidem tanti non æstimo, quanti forsan ille à me cupit. Nec enim τῶν λαχανοπωλίδων convicia unquam didici. Hoc, bonâ mihi attestante conscientiâ, & multorum, qui ex me audiverunt, suffragiis astipulantibus, asseverare possum, me ab eodem conscriptas de Alchymia præceptiones nunquam non dilaudasse, ac expetentibus discipulis meis egregiè commendasse: de cæteris verò, quæ de Mercurio & Lapide Philosophorũ stulto judicio evulgavit, cum amicis passim id requirentibus, tum vivo sermone, tum reciproco epistolarum officio privatim contulisse: sæpissimè verò supinam ἀμέλειαν in elaboratione Chymica propria, quam solam ὅσης Ὁμήρου λόγον facio, detestatum fuisse: Nec enim ulla pars tugurii avilibani frigidior ἐργαστηρίῳ, ex quo nunquam fumus egreditur. *Atqui quantum experientia in universa Alchymia procedit, tantum ratio de ejus certitudine & operandi modo meritò statuere debet.* Itaq; ut Alchemiæ legitimam comprehensionẽ ab ipso factam semper tam publicè, quàm privatim verbis honorificis deprædicavi, ita reliqua sophismata pro liber-

libertate ea, quam amicæ conversationes & formæ epistolares saltem ἐυλαβῶς, neutiquam παρα-φρενικῶς inter amicos postulant, coargui. Sed quodnám operæ pretium erat, propterea tam frivolè, & quidem publico scripto exagitari? quodnám grande piaculũ erat tantoperè traduci? Deum testor, nihil alienum magis à ratione vidi. Archytæ videlicet illud crepitaculum hoc potius in animo suo, ad calumniandum nato, habuisse videtur, ut nempe datâ operâ occasioné captaret, quâ in nomen meum invaderet, me famelicis dentibus suis tanquã ἕλωρ καὶ κῦρμα prehenderet, ac quantum in se esset conculcaret. Nequam homo es, Epidice, dicebat Comicus, cui libido est malè loqui. At maledictis si quis certat, audiat malè: Quam quis igitur non pręstat, ne exigat modestiã. Quamobrem ut istum succum loliginis, suo tempore, veritatis spongiâ abstergam, ipsa honestas nec modum nec silentiũ imperatura est. Nunc quod restat, quicunq; estis, Tyrones Medici, qui vultis auxilium medicum adversus Sycophantæ morsum doceri, adeste & mecum ita-

sta-

ſtatuite: Medici ad hominis morſum oletum humanum præſcribunt: Ex eo igitur Emplaſtrum quadrantale calumniatori meo apponite; ne, niſi ἀνεπίδηκτος in poſterum inde redditus fuerit, nō habeat, quod perpetuò admordeat. Vos verò, Diſcipuli ac amici ſuauiſſimi, benè feliciterq; valete, & me, quod facitis, amate. Dabam ex Muſeo, Cal. Septembris, ANNO M D C XIII.

JOH. HARTMANNI,

M. D. in Academia MARPURGENSI CHYMIATRIÆ designati Professoris

PHILOSOPHUS;

sive

NATURÆ CONSULTUS MEDICUS:

ORATIONE PUBLICA AB IPSO PROPOSITUS, IV. Calend Aprilis, Anno MDCIX.

CUM me nullius *Eloquentiæ opinione inductum ab hac dicendi provincia meritò alienum esse oporteret,* Illustrissimi ac Generosissimi Principes, Rector Magnificentissime, Venerandi Patres Academici, tuq; Generosorum, Nobilium & Ingenuorum Juvenum corona florentissima, *nescio tamen quo pacto fiat, ut cujusvis Eloquentissimi Oratoris vim, ut cujusvis disertissimi Rhetoris vocem ad unius horulæ spacium linguæ meæ concedi postulem: Postulem verò? imò si fieri posset, omnes omnium Oratorum vires, gravissimorum optimorumq; verborum flumine refertas, ad exprimendum ea quæ dicturus sum, hiscè faucibus meis tribui unicè allaborem. De voluntate enim* MAGNI ILLIUS MAURITII, *seculi hujus Phœnicis, Nutricii & Mecœnatis nostri clementissimi, mihi non ita pridem in numerum ordinemq; Professorum Medicorum cooptato, illud curri-*

 culum

culum apertum esse visum est, in quo labor industriaq́; mea antea quidem exerceri, nunc verò excurrere, inq́; universæ Medicinæ saluberrimum incrementum (quod faustum, felix, & fortunatum sit) *liberius decurrere didicisset. Tanto igitur Tanti* PRINCIPIS *judicio æquanimiter morem gesturus, ubi, priusquam operarum mearum publicum initium faciam, ex laudabili, nec procul ab incunabulis hujus Academiæ prognato instituto, verba mihi facienda sunt, non possum dissimulare, genium meum intimis præcordiorum latebris quasi exilientem vehementer gestire, magnum aliquid & admirabile, non modò vestris, qui hæc auditis, auribus insinuare, sed omnibus omnium in toto terrarum orbe benè mederi cupientium animis instillare. Ad quod sane dextrè obeundum, tantum abest ut Eloquentissimi cujusvis Oratoris linguâ mihi sufficere existimem, ut multò magis universas ipsius Eloquentiæ copias subsidiarias implorandas arbitrer, vix ac ne vix quidem scopum Orationis hujus assecuturus, nisi paululum in vestibulo subsistens voce plusquàm Stentorea exclamem:* CHYMIATRIAM, *seu* mysticam illam Philosophorum benè medendi scientiam, *dignam fuisse, quæ honoratum in Academiis locum; quæ publicam cathedram; quæ pulpita Medica jam diu antea jure suo obtinuisset, conservasset, & ad posteritatem propagasset.*

Enimverò, AUDITORES, *quantumvis illa sese à calumniis improbisq́; vesanorum hominū judiciis vindicare vix potuerit* (quem sanè omnium seculorum depravatum morem meritò deploramus, ut inertissimi, hoc est, ii tantùm qui imperitiæ morbum malitiâ locupletarunt, de artibus judicent) *tamen* CHYMIAM *in sacratissimæ Medicinæ complexum venire, inq́; usu præclaro eminere, quotusquisq́; non videt, non intelligit, cum, quotquot hodiè ubivis gentium in aulis Principum, inq́; urbibus præclaris Medicinā faciunt, haud obscure glorientur, se ad professionem felicitatemq́; suam non contemnendas accessiones ex* CHYMIATRIA *petere? Quis tam stupidus, vel etiam tam vecors fuerit, qui ista negare ausit? At ego quidem*

dem non negavero, Medicinam caruisse olim & carere posse apparatu Chymico: sunt enim artes unius & ejusdem essentiæ non participes: sed melioris usus majorisq́; emolumenti gratiâ, Medicinam sine Chymia perfectam absolutamq́; esse, id est, quod pernego & pernegabo dum vixero.

Antiquissimi Medici, Græci, Ægyptii, Arabes, & Latini, necessitate quadam ducti multas Chymiæ particulas à se agnitas & approbatas coluerunt, artisq́; encomio exornarunt. Recentiores vero ubi universam Chymiam scientiâ, prudentiâ, & experientiâ, perennibus nempe ad veritatem explorandam instrumentis, constitutam amplificatamq́;, longè lateq́; majora ac illustriora incrementa capere animadverterent, eam verecundè admodum orare non erubuerunt, licet perfectione suâ sibi sufficeret, ac cæteris propter finem, quem habet valde exquisitum ac certum, præstaret, haud gravatim tamen juri suo renunciaret, & quantum ipsa dignitatis splendoris utilitatisq́; possideret, id totum uni Medicinæ inferret. Quæ sanè à prudentibus cupidissimæ mentis exploratoribus frugaliter profecta vota mirificè delibutam Chymiam exorarunt: factumq́; est, ut commissis utriusq́; partis non adversantibus copiis in suavissimos amplexus itum sit, ipsæq́; inter se fideli admodum, saluberrimoq́; vinculo coaluerint, nullo dissidio unquam dissilientes, quantumvis illa quandoq́; in contemplationum suarum castra concedat, protinus tamen ad individuum pristinumq́; complexum exoptatissimæ societatis regrediatur.

Quid est igitur, quid est, inquam, aut quid fuit hactenus objectum impedimenti, quamobrem hanc desideratissimam conjunctionem ad unum perfectionis scopum tangendum affectam & copulatam, in splendidissimo honorum culmine collocatam non conspiciamus? quid est quod honori ipsius non velificemur? Nihil mehercule admodum fuit, quod vel dignitatem vel utilitatem hujus desideratissimi instituti labefactare, aut penitus tollere potuisset. Nam ut Medicinæ juvandæ tam accommodata & familiaris sit Chymia, contumeliosum fuerit existimare

stimare eam plane servilem & abjectam esse, quæ nihil dominii, nihil splendoris proprii, nihil magnificentiæ possideat, ad arduum existimationis alicujus collem evehenda. Et heus tu qui ad tonstrinam vel ad abjectissima quarumcunq; operarum subsellia Chymiam deturbas, propterea quia minus liberalis, sed sordida servilisq; fuerit, cogita num simili turpitudinis notâ, reliquas artes & scientias liberaveris, cum omnes sibi mutuò serviant, interq; se amicè conspirent? Si itaq; servitium & ministerium contemptas artes redderet, quænam ex illis antiqua dignitate frui? quænam ad fastigium celebritatis alicujus ascendere posset? Fuit olim Chymia statim, posteaquam in lucem producta est, in Regum & Principum possessionibus, fuit ab iis sincerè exculta. Colchidis Reges avito patrimonio Chymiam sibi vendicarunt. Græci verò vel invidiâ, ne dicam avaritiâ, vel incredibili disciplinarum addiscendarum cupiditate inflammati, Duce Iasone, aureum illud vellus, unà cum ipsius conservatrice Medeâ, hostili manu, sed infeliciori successu quàm conatu surripuerunt: nec ipsa Græcia præclarissimorum ingeniorum felicitate, pari alacritate ad ardua illa contendentium destituta fuit, ne vel naturam rerum diligentiùs pervestigandam negligerent, vel quia sapientiam Colchicam ab Ægyptiis & Orientis gentibus primùm emanasse intelligerent, ad eos, parē fortunæ committentes aleam non emigrarent. Et quis ignorat Græciæ Magistros, Pythagoram, Platonem, Democritum, Anaxagoram, innumerabilesq; alios, magnis sumptibus, majore periculo, maximo & ferè incredibili animorum fervore, per maria & terras, veriùs exiliis quàm peregrinationibus ad illa loca penetrasse? nimirum ut varios variarum disciplinarum, cumprimis vero mysticæ hujus nostræ sapientiæ autores audirent.

Ab omni itaq; antiquitate viguit Chymia: Eminentissimi igitur honoris est, sapientum ingenio fuisse inventam, Regum, Principum studio excultam; inq; liberalium scientiarum numerum studiosissimè relatam: quantumvis posterioribus seculis, tenebris plusquàm cimmeriis obscurata, procul dubio Deum ipsum ob immundi mundi perver-

sam

sam ingratitudinem acerrimum vindicem passa sit; ut non malè existimasse mihi videantur, qui Chymiam nullam aliam ob causam olim aliquandiu latitasse, aut divinitus occæcatus hominum animis in nullo vel admodum exiguo desiderio fuisse sentiunt: destinato tempore vicissim in conspectum & gratiam allapsuram alius gentibus, minus à pietate rectèq; faciendi norma declivibus. Enimverò posteaquam priscis patrum nostrorum seculis, barbaram & agrestem Germaniam, benignissima divinæ misericordiæ aura afflari divinitus contigit, una cum summo Romani Imperii apice, etiam omnium artium liberalium illustria documenta per eandem hinc inde proseminari cœperunt: non potuit itaq; & hæc nostra diutius abscondi: sed propter igniculos tum veritatis tum immensæ jucunditatis summæq; utilitatis, è favillis antiquitatis in medium fatalis productionis diem prosilientes, rursum in admirationem venit, exculta est, insignesq; progressus fecit. Neq; enim se potuit tantum intra septa & latibula monachorum, perquàm studiosè hanc philosophiam consectantium, continere, sed perrupit monasteriorum mœnia, longe lateq; in Medentium circo sedem fixit, nunquam derelictura vadimonium, quod pro sua summa in genus humanū tum necessitate tum utilitate apud universam penè Asclepiadeam gentem magna cum fidelitatis constantia obivit.

Et dubitamus adhuc meritos honores, quid? summos dignitatis apices, inquam, tribuere isti arti, sine cujus præsidio Medicina vel nullam, vel exilem planè possidet majestatem? Et dubitamus hanc ipsam cœno iniqui popelli adhuc dum aliquantulum madentem altius evehere, inq; aulæis pretiosis collocatam molli brachio inter purpuratas Academiarum Facultates collocare? Sed quid facio? cur inanibus hisce querelis vanaq; solicitudine memetipsum torqueo? cur animos vestros, AUDITORES, *querimoniarum desperabundo ejulatu diutius lacesso? Inventum est huic morbo remedium, parata est medela:* Recepta, recepta est, *inquam,* auspiciis Illustrissimi & Fortissimi Principis MAURITII, PATRIS PATRIÆ, Nutritii nostri beni-

 gnissi-

gnissimi, inq; solium MAURITIANÆ suæ novo & planè per universum terrarum orbem recenti exemplo, Chymia introducta est: sapientissimoq; consilio factum, ut ex limpidissimis Hermeticæ & Hippocraticæ Philosophiæ fontibus CHYMIATRIA in posterum, quantum fas est, doceatur, exerceatur, *agiteturq; publicè.*

Quid ego nunc commemorem? quibus verbis explicem, quàm gloriosa, quam memorabilis hæc res futura sit, ubi apud exteras nationes disseminabitur, & olim apud posteros deprædicabitur, LANDGRAVIUM HASSIÆ MAURITIUM, *Principem omnium laudum & præconiorum curriculo Illustrissimum, cujus virtutis & eruditionis fama ad omnes mundi angulos pervasit, tantoperè veræ* MEDICINÆ *incrementa dilexisse, ut ad ejus desideratissimam perfectionem in florentissima & à se unicè adamata* ACADEMIA MARPURGENSI CHYMIATRIÆ *docendæ & addiscendæ locum fecerit. Enimverò non ipsi satis fuit ante paucos annos pio admodum magnoq; cum religiosæ mentis fervore & zelo, indefesso studio procurasse, incorruptos divini verbi latices è suggestis populo, è Theologicis pulpitis studiosæ juventuti purè & sincerè propinari: sed tam bene, tam probe pietatis & orthodoxæ religionis jacto fundamento, non acquiescendū existimavit, quin superiori anno hanc* UNIVERSITATEM *ad legitimum Germanæ formæ exemplum reformarit, reformatā restituerit, restitutam amplissimè locupletarit, ut nihil hactenus desideratum sit, quod Philosophorum, Medicorum, Iurisconsultorum, Theologorum ex industriâ laboreq; Academiæ partas laudes conterneret, secus quam nonnulli livore impietatis alicujus præpediti, nō mediocriter optabant, sperabant. Quamobrem dum ad rectæ informationis normam omnia momenta dirigi, inq; accuratæ perfectæq; actionis vi singularū artium & Facultatum fines versari debere probè videt, sapienterq; intelligit, quemadmodum cæteras disciplinas, ita & Medicas scholas ad prælectionum & exercitationum certas formulas instituendas esse graviter monuit;*

monuit: non tam li ere circa spinosas de præceptis altercationes, quàm in Medici operis meditatione & effectione esse occupatis. Hoc itaq; genuinæ hujus professionis Medicæ curriculum: hunc Xystum aperiri ac florere voluit, ut præter Prælectionum ac Disputationum ordinarias operas Medicinæ Studiosi, non tantum philosophatum de herbis, plantis, omnium generum simplicibus aliquoties, imitante florenti sinu naturæ genio, à Medicis in prata, hortos, sylvas ducantur; vel multoties in secandis corporibus exerceantur; sed etiam in Philosophiâ Hermeticâ, arcanorum nempe in mistis latitantium ad benè medendum scrutatrice & detectrice, *quantum quivis ingenio capere potest, erudiantur: tandemq; ægrotis tractandis, consilii, medicamenti, rationis totius participes fiant.*

O rem magnitudine incredibilem, vitio temporum inusitatam, superiori memoriâ inauditam, dignissimam TE, PRINCEPS ILLUSTRISSIME, *Principe & Authore. Certatim tollent in astra nomen tuum ubivis gentium Philosophiæ & Medicinæ Studiosi: multorum sermonibus & præconiis longè lateq; prædicaberis: nulla unquam posteritas hoc præclarum tuum factum conticescet, nulla abolebit vetustas.*

Audi igitur literatorum per omnes totius orbis angulos grex literatissime; Audite Germani, Galli, Britanni, Poloni, Itali; audite omnes populi, qui à perfectè prosperèq; medendi scientiâ vos vestrosq; liberos instructissimos esse maximopere desideratis, audite, inquam, in ACADEMIA MARPURGENSI, Medicinæ Hippocraticæ & Hermeticæ, hoc est, ut uno verbo dicam, CHYMIATRIÆ institutio & exercitatio, Auspiciis Illustrissimi Principis Hassiæ MAURITII, non modò reprehensione & errore libera, sed laude & commendatione imposterum, divino adjuvante numine, non infelix futura est. *Idq; ego prædico, recipio, confirmo, ac insuper in infinita successuri temporis secula continuum, perpetuumq; opto; minus solicitus de successu, quem divina providentia maximè guber-*

gubernatum irriscio, quàm de me, neq; ingenii, neq; doctrinæ ornamentis, neq; usu ad hoc capessendum negotium, satis idoneo, anxius: ut nullum tam leve onus unquam duxerim, cui non vires meas esse impares fassus sim. Itaq; non erat planè, non erat virium mearum tam abstrusæ, neq; multum antea tritæ professionis onus suscipere, nisi MECŒNATIS ET NUTRITII *nostri fuisset perficere, ut quod Eruditionis lacertis sustinere non possem, id ipsius beneficentiæ & alacritatis robore perferrem. Quæ sanè nisi præstò essent, animo planè caderem, nec in tanta scientiarum luce ignorationis meæ tenebris locum ullum esse posse censerem. Memetipsum itaque recolligens, quantus quantus sum, unicè confido, imbecillitati meæ divinam opem, insipientiæ sapientiam, officiosæ verò temeritati* PRINCIPIS ILLUSTRISSIMI *consilium & auxilium præsidio futurum. Id quod à* DEO *ter* OPT. MAX. *maximè deprecor; à tantâ verò tanti* PRINCIPIS *benignitate subjectissimè opto. Hac animi alacritate concepta, cum magna apud me extet initi consilii confidentia, nil amplius à me expectari facilè intelligo, nisi in hoc genere doctrinæ & exercitationis, studium, laborem, assiduitatem, vigilantiam, quæ omnia licet non tam magnæ potestatis, quàm bonæ voluntatis videantur esse, enitar tamen, ut quicquid in muneris mei fornace sudavero, quicquid in aratro meo laboravero, in* DEI *præpotentis laudem, in Academiæ omniumq; bonorum salutem, inprimis verò in earum rerum, quas tractaturus sum, incrementum, æstuet, ferveat, & feliciter deproperet.*

Nunc verò præmissis laudatissimi instituti jucundissimis Evangeliis, quid est, AUDITORES, *quod magis humano generi, cumprimis verò orbi Christiano, admirandum suspiciendumq; restet, quàm præter salutis humanæ à Christo Mediatore nostro in seculo gratiæ nobis partæ, indefessam interruptamq; meditationem, unicè iis rebus operam dare, quæ in magno illo naturæ seu universitatis libro obscurissimis Elementarium rerum quasi consopita tenebris impuritatibusq; eruenda, inq; usum Medicum necessarium utilemq; transferenda sint?*

Quid

Quid est, inquam, jucundius, honestius, pulchrius, quàm in hoc immundo mundo contentiosa quadam immotaq; animi perseverantia ea consectari, quæ ad tutius conservandam, citiusq; reddendam à morbis & calamitatibus immunem vitam nostram, non nisi Deum ipsum Lumenq; Naturæ autores habent. O admirabile studium, ô pretiosum desiderium! paucos admodum imitatores, paucissimos cultores, plures osores, plurimosq; hostes hactenus nactum! Quàm sæpè nonnullis, etiam quorum magis intererat istuc se dimittere, visum optatumq; est hoc genus studiorum nunquam fuisse natum: aut posteaquam natum fuit, illicò interemptum, vel nuspiam admissum: usque adeò sunt non pauci, qui inventis frugibus glandibus vesci, qui opinionum & Fastus inveteratâ itemq; dulcissima suavitate, tanquam haustu Circæi poculi inebriati, inter densissimas crassissimasq; obscuritatum nebulas, cum perversa multitudine errare, quàm cum sobria paucitate benè sentire malunt. Et quotusq; nostrûm non vidit, non intellexit, quàm contumeliosè & iniquè superioribus annis ineuntis hujus sæculi, à Parisiensium Medicorum Lernâ adversus hanc lucem, singulari Dei gratiâ in Scholis Medicis per Europam relucentem, concertatum sit, quàm atrociter & frivolè postea temerario impetu promulgata sententia proscripti sint omnes, necessariò sese ob ingentes in Medicina defectus ad Chymiatriæ opes demittentes. Nimirum hoc extremæ impietatis anilisq; insipientiæ argumentum erat, è mundi limitibus primò DEUM, *postea etiam e gremio totius Universitatis ipsam Naturam proscribere, igni & aqua interdicere; communione omni civitatis privare, firmissimis Dei & naturæ fulcris innixos. Quòd si itaque genuinum frangere, de fama eruditionis existimationisq; periclitari, insana Parisiensium, Scholæ palmarium fuit, reperit fortasse aculeatos in propudium ab ipsis acta Chymiatriæ defensores, quibus, si quid virilitatis in se fuerit, illi occursum eant, aut gravi pœnitentiæ turbine perculsi ad saniorem mentem redeant. Solent invidi affligi aliorum incremen-*

crementis: nec potest juxta se emergentium felicitates ferre livor, at simul invidere & perniciosa insectatione damnare quæ non intellexeris, non potest non turpissimorum vitiorum ulcerosam prosapiam olere. Sordide inquietis etiam rectissima sordent: Sed bene actum est cum illa Republ. in qua præmia pariter & pœnæ dignis æquissimas partiuntur lances. Sic enim recte sentientium innocentia sese à morsibus improborum justissimæ tranquillitati vindicare potest: sic jucundis vigent inter se commerciis studia, mutuisq; operis quasi concatenatim nexa ad omnem posteritatem felicissimè propagantur.

Quæ omnia cum ita sese habeant, nec tamen probè exploratum sit, quid quisque hodierno seculo circa Medicinam rectè obeundam exercendamq; in tanta dissentientium perversitate eligere, quid facere, quid sequi debeat, sinite me, AUDITORES, *ex profundissimo rerum Medicarum Oceano hunc contum extrahere; sinite me in vastissimo hoc pelago navigantibus Helicen ac cynosuram figere, ad cujus ductum veræ Medicinæ Studiosi è perturbationum infelicitatisq; scopulis rectè emersi, in sanitatis portu exoptatissimo rudentes explicare, tandemq; in Apollinis sacrario votivas tabulas suspendere possint: sinite me, inquam, coram hoc Consessu Academico perfectam* NATURÆ-CONSULTI MEDICI *formam proponere, ad eamq; amplectendam omnes quibus volupe est sese maturo consilio Medicinæ emancipari, cohortari: si fortè oratione consequi possim, ut nonnulli pulchritudine & necessitate ipsius capti, valdè imitabili exemplo plurimos ad benè beateq; medendum extimulent. Quod si verò dicendo non tantum profecero, quantum animus meus discupit, reiq; magnitudo postulat, hunc saltem fructum ex hac velitatione unumquemque consecuturum spero, ut si quis sibi Medicus sapiens, hoc est, verus Philosophus videatur esse, nusquam tamen sit, falsam de se opinionem extemplò exuat. Is enim solus Philosophus seu verus Naturæ-consultus Medicus in theatrum à me produci-*

ducitur, qui posteaquam ab omnibus adminiculis ingenii, doctrinæ & artis affatim instructus fuerit, Naturam benè movere, hoc est, benè mederi didicerit. *Cur enim sæpè multos Medicos Medicina fallit? quia pauci nôrunt benè mederi, cum medendi ars non opinione, sed benè movendo naturam perficiatur absolvaturq́ę. Naturam autem benè movere solius est Philosophi, solius est Naturæ-consulti Medici. Vt enim Patroclus, neglectâ fortissimi Achillis hastâ, tantùm ejus arma sibi assumebat; sic multi nomen induunt, pauci virtutem veræ Philosophiæ attingunt. Nec parum abest, quin illud Socratis olim plures in Græcia homines, quam urbes desiderantis, rectissimè usurpari possit de Europâ nostrâ, pluribus hinc inde extructis Academiis, quàm Philosophis onusta: tantum non Andabatarum more ubiq́ę circa extrema rerum tegumenta controvertitur, interiori nucleo & dulcissimâ medullâ densissimis involutis obscuritatibus, nuspiam visis, nedum, vel etiam ab alioquin prudentioribus, ad incudem revocatis. De rectiùs itaque informando vero Philosopho operæ pretium erat sermonem instituisse, consilii rationes exposuisse, fideliterq́ę monuisse. Propterea confido neminem tam iniquum judicem futurum, qui me non justa ratione facere existimet, quod facio. Res enim est huic actui & demandatæ mihi Professioni consentanea, hisq́ę temporibus accommodata, non indigna vestris auribus,* PATRES ACADEMICI, *huic ornatissimæ pulcherrimæq́ę Studiosorum coronæ non inutilis, omnibus qui adsunt ad cognoscendum grata & jucunda. Dicendum enim est de sacratissimæ Medicinæ dignitate & fructu, de omnibus ferè scientiis & artibus, de prudentia Medica: ut non tam laborandum mihi esse videatur de eo, quid dicam, quàm providendum, ne si omnia quæ dici possunt, dicere voluero, nullum unquam inveniam orationi meæ exitum. Cohibebo tamen memetipsum in dicendo, remq́ę immensitate sua gravem angustis quibusdam cancellis circumscribam, quibus cir-*

cumsepta dictio, ubi extremum probaverit Philosophum, seu Naturæ - consultum Medicum esse virum prudentem movendi naturam peritum, *ipsa sua sponte quiescat oratio.*

Magnum opus est, AUDITORES, *opus est magnum & difficile Naturam omnium illarum rerum caducarum, quæ sunt, quæ fuerunt, & quæ futura sunt, Parentem ita movere, ita gubernare, ut corpori nostro infinitis morborum atrocissimorum difficultatibus, affectuumq; latrociniis obnoxio, lubens volensq; in subsidium veniat. Naturæ enim morborum Medicatrices: & nemo morbum sanat, nemo valetudinem tuetur: nemo statum vitæ conformat: sola natura sanat, tuetur, conformat; sola natura obstetricatur, quæ si dextrè per naturam à sagaci Philosopho excitata fuerit, infensissimum sibi hostem expellit, ac sanitatem postliminio redire facit. Excitare verò Naturam est omnium difficilimum: in eo enim totius Medicinæ cardo unicè vertitur. Qui tam arduam itaque, tam difficilem provinciam fidelissimè subire, eamq; magnificè ornare possit, illum quàm multiplici rerum cognitione oportet esse imbutum! quantâ sapientiâ ei opus est, qui sit futurus Naturæ minister & auspex; universitatis hujus & eorum, quæ oculis subjiciuntur, magister; morborum domitor velut alter Hercules, valetudinis verò impiger assertor; omnis bonitatis, ac denique omnium virtutum sanctissimum exemplum! Negant Oratorem suum Eloquentiæ Patres, satis graviter & magnificè in causis Forensibus & Politicis versari posse, nisi plurimarum maximarumq; rerum scientiâ pectus antea compleverit. Illi itaque in re tam exili, ubi nil nisi vel civitas, vel existimatio, vel pecunia, vel ad summum vita agebatur, tamen diligentes erant & morosi: Nos quemvis impolitum hominem, rudem, & bonarum artium ignarum, Philosophum vel Naturæ - consultum Medicum nominabimus, habebimus, traducemus? Nemo nostrûm prædia villico rerum rusticarum experti; nemo procurationem & dispensationem utensilium,*

lium, tuendæ rei familiaris imperito; nemo ædificationem alienissimo ab Architecturâ commendat: videlicet quicquid ad probe curandum alterius fidei concredendum est, quis est tam stupidus & iners, qui non ejus rei benè peritum & intelligentem hominem sedulò perquirat? Sola né igitur salus corporis nostri, aut tam expedita est & facilis, ut nullam curationis & magistri sapientiam requirat? aut tam exigua est & vilis, ut quod vel minimis rebus attribuitur, ei uni minus sit tribuendum diligentiæ? Imperitæ plebis ista sunt instituta: cui subinde in avia opinionum abreptæ, dum ad veritatem, veluti Nycticoraci ad Solem, caligant oculi, familiare admodum est ex musca Elephantum facere. Prudentes à pravo judicio pravæ multitudinis pendere prohibentur: hæc enim altioribus implantata radicibus severiores postulant indagines.

Omnibus itaq; diligenter in consilium vocatis, duplex rerum cognitio eximio Philosopho seu Naturæ-consulto Medico perquàm necessaria esse videtur: una earum, quæ propriæ sunt hujus muneris: altera earum, quæ cùm ad illas feliciter primum percipiendas potissimùm adjumentum præbeant, extrinsecus assumendæ sunt. Illa est hæc eadem Professio, quâ pollere debet is, quem tanto munere dignum existimamus: hæc omnes disciplinas humanas, aliasq; præterea res præclaras complectitur. Vt enim sine fastidio & errore rectius commisso muneri invigilare possit Naturæ-consultus Medicus, nisi confusis dare ordinem, obscuris præferre facem, absconditis inferre lucem, dubiis impertiri notitiam, res necessarias utiles & jucundas disertè enunciare doctus fuerit, ineptissimus omnium merito habebitur, qui ad naturam movendam manum admoveat. Ex naturæ itaque lumine, licet omnia sua quodammodò possideat Medicus, tamen ut artificiosè non confusè, prudenter non oscitanter, purè non barbarè, dilucidè non obscurè singula, quæ sunt luminis naturæ, tractet, operetur & proferat, nemo ipsum adminiculis artium liberabit. Quem-

admodum igitur olim, qui ad præclarissimas Romanorum familias Scipiones, Lælios, Lucullos, Catones ob nominis celebritatem & immensas opes, Regum & Principum nostrorum divitias & magnificentiam æquantes, aditum sibi exoptabant, servos Atrienses prius adire, & ab iis non tantum stemmata, virorum fortium imagines, resq; gestas, sed totius familiæ universam rationem vivendi sigillatim edi- scere consueverant: ita qui naturæ majestatem affectant, primò servos atrienses sapientiæ, organa doctrinæ, prudentiæ manus, civilioris vitæ claves, hoc est, ARTES *ingenuas, adire, inq; earum familiaritatem insinuare se debent, ut in sacrosanctum Naturæ & Apollinis templum celerius faciliusq; intromittantur: Ratione siquidem & oratione, sapientia & eloquentia, numero & mensurâ rectè uti, non exiguum momentum confert ad abstrusissima naturæ arcana eruenda.*

Futurum itaque Naturæ-consultum Medicum volumus à primis adolescentiæ annis in Grammaticorum, Logicorum, Rhetorum & Mathematicorum scholis non leviter eruditum robustissimum fundamentum jecisse ejus ædificii, quod magno postea molimine ex naturæ ruderibus educendum est: omnis etenim cujusque rei perfecta cognitio, aliqua præcedente cognitione gaudet. Vniversæ itaque illæ Facultates, quæ artibus, quas vocant, dicendi & cæteris disciplinis veluti praviâ quadam & splendidâ face destituantur, perpetuò ingratæ sunt, plenæ obscuritatis & infantiæ, & tanquam unguenta Solem reformidant. Dolendum igitur & maximè dolendum, quòd hodierno seculo, nescio qua perniciosa disciplinarum & morum corruptela, penè omnes omnium Facultatum asseclæ & Studiosi, ubi vix ex Ephebis excessêre, præteritis gradibus, neglectisq; primis fundamentis ex artibus dicendi repetendis, statim in arcem ipsarum Facultatum temerario impetu insiliunt; uberes sibi fructus somniantes, si rem ipsam, ad quam semel animum appulerunt, maturius aggressi fue-

rint;

rint. O insaniam! ô rem justa reprehensione, ne dicam scutica dignam! Nimirum graves illæ & detestandæ primarum disciplinarum desertiones & solitudines, singulis ad superiora sine judicio convolantibus, insolentia illa Rerumpubl. errata pariunt: Destituuntur enim fulcris illis in omni disciplinarum genere rectè fundatis: destituuntur exquisito modo agendi: à minimis enim ad majora, à facilioribus ad magis ardua, ab extremis ad media cùm paucissimi progrediantur, quid amplius de salute & incolumitate earum rerum, quæ in apice sitæ sunt, sperandum fuerit. Summa quidem inest primis artium rudimentis asperitas: sed non ideò deserendæ sunt: ad culmen enim cæterarum Facultatum conscensuris maximum præbent adjumentum, neglectæ verò aut saltem non fideliter adhibitæ, etiam quosvis ad ardua contendentes præcipitant. Mihi verò, ut dicam quod res est, serpentibus & hominibus idem accidere videtur, ut omnium animantium optima vel pessima existant: quemadmodum enim illi Balsamo terrestri enutriti, non usquequaque tamen veneni expertes sunt, in magnam tamen & præsentissimam Antidoton contra omnia venena, rectè in usum Medicum conversi cedunt: ita homines benè à pueritia in Balsamo artium pulveris scholastici prius educati, ubi postea in superioris alicujus Facultatis sacrario consenuerint, cœtibus hominum jure societatis non possunt non esse utiles. Rectissimè itaque totius vitæ humanæ summa templo cuidam augustissimo rectè assimilatur, cujus basis & firmamentum non instar Dianæ Ephesinæ magnis laterum aggeribus, sed institutis optimis ordine sese invicem consequentibus dirigi & ædificari captum sit. Permagni itaq; interest, magnarum mirabiliumq; rerum effectorem, seu Naturæ-consultum Medicum præclaris ingenii dotibus instructum, ea subsidia nactum esse, quorum ope nunquam postea in propria arte hospes esse possit; ut dubium sit nullum, quin ille Medicinam tot disciplinarum Comitibus stipatam,

patam, magno cum applausu feliciter aliquando, si cætera successerint, domum duxerit.

Verùm enimverò, quemadmodum in tibiarum ludo, fortis & validus spiritus solus non sufficit, sed tota difficultas ab artificiosa digitorum mobilitate ad concentum efficiendum dependet: ita parum refert, Philosophum nostrum Medicum generatim ex Grammaticis, Logicis, Rhetoricis & Mathematicis informatum esse, nisi paulatim ea ipsa, jam ex gratuita artium primarum liberalitate in unam sarcinam collecta, postea tum ad alia externa subsidia, tum verò ad ipsam, quam suo tempore Naturæ motionem aggressus fuerit, accommodaturus sit. Naturæ-Consultum itaq; Medicum beatis illis Rationis & Orationis, Numeri & Mensuræ spoliis triumphantem pedetentim ad Naturæ fanum deducimus, Physicas opes è longinquo monstramus, viamq; aperimus.

At verò ignoscite mihi quarumlibet Academiarum Physici, si non æquè disciplinæ vestræ Ephebum Naturæ-consultum Medicum concredidero, ut eundem antea Grammaticis, Logicis, Oratoribus & Mathematicis quasi totum emancipaveram: Ignoscite mihi, inquam; nec enim jus illud, quod in Naturam habere videmini, æquale est juri & privilegiis, quæ artifices illi in subjectis sibi rebus possident. Ratiocinamur, loquimur, numeramus & metimur solis legibus à Ratione, Oratione, Numero & Mensura præscriptis. At verò quis in Scholis Physicis modus? Quæ norma, quæ denique temperies clavum tenet, in rebus Physicis dextrè, & ceu in Natura sunt explicandis? Si quis enim animo in supremam mundi regionem evectus cœlum & terras omniaq; in illis comprehensa penitus perspiciat, ad Aristotelis Peripateticorum Principis Acroasin conversus in octo libris Physicis vix ac ne vix quidem totidem versus veritatis Physicæ, sed Logica Sophismata de Causis & Principiis, primo & se-

cundo

cundo libro: de effectu Causarum tertio & quinto: de subjecto loco, adjunctoq; tempore quarto, tertii parte; sextoq; toto infinitatis, totiusq; item septimo & octavo æternitatis monstra potius quàm mysteria perspiciet, non solum à liberali disciplina Physica prorsus aliena, sed pietati etiam & religioni valde adversantia. An verò hæc omnia hodie in Scholis Physicis Academiarum non agitantur? an non magnis spiritibus quotidie pulpita iisdem personant: non meliore Philosophiâ pertractatis cæteris, quæ de materia prima; de Elementis, eorumq; qualitatibus primis & secundis: de generationibus & interitu rerum proponuntur: de iis quæ in sublimi fiunt, quævé universo complexu totius ambitus terræ continentur? Et tamen his commentis subalternari nostram Medicinam, ejusq; vera fundamenta ex iisdem probè hauriri ad ravim usque vociferantur. Profectò ejusmodi assertores non absimiles mihi videntur nitedulis, in vepretis delitescentibus, mediaq; æstate incertum ac malignam fulgorem emittentibus: in præconceptis enim opinionibus de rebus Physicis, quasi Coclites inter cæcos, soli regnant & effulgent: res autem arduas & ex media Naturæ luce petendas, ceu noctuæ lumen Solis vitant & effugiunt, aliâ excusatione in publico non conspicui, quàm quod à placitis in Scholas introductis discessionem facere nefas sit. Non erat, planè non erat hæc rerum facies, alioquin laboriosa, magis umbratili & commentitio obscuritatis velo cooperienda, non erant obscura per obscuriora præcipitanda, tenebrisq; involvenda densioribus, ne caligantibus & primæva labe admodum labefactatis oculis nostris omnis ad perspiciendum vis adempta esse videretur. Ætas enim posterior priori amplius laboravit, & dum ipsæ scientiæ cum ingeniis crescunt, multos Ethnicorum turpissimos errores postea sapientior proles tanquam secunda spongia absterserit. Vt planè dubium non sit plura adhuc in sapientiæ & naturæ thesauris abscondi, sagacium hominum conatibus eruenda, quàm quæ nostris sensibus omnia pervia fuerint. Ecquid vero puduit prisca

secula inventis frugibus glandibus vesci? Ecquid & posteritas nostra erubescet meliori Cerere uti, si forsan clementius cælum aurea secula olim redintegrarit? O nos stupidos & inertes! qui glandes dedidicimus, præsentibus bonis Naturæ fruimur, sicciné melioribus à Deo, à Moyse, & à Naturæ lumine informati præceptis, difficilia quidem, sed non incomprehensibilia dona fastidiamus, rejiciamus, conculcemus? Erigite animos, qui hæc sanis auribus percipitis, & mecùm hanc unam solicitudinem è medio tollite, quomodo nempe Naturæ-consultus Medicus in vestibulum Professionis suæ delatus quidvis potius facere, quàm vadimonium tantorum fructuum deserere debeat.

Sapientissimus Opifex hanc universam pulcherrimamq́; rerum omnium compagem propter hominem condidit! homo autem propter DEUM *factus est: Homo itaque est istius totius Vniversi incola, ut & illud & se cognoscat,* DEUMq́; *perpetuis laudibus deprædicet. Ad quam sanè divinitatis legem etsi omnes, quotquot ab Adamo in hanc scenam diversis actibus seculorum producti sumus, non docti sed facti, non instituti sed imbuti meritò videmur, nemini tamen licitum fuerit in hac rerum Vniversitate minus hospiti esse quàm Naturæ-consulto. Veteres Græci dum variam, eamq́; insignem eruditionem, quâ Homeri poëmata pollent, designare vellent, illum nauseantem, omnesq́; aliarum ingenuarum artium Professores, Grammaticos, Poëtas, Oratores, Iurisconsultos, Medicos, & Rerumpubl. Magistratus ita accurrentes & circumstantes depingebant, ut singuli eorum frusta quædam ex sacro illo vomitu eligerent, & ad usum propriæ artis referre niterentur: At ego si Creaturam universam simili Penicillo ex Galatonis cujusdam tabulâ nauseantem depingerem, solum Naturæ-consultum potissimam partem pretiosi vomitus sibi reservantem facerem, exiguis frustulis ad dissipatam multitudinem in mundo esurientium dimissis. Quid igitur Naturæ-consultus*

sultus operatur? quid præstat? Vt omnia paucis dicam: Vniversam totius Naturæ harmoniam indefesso studio contemplatur: In ipsius enim Mundi census descendit; in toto orbe vivit; cæli munimenta perrumpit; maria transvolat; siderum cursus numerosq; colligit; Elementorum dispositiones, tempestatum vicissitudines, generationum & transplantationum leges, naturam mundanam continentes ac conservantes, sedulò inquirit: impressiones præterea in sublimi factas, cometarum origines, ventorum, tonitruum, fulminum, pluviarum, roris, pruinæ, nivis origines explorat: Oceani æstus & reciprocationes, terrarum diversitates, plantarum discrimina, metallorum, mineralium ortus, progressiones & separationes, animalium naturas investigat.

Videtis, AUDITORES, *quàm ego angustis limitibus Physicum non circumscribam: quàm arctè eum non definiam. Sed tantum abest, ut humano ingenio majora & difficiliora, quàm ejus vires sustinere possint, Stoicâ quadam austeritate imponere videar, ut multò magis affirmem, perfacile esse omnes disciplinas animo complecti, easq; solis incultis ac inamœnis geniis, desperationis opinionem conciliare solere. Sine causa enim animum confundi arbitror, quotiescunque vires ejus disciplinis in diversum tendentibus imminui nonnulli clamitant, quibus nec mens, nec ætas ad tanta perferenda sufficere videtur. Atqui, cur admirabilis naturæ solertia, homini nullam propriam & peculiarem artem tribuit? nimirum quia illis omnibus instructum & ornatum esse oportebat; ideò nudum & inermem quidem exposuit, sed defectus supplementum benignissimè concessit, Rationem nempe, ejusq; ministras manus: Illam quidem recipiendo omnium artium cultui aptam & idoneam; has vero ad munimentum corporis animiq; imperium flexili articulorum curvaturâ miris modis habiles. Vnde sanè licet vim naturæ humanæ tam velocem, tam agilem admirari, ut vel eodem temporis momento in plu-*

secula inventis frugibus glandibus vesci? Ecquid & posteritas nostra erubescet meliori Cerere uti, si forsan clementius cælum aurea secula olim redintegrarit? O nos stupidos & inertes! qui glandes dedidicimus, præsentibus bonis Naturæ fruimur, siccine melioribus à Deo, à Moyse, & a Naturæ lumine informati præceptis, difficilia quidem, sed non incomprehensibilia dona fastidiamus, rejiciamus, conculcemus? Erigite animos, qui hæc sanis auribus percipitis, & mecùm hanc unam sollicitudinem è medio tollite, quomodo nempe Naturæ-consultus Medicus in vestibulum Professionis suæ delatus quidvis potius facere, quàm vadimonium tantorum fructuum deserere debeat.

Sapientissimus Opifex hanc universam pulcherrimamq; rerum omnium compagem propter hominem condidit! homo autem propter DEUM *factus est: Homo itaque est istius totius Vniversi incola, ut & illud & se cognoscat,* DEUMq; *perpetuis laudibus deprædicet. Ad quam sanè divinitatis legem etsi omnes, quotquot ab Adamo in hanc scenam diversis actibus seculorum producti sumus, non docti sed facti, non instituti sed imbuti meritò videmur, nemini tamen licitum fuerit in hac rerum Vniversitate minus hospiti esse quàm Naturæ-consulto. Veteres Græci dum variam, eamq; insignem eruditionem, quâ Homeri poëmata pollent, designare vellent, illum nauseantem, omnesq; aliarum ingenuarum artium Professores, Grammaticos, Poëtas, Oratores, Iurisconsultos, Medicos, & Rerumpubl. Magistratus ita accurrentes & circumstantes depingebant, ut singuli eorum frusta quædam ex sacro illo vomitu eligerent, & ad usum propriæ artis referre niterentur: At ego si Creaturam universam simili Penicillo ex Galatonis cujusdam tabulâ nauseantem depingerem, solum Naturæ-consultum potissimam partem pretiosi vomitus sibi reservantem facerem, exiguis frustulis ad dissipatam multitudinem in mundo esurientium dimissis. Quid igitur Naturæ-consultus*

sultus operatur? quid præstat? Vt omnia paucis dicam: Vniversam totius Naturæ harmoniam indefesso studio contemplatur: In ipsius enim Mundi census descendit; in toto orbe vivit; cœli munimenta perrumpit; maria transvolat; siderum cursus numerosq́ colligit; Elementorum dispositiones, tempestatum vicissitudines, generationum & transplantationum leges, naturam mundanam continentes ac conservantes, sedulò inquirit: impressiones præterea in sublimi factas, cometarum origines, ventorum, tonitruum, fulminum, pluviarum, roris, pruinæ, nivis origines explorat: Oceani æstus & reciprocationes, terrarum diversitates, plantarum discrimina, metallorum, mineralium ortus, progressiones & separationes, animalium naturas investigat.

Videtis, AUDITORES, *quàm ego angustis limitibus Physicum non circumscribam: quàm arctè eum non definiam. Sed tantum abest, ut humano ingenio majora & difficiliora, quàm ejus vires sustinere possint, Stoicâ quadam austeritate imponere videar, ut multò magis affirmem, perfacilè esse omnes disciplinas animo complecti, easq́ solis incultis ac inamœnis geniis, desperationis opinionem conciliare solere. Sine causa enim animum confundi arbitror, quotiescunque vires ejus disciplinis in diversum tendentibus imminui nonnulli clamitant, quibus nec mens, nec ætas ad tanta perferenda sufficere videtur. Atqui, cur admirabilis naturæ solertia, homini nullam propriam & peculiarem artem tribuit? nimirum quia illis omnibus instructum & ornatum esse oportebat; ideo nudum & inermem quidem exposuit, sed defectus supplementum benignissimè concessit, Rationem nempe, ejusq́ ministras manus: Illam quidem recipiendo omnium artium cultui aptam & idoneam; has vero ad munimentum corporis animiq́ imperium flexili articulorum curvaturâ miris modis habiles. Vnde sanè licet vim naturæ humanæ tam velocem, tam agilem admirari, ut vel eodem temporis momento in plu-*

secula inventis frugibus glandibus vesci? Ecquid & posteritas nostra erubescet meliori Cerere uti, si forsan clementius cœlum aurea secula olim redintegrarit? O nos stupidos & inertes! qui glandes dedidicimus, præsentibus bonis Naturæ fruimur, siccine melioribus à Deo, à Moyse, & à Naturæ lumine informati præceptis, difficilia quidem, sed non incomprehensibilia dona fastidiamus, rejiciamus, conculcemus? Erigite animos, qui hæc sanis auribus percipitis, & mecùm hanc unam solicitudinem è medio tollite, quomodo nempe Naturæ-consultus Medicus in vestibulum Professionis suæ delatus quidvis potius facere, quàm vadimonium tantorum fructuum deserere debeat.

Sapientissimus Opifex hanc universam pulcherrimamq; rerum omnium compagem propter hominem condidit! homo autem propter DEUM *factus est: Homo itaque est istius totius Universi incola, ut & illud & se cognoscat,* DEUMq; *perpetuis laudibus deprædicet. Ad quam sanè divinitatis legem etsi omnes, quotquot ab Adamo in hanc scenam diversis actibus seculorum producti sumus, non docti sed facti, non instituti sed imbuti meritò videmur, nemini tamen licitum fuerit in hac rerum Universitate minus hospiti esse quàm Naturæ-consulto. Veteres Græci dum variam, eamq; insignem eruditionem, quâ Homeri poëmata pollent, designare vellent, illum nauseantem, omnesq; aliarum ingenuarum artium Professores, Grammaticos, Poëtas, Oratores, Iurisconsultos, Medicos, & Rerumpubl. Magistratus ita accurrentes & circumstantes depingebant, ut singuli eorum frusta quædam ex sacro illo vomitu eligerent, & ad usum propriæ artis referre niterentur: At ego si Creaturam universam simili Penicillo ex Galatonis cujusdam tabulâ nauseantem depingerem, solum Naturæ-consultum potissimam partem pretiosi vomitus sibi reservantem facerem, exiguis frustulis ad dissipatam multitudinem in mundo esurientium dimissis. Quid igitur Naturæ-consultus*

ſultus operatur? quid præſtat? Vt omnia paucis dicam: Vniverſam totius Naturæ harmoniam indefeſſo ſtudio contemplatur: In ipſius enim Mundi cenſus deſcendit; in toto orbe vivit; cæli munimenta perrumpit; maria tranſvolat; ſiderum curſus numeroq; colligit; Elementorum diſpoſitiones, tempeſtatum viciſſitudines, generationum & tranſplantationum leges, naturam mundanam continentes ac conſervantes, ſedulò inquirit: impreſſiones præterea in ſublimi factas, cometarum origines, ventorum, tonitruum, fulminum, pluviarum, roris, pruinæ, nivis origines explorat: Oceani æſtus & reciprocationes, terrarum diverſitates, plantarum diſcrimina, metallorum, mineralium ortus, progreſſiones & ſeparationes, animalium naturas inveſtigat.

Videtis, AUDITORES, *quàm ego anguſtis limitibus Phyſicum non circumſcribam: quàm arctè eum non definiam. Sed tantum abeſt, ut humano ingenio majora & difficiliora, quàm ejus vires ſuſtinere poſſint, Stoicâ quadam auſteritate imponere videar, ut multò magis affirmem, perfacilè eſſe omnes diſciplinas animo complecti, easq; ſolis incultis ac inamœnis geniis, deſperationis opinionem conciliare ſolere. Sine cauſa enim animum confundi arbitror, quotieſcunque vires ejus diſciplinis in diverſum tendentibus imminui nonnulli clamitant, quibus nec mens, nec ætas ad tanta perferenda ſufficere videtur. Atqui, cur admirabilis naturæ ſolertia, homini nullam propriam & peculiarem artem tribuit? nimirum quia illis omnibus inſtructum & ornatum eſſe oportebat; ideò nudum & inermem quidem expoſuit, ſed defectus ſupplementum benigniſſimè conceſſit, Rationem nempe, ejusq; miniſtras manus: Illam quidem recipiendo omnium artium cultui aptam & idoneam; has vero ad munimentum corporis animiq; imperium flexili articulorum curvaturâ miris modis habiles. Vnde ſanè licet vim naturæ humanæ tam velocem, tam agilem admirari, ut vel eodem temporis momento in plu-*

secula inventis frugibus glandibus vesci? Ecquid & posteritas nostra erubescet meliori Cerere uti, si forsan clementius cœlum aurea secula olim redintegrarit? O nos stupidos & inertes! qui glandes dedidicimus, præsentibus bonis Naturæ fruimur, siccine melioribus à Deo, a Moyse, & à Naturæ lumine informati præceptis, difficilia quidem, sed non incomprehensibilia dona fastidiamus, rejiciamus, conculcemus? Erigite animos, qui hæc sanis auribus percipitis, & mecùm hanc unam solicitudinem è medio tollite, quomodo nempe Naturæ-consultus Medicus in vestibulum Professionis suæ delatus quidvis potius facere, quàm vadimonium tantorum fructuum deserere debeat.

Sapientissimus Opifex hanc universam pulcherrimamq; rerum omnium compagem propter hominem condidit! homo autem propter DEUM *factus est: Homo itaque est istius totius Universi incola, ut & illud & se cognoscat,* DEUMq; *perpetuis laudibus deprædicet. Ad quam sanè divinitatis legem etsi omnes, quotquot ab Adamo in hanc scenam diversis actibus seculorum producti sumus, non docti sed facti, non instituti sed imbuti meritò videmur, nemini tamen licitum fuerit in hac rerum Universitate minus hospiti esse quàm Naturæ-consulto. Veteres Græci dum variam, eamq; insignem eruditionem, quâ Homeri poëmata pollent, designare vellent, illum nauseantem, omnesq; aliarum ingenuarum artium Professores, Grammaticos, Poëtas, Oratores, Iurisconsultos, Medicos, & Rerumpubl. Magistratus ita accurrentes & circumstantes depingebant, ut singuli eorum frusta quædam ex sacro illo vomitu eligerent, & ad usum propriæ artis referre niterentur: At ego si Creaturam universam simili Penicillo ex Galatonis cujusdam tabulâ nauseantem depingerem, solum Naturæ-consultum potissimam partem pretiosi vomitus sibi reservantem facerem, exiguis frustulis ad dissipatam multitudinem in mundo esurientium dimissis. Quid igitur Naturæ-consultus*

sultus operatur? quid præstat? Vt omnia paucis dicam: Universam totius Naturæ harmoniam indefesso studio contemplatur? In ipsius enim Mundi census descendit; in toto orbe vivit; cœli munimenta perrumpit; maria transvolat; siderum cursus numerosq́ colligit; Elementorum dispositiones, tempestatum vicissitudines, generationum & transplantationum leges, naturam mundanam continentes ac conservantes, sedulò inquirit: impressiones præterea in sublimi factas, cometarum origines, ventorum, tonitruum, fulminum, pluviarum, roris, pruinæ, nivis origines explorat: Oceani æstus & reciprocationes, terrarum diversitates, plantarum discrimina, metallorum, mineralium ortus, progressiones & separationes, animalium naturas investigat.

Videtis, AUDITORES, *quàm ego angustis limitibus Physicum non circumscribam: quàm arctè eum non definiam. Sed tantum abest, ut humano ingenio majora & difficiliora, quàm ejus vires sustinere possint, Stoicâ quadam austeritate imponere videar, ut multò magis affirmem, perfacilè esse omnes disciplinas animo complecti, easq́, solis incultis ac inamœnis geniis, desperationis opinionem conciliare solere. Sine causa enim animum confundi arbitror, quotiescunque vires ejus disciplinis in diversum tendentibus imminui nonnulli clamitant, quibus nec mens, nec ætas ad tanta perferenda sufficere videtur. Atqui, cur admirabilis naturæ solertia, homini nullam propriam & peculiarem artem tribuit? nimirum quia illis omnibus instructum & ornatum esse oportebat; ideò nudum & inermem quidem exposuit, sed defectus supplementum benignissimè concessit, Rationem nempe, ejusq́ ministras manus: Illam quidem recipiendo omnium artium cultui aptam & idoneam; has verò ad munimentum corporis animiq́ imperium flexili articulorum curvaturâ miris modis habiles. Vnde sanè licet vim naturæ humanæ tam velocem, tam agilem admirari, ut vel eodem temporis momento in plu-*

sultus operatur? quid præstat? Vt omnia paucis dicam: Vniversam totius Naturæ harmoniam indefesso studio contemplatur: In ipsius enim Mundi census descendit, in toto orbe vivit; cæli munimenta perrumpit; maria transvolat; siderum cursus numeroq; colligit; Elementorum dispositiones, tempestatum vicissitudines, generationum & transplantationum leges, naturam mundanam continentes ac conservantes, sedulò inquirit: impressiones præterea in sublimi factas, cometarum origines, ventorum, tonitruum, fulminum, pluviarum, roris, pruinæ, nivis origines explorat: Oceani æstus & reciprocationes, terrarum diversitates, plantarum discrimina, metallorum, mineralium ortus, progressiones & separationes, animalium naturas investigat.

Videtis, AUDITORES, *quàm ego angustis limitibus Physicum non circumscribam: quàm arctè eum non definiam. Sed tantum abest, ut humano ingenio majora & difficiliora, quàm ejus vires sustinere possint, Stoicâ quadam austeritate imponere videar, ut multò magis affirmem, perfacilè esse omnes disciplinas animo complecti, easq; solis incultis ac inamœnis geniis, desperationis opinionem conciliare solere. Sine causa enim animum confundi arbitror, quotiescunque vires ejus disciplinis in diversum tendentibus imminui nonnulli clamitant, quibus nec mens, nec ætas ad tanta perferenda sufficere videtur. Atqui, cur admirabilis naturæ solertia, homini nullam propriam & peculiarem artem tribuit? nimirum quia illis omnibus instructum & ornatum esse oportebat; ideo nudum & inermem quidem exposuit, sed defectus supplementum benignissimè concessit, Rationem nempe, ejusq; ministras manus: Illam quidem recipiendo omnium artium cultui aptam & idoneam; has verò ad munimentum corporis animiq; imperium flexili articulorum curvaturâ miris modis habiles. Vnde sanè licet vim naturæ humanæ tam velocem, tam agilem admirari, ut vel eodem temporis momento in plu-*

ra caq; diversissima animum intendere sæpissimè possit. Visi sunt sæpius in circulis Pantomimi, corpus suum veterno & pigritiæ proximum assiduo usu variis motibus assuefecisse, ut per extentos funes cæli iter meditentur, infestos mucrones & flammas innoxio saltu trajiciant, tanta dexteritate, ut subinde oculorum fidei derogatum sit. An igitur animo nostro metuimus, eum multa capere simul non posse, si recto cultu etiam ad diversa & difficilima ductus & productus fuerit? Idcirco ut Naturæ-consultus Naturam benè movere discat, in minimis solitariisq; nunquam quiescit. Probè enim sibi perspectum habet, DEUM *non conficere Sapientiæ cumulum oscitantibus, & multa fieri agendo, quæ ignavis & inertibus videntur impossibilia. Quem itaque supra humiles & vulgares impetus attolli volumus, ei læta indoles, generosi conatus, magni spiritus præferendi sunt.*

Verùm enimverò quæ vis, quæ necessitas Philosophum cogit, ut difficilimis susceptis itineribus sese in omnes totius Oeconomiæ mundanæ partes proripiat? Neq; enim Astronomorum Astrologorumq; decreta examinare, Meteorologicorum, Physicorum, & Herbariorum rationes colligere; Agriculturæ proceres, & metallicarum rerum peritos consulere, experientias & observationes eorundem addiscere, animalium naturas sedulò explorare, ac denique ista omnia principiis, Elementis & certis generationum & transplantationum legibus includere, vel omnia, vel singula tantis passuum ambagibus ad Medicinam ex prærogativo studiosæ alicujus investigationis merito quicquam conferre videntur? Agedum, AUDITORES, *quid est in Reipubl. corporis humani, quod non sparsim in majore illa totius Universi dispositione repositum elucescat? quid est, inquam, in mirabili structura mundi, quod homo in ergastulo suo non circumferat? Ex nihilo enim omnia, & ex omnibus homo, ultimum videlicet divinæ creationis Technurgema. Homo complexu suo omnia comprehen-*

prehendit, & ipse gerit omnia in se: Ex quo enim factus est homo, illud in se quoque continet. E mundo factus est, & mundum in se comprehendit, & a mundo comprehenditur. Magnus itaq; Mundus cum mundo parvo arctissimo unitatis & necessitatis vinculo conspirat, unde sapientissima antiquitas perspicaci consilio Hominem appellavit Microcosmum, longe alia & diviniori interpretatione, quam a multis hodie, crassa admodum & ignava negligentia pensitatis veterum mysteriis, fieri videmus. In Homine itaque tum Creatorem ipsum, tum universam Creaturam quiescere recte dicimus. Propterea; ad dextrè obeundum munus, in quo Naturæ-consultum Medicum eminere volumus, eum ad naturam bene movendam quicquam stabile perpetuumq; adhibiturum negamus, nisi probè omnia majoris Mundi opera cum minore conferre didicerit: nisi concatenatam pulcherrimarum rerum in superiori inferiorią; orbe, inter se conspirantium seriem hauserit, & divinâ quadam analogiâ perpetuo ordini subjectâ ad scopum, quem unicè sibi propositum tuetur, collineare noverit.

Posteaquam igitur Majoris mundi Oeconomiam deductis omnibus rationibus probè perscrutatus fuerit, cœlum & terram, & quæ in iis continentur, familiaria sibi reddiderit, tandem ad minorem mundum conversus in eodem illa omnia explorat, quæ anteà è totius Universi Oceano sparsim collegerat, simili planè & ad amussim mundanam recognita philosophia gubernans singula, tum ad conservationem tum ad restitutionem ipsius fatientia. Cæterum sicut prudenti quadam obstetrice, nobis dum nascimur, opus est; ita non minus fidelem quendam & circumspectum Thesea sibi Philosophus noster exoptabit, quando non absimilem Labyrintho hanc aream calcaverit: Usque adeò minus trita sunt vestigia: usque adeò asperrimis dissensionum salebris, iniquisq; inquietissimarum mentium criminationibus horrent omnia. Hic enim Spurio-Galeni i quidam, nescio qua fastidiosa

ſtidioſa rerum abſtruſarum nauſea præpediti, cùm in hoc certitudinis totius Philoſophiæ vitalis ſtadio ſe relictos intelligunt ab iis, quos felicior genius rectaq; mens per latiſſimos Naturæ campos inoffenſo curſu ad calcem duxit, quorum multi eo nomine hodie gaudent, ſimulatq; illos irriti conatus & improſpera vota torquere occipiunt, odiſſe & reprehendere in Philoſopho ſuſtinent, quod ſe aſſequi poſſe deſperant. Alii verò ex eadem tribu, quibus ne ad mediocria quidem ſatis roboris fuit, ab ingenio ſuo deſerti, tacita imbecillitatis ſuæ, conſcientia quaſi ſtimulo concitati; invidiam concipiunt, iis qui exacta eruditionis lege ſecretiores diſciplinas adepti ſunt, detrahunt, graviſſimis maledictorum aculeis illos laceſſentes. Qui Strychnum comederunt, ſua ſibi opinione belli & feſtivi, ſine rivali ſe amant. Inſolentiſſimos itaque iſtos veritatis hoſtes non moramur, neque in re tam eleganti, utili & neceſſaria verecundamur, pertinaci curſu Philoſophum Medicum urgentes, inq; ſuſcepta ſemel provincia non puerile tyrocinium edentes. Quid enim impedit, quò minus remotis quiſquiliis, ipſius naturæ humanæ nucleum ſolicitè perveſtigemus, ut certius fortiusq; fundamentum ad probè movendam naturam ex naturæ penetralibus hauriamus? In Homine per Analogiam totus Mundus quieſcit & repræſentatur: In Homine itaque non malè dicimus hoſpitari cœlum & aſtra, aeria, aquatica, terreſtria omnia. Cujus igitur flagitii arguimur? cujus infandi ſceleris inſimulamur, ſi ex ſimilitudine majoris mundi in hominis ſphæra Solem, Lunam, Saturnum, Iovem, Martem, Venerem, Mercurium collocamus? Si ſtellas Solares, Lunares, Saturninas, Ioviales, Martiales, Venereas, Mercuriales in ejuſdem firmamento ponimus? ſi inſuper ſtatas motuum leges, ſtataſq; temporum viciſſitudines ex iiſdem ſcaturientes deſcribimus? vel exinde fructus, ſanitatis morborumq; nuncios deducimus? Quid vetat fulmina, tonitrua, grandines, pluvias, calores, frigora, ſiccitates in exteriori & viſibili mundo, dicere

cere in interiori & invisibili mundo seu Homine Febres, Epilepsias, Hydropes, Catarrhos, Paralyses, Apoplexias? Quid prohibet asseverare metallorum & mineralium generationes & separationes in homine latere? Sic enim Cor, Cerebrum, Pulmones, Hepar, Ventriculum ad Auri, Argenti, Stanni, Ferri, Plumbi familiam referimus: Sic Lepram, Elephantiasin, Alopeciam, Scabiem, Morphæam, Cancrum; Victrioli, Aluminis, Nitri, Salis Gemmæ, Colchotaris, Tartari dispensationibus adscribimus? Quid obstat denique vegetabilium prosapiam ad Hominem accersere, ac infinitis modis in eodem distinguere? Sic enim, ut ex multis pauca enumerem, Urticam, Aronem, Flammulam, Pustulis, pruritibus, herpetibus: Melissam, Violas, Chamædrin, spiritui vitali in Corde, Cerebro & Hepate potissimùm stabulanti accommodamus. Et veremur adhuc universæ Naturæ latitudinem, omnes omnium propemodum creaturarum species & genera festivâ quadam, sed nimis vera applicatione in uno homine reperiri? Quousque formidabimus hunc pulcherrimum concentum, hanc formosissimam rerum omnium compagem in uno Microcosmo expressam intueri? Admirabimur potius ineffabilem Architecti nostri sapientiam, stupendâ planè potentiâ sui & totius creaturæ exemplum in Homine formantis, digerentis, occultantis, inque abstrusissimarum rerum cognitionem animum nostrum exinde deducentis.

Infinita propemodum, AUDITORES, *de his nobilitate Hominis dignis spectaculis dici possunt: verùm ad ea quæ longè omnium amplissima sunt, & proximè ad Naturæ-consultum Medicum pertinent, mea festinat Oratio. Vos ego obsecro, quando dum valemus de Medicina nos circumspectos esse convenit, & unusquisque rectius se perito, quàm imperito Medico commendari gestit, ne in requisitis illis ad efficiendum absolutum Naturæ-consultum necessariis, audiendis defatigemini: sic enim fiet, non solum ut quo æquum est animo erga*

erga Hermeticam familiam fuisse videamini, sed etiam quod de perfecto Naturæ-consulto Medico tractandum suscepimus, cognitum plane ac perspectum habeatis.

Sunt illa superiora satis ampla & præclara, sed quantò maius illud visum est supra, veræ Medicinæ perfectionem in Chymia contineri, tanto præstantius jam fuerit etiam ex eâdem omnibus numeris absolutam Philosophi Medici integritatem pendere. Si quid itaque proximè ad scientiam benè movendi naturam accesserit: si quid unquam potissima instrumenta ad hoc opus exequendum suppeditarit, id certe præstat ALCHYMIA*: à qua si alienior fuerit Medicus, næ ego ipsum insaniendo secreta naturæ contemnere, ideoque rebus ipsis latitantia omnipotentiæ divinæ miracula irridere dixerim. Quo flagitio prorsus sese exonerare nequeunt, qui gloriabundi hodie in scholis Acroases facientes tanquam inter Alcinoi subsellia, nil nisi sputa Aristotelis & Galeni eructare consueverunt: non tam refutatione quàm misericordia digni, quasi universus mundus reliquus, cumprimis verò Christianus, plus videre & experiri potis non sit, quàm duo viri Ethnici, qui in plurimis enormiter aberrarunt. Quod si istos præclarorum nominum ostentatores, desertos & exules aliquando eruditior orbis opprimat, quo quæso confugient, cui titulos suos probabunt? Repulsi & fastiditi oberrabunt, veluti ignoti ænigmatis nummi, quos illa tantum ditio probos novit, in qua signati sunt. Scarabæus potest ad interitum operi rotandæ pilulæ genialis invigilare: rosas quæ Veneri sacræ sunt, sine cruciatu & interitu sustinere non potest. Sed relinquamus istos fæci plebis conculcandos ridendosque.* Perfectus Naturæ-consultus Medicus Alchymia carere nequit: solus is hac una Dianæ lampade plus cernit, quàm vulgares Medici aperto Sole.

Præceptum est Hippocraticum, cedro, æternaque memoria dignum: In præparatione Medicamentorum, *inquit Cous Senex,* inuti-

inutilia ab utilibus separentur; utilia & efficacia quantum fieri potest, pura & emundata dentur. *Cur verò ita jubes, ô divine Hippocrates? cur præcipis abjici utilia ab inutilibus? Nimirum probè intelligebas, Naturam nihil puri nobis dedisse, sed omnia permultis, imò noxiis permiscuisse impuritatibus: sive id fieri credebas materiæ contumaciâ, in quâ elaborandâ, citius virtus exhausta fuerit, quàm ad finem pervenerit: sive statuebas id evenire propter externum impedimentum: sive ignorabas à lapsu primorum nostrorum parentum hanc labem intromissam: Quicquid id sit, cognoscebas sanè ex multiplici rerum & scientiarũ cæterarum usu, singulas artes populari seu quotidiano conatu, rejectanea semper amoliri, errataq; corrigere, ut natura in semetipsa quasi deficiens, hanc ipsam scientiam nobis ab infantia cognoscendam identidem inculcasse unicè videatur: Cujus rei Magyrica, Statuaria, imò celebris omnium artium manuariarum circulus fidem facit. Deinde verò, quia non male perspectum habebas, à principio seminario tam insito quàm analogo, ut emanant specierum omnium individua; ita & ab eodem proprietates omnes essentiales derivari firmiter statuebas, nullis tamen non utrinque concurrentibus Elementis, concretamq; essentiam primordialiter implicantibus. Sic enim fieri aliquid hominem vel bestiam; vegetabile vel minerale, seminario adscribendum esse principio, rerum omnium ab initio productarum monet generatio. Esse præterea aliquid nutrimentum, esse medicamentum, esse purgans, alterans, confortans eidem principio acceptum ferri debet: Ad horum enim constitutionem seu essentiam nihil omninò confert mera vis Elementorum, vel elementarium qualitatum. Hinc itaque cùm benè medendi scientiam ex iisdem fundamentis deducendam esse subobscurè quidem, sed non planè obliteratis vestigiis, in tuis elegantissimis scriptis signum dederis, posteri tui ejus rei nonnihil etiam lucis ab antiquioribus ca-*

pientes, Philosophiam vitalem elementari longè celebriorem habuerunt. Secundùm itaque præscriptum tuum occulta mixtorum investigando, abjectis Elementorum inefficacium quisquiliis, seu materiâ, ut Arabes vocant, conati sunt speciem, hoc est, astralem essentiam, formalibus proprietatibus fœtam eruere, ac apertæ luci exponere: non certè alius artis beneficio, quàm quæ ministerio ignis, res in involucris & matricibus Elementaribus absconditas producens ab essentiali succo ALCHYMIA, *à congregationibus verò & separationibus* SPAGYRIA *appellatur.*

Quicquid itaque, ô Magne Hippocrates, *posterior ætas in exercendo hoc tuo ad rectè benèq; medicandum saluberrimè concesso præcepto profecit, id operosiore tum admiratione, tum etiam curiositate mirificè amplificavit. Hoc saltem non est postremæ gloriæ, abs te primævam quasi Hermathenam literariam in triviis positam esse, quæ viam quidem, quò eundum sit, monstraret, sed modum eundi ignoraret. Neque verò postea desitum est adversus istas ignorantiæ nubeculas fortius dimicari, quin abundè Galeno, artem separationis anxiè desideranti satisfactum sit. Sic enim qui vivos & perennes latices, vase aut urna ampliore muniti adeunt, si multò plus aquæ hauriunt & asportant, nemini debet mirum videri, cùm inveniendi desiderio nobis à natura insito, magnam agendi cupiditatem & cognoscendi studium annectamus. Diligenti itaque & laborioso admodum conatu tandem à solertibus succedentium seculorum artificibus Chymicis deprehensum est, potestates omnes seu vitale illud principium, virium essentialium in intima mixti naturâ residere. Quin imò diruptis corticibus, & impuro à puro beneficio Vulcani, secluso, posteaquam ad simplicissimum perventum, illud oculis potiùs corporeis, quàm mentis triplici specie exhibitum est, ejus naturæ, ut sincerius nobiliusq; nihil in omni mistione dari possit. Vnde enata sunt* Tria illa princi-

pia

pia Chymica; SAL, SULPHUR, & MERCURIUS, *nominibus ex mineralium familia ad eadem vegetabilium & Animalium principia translatis: quia radices sint & fundamenta omnium in omni composito potestatum, nihil prius quod sit tale possidentium: usque adeò, ut eadem Principia jure quodam omnibus in toto mundo rebus adaptata sint, in membris etiam similaribus secundum potentiam existentia, nutrimenta & remedia, morbos morborumq; causas, venena & quævis noxia constituentia.*

Ab hac itaq; nobilissima utilissimaq; scientia Naturæ-consultum Medicum instructissimum esse debere par est: ut reverà existimem, Vulcani & Palladis matrimonium, olim ære expressum, & Athenis præ foribus curiæ positum, non tam significasse, quod arctissimum virtuti cum doctrina intercederet vinculum, quàm quod cum omnibus rebus quæ sunt, quæ erunt & quæ fuerunt, quæ Palladis apud Ægyptios olim extitit inscriptio, Vulcanus, hoc est, ignis, tanquam fidissimus interiorum perscrutator ritè copulari debeat: secus facturis non nisi quisquilia & putamina cum nucleis simul absorbenda restant. Insuper cùm necesse sit, Philosophum ad mistorum principia, causas & radices non solà mentis ociosà contemplatione aliquousq; penetrasse, sed eas exquisita firmaq; scientià veluti manibus palpasse: id verò sine feculentorum separatione nulli sensui contingat: de separatione autem puri ab impuro sola Chymia præcipiat, quotusquisq; non intelligit immutabili necessitate sequi, Chymiæ expertem nullo modo debere esse Naturæ-consultum Medicum: Nemo enim stipulari ausit absolutam rerum notitiam consecutum eum, qui dissolutionum momenta quovis modo eruta, nec suis oculis, nec reliquorum sensuum adminiculo hauserit.

Quamobrem ut Philosophus Professionis suæ metas feliciùs contingere possit, cætera quidem subsidia, quibus ad movendum

Naturam quasi tutelaribus DIIS *utitur, neutiquam negligit, à Chymia tamen, in qua potissimùm excellere eum magni prorsus est momenti, remotum esse crimine læsæ majestatis Naturæ non caret. Utinam, ô utinam osores hujus necessitatis, si illa ardua & magis abstrusa nolint, saltem hoc cogitarent, an si ipsimet morbis aliquando oppressi malint, crassarum & fæculentarum potionum, Oeconomiam humani corporis sæpè gravissimè lancinantium, confertos calices, ipsi Medico præscribenti formidabiles, seplasiario verò miscenti abominabiles, haurire, quàm minimæ quantitatis medicamentum omnibus impuritatibus, & corruptibili seu fœda superficialium Elementorum sentinâ liberatum sumere? aut si malint, velint tamen potiùs à repetita tot sordium exhibitione ventriculum lædi, in singultus, gravissimasq; syncopas præcipitari, quàm omninò sumptis suavissimis & ad nocendum inhabilibus pharmacis ab ejusmodi consequentium symptomatum Lernâ immunes esse. Tales suapte culpa faciunt, ut malos expediat esse, dum dici nimium se bonos student & benignos: atque ita fugiunt ne præter Casam; grande opprobrium passi ab innato, dum valent, ventriculi sui* ARCHÆO *seu* CHYMICO, *cujuslibet ingesti non improportionati alimenti, quod optimum est, separando sibi reservante, cæterisq; membris fideliter dispensante, quisquilias verò & fæces accersita expultricis potentiæ vi excernente. Tantò itaque acriùs in medicamentorum eruendas potestates descendendum ipsis fuisset, quantò securiùs postea sibi aliisq; opitulari decrevissent: quod sanè nemo rectiùs feliciusq; præstiterit Medico-Chymico, qui mortuum à vivo, deleterium à familiari ac utili, cœleste à terrestri sequestrare noverit; ut penes ipsum sit, Naturam vacillantem & vix spiritum trahentem, suavissimis efficacibusq; essentiarum viribus excitatam, pristino vigori, cooperante divinâ gratiâ, restituere. Tantum nimirum operæ, tantum virium situm est in re-*

cte

ctè intellecta pertractataq́; separationum arte; à qua solâ ad benè movendum naturam instrumenta propria seu domestica Philosopho Medico suppetunt. Quemadmodum enim olim ex Amaltheæ cornu, quicquid optabatur, id largiter suppullulabat; haud aliter ex Spagyricâ infinita bona identidem quærentibus quotidie sese offerunt.

Verùm enimverò quàm ego hic sentio, AUDITORES, *à multis mihi acerbam dicam scriptum iri, qui in Majestatem Medicam injurius, ausim Philosophum meum dignitatibus suis quasi spoliatum ad sordes Vulcanias ablegare! Siccine, inquient, tibi volupè est elegantiam Medicam contaminare? Siccine eam evertere gestis? Plura subinde & magis necessaria fatigant Medicum, ut operi Chymico haud intentum sinant esse hominem naturali rerum contemplatione, & diversissimorum morborum centuriis ad quævis momenta temporis hinc inde tam domi quàm foris propulsandis distractum. A tot seculis præterea consentientibus primariis inter se Medicis more, ceu lege aliqua, receptum est, dedecere manuum inquinamenta vitæ humanæ præsidem: dedecere digitorum à lutamentis favillisq́; pollutorum squalorem sanitatis magistrum. Non est, planè non est, ô boni viri, ut vos tam fastidiosè præclarissimæ artis Chymicæ fastigium aversatos crimine neglectæ naturæ liberem. Aristomacho Solensi parum præsidii ab eruditione solida partum erat; dum in natura muscarum investiganda, pulicumq́; saltibus metiendis sexaginta annos insumpsit. Non absimiles isti videmini mihi omnes, qui Medicum vestrum nihil penitus manibus operantem commentationibus solis, velut Ostrea Cochleis, alligatis. Hinc nempe calamitas nostro fundo Medico perperam exculto imminuit semper: nec est majus opprobrium objectum, quàm quod à Seplasiariis & unguentariis hæc pars Medicinæ injustè abrepta sit. Eam itaque dum postliminio ad pristinas sedes non*

redire fecerit seculum nostrum, nemo unquam posthàc perfectum experietur Medicum. Non est enim gnarus totius Medicinæ, qui unam ejus partem neglexit: nec totaliter potest Medicinam facere, qui juxta omnes partes facere nescit. Vetus illa benè medendi doctrina, eadem fuit & rectè præcipiendi & rectè Medicinam faciendi magistra: neque disjuncti doctores, sed iidem erant medendi præceptores atque Medicinas elaborandi. Chyron Phyllirides, ex antiquis haud postremus, herbarum vires primus detexit, eamq; suam peritiam in Æsculapium, quem informandum susceperat, transtulit. Irus Mermeri filius, Iasonis & Medeæ nepos, Ephyræ Thesprotiorum Medicus, Vlyssi toxica Pharmaca, ad prosternendas feras, illinendasq; sagittas, enixè quamvis roganti, subministrare noluit, veritus ne illis in hominum perniciem abuteretur. Melampus veratrum nigrum lacte caprillo maceravit, Prætiq; Regis filias à furore liberavit. Philo, Tarsensis Medicus, remedia ad usum Medicum à se affabrè facta concinnavit. Neque tamen vel unum ex istis, licet præparationibus Medicamentorum occupatum dimoveri se à contemplationibus & commentationibus passum esse constat: quantò minus hodie, qui simili modo utrique vacarent operi, nobiliores animi meditationes deponere cogerentur: quin potius iisdem jucundo admodum & felici elaborationis successu confirmatis, ipsimet sese in naturalium corporum intimam cognitionem magis magisq; proveherent. Deinde si Meditationis non dispudet Medicum, cur eundem operationis dispuderet? Quis enim manibus suis plus existimabit condonandum quàm animo, cùm hunc omnium scientiarum ignarum, illas verò rerum omnium expertes nemo velit: & quidni? manuum beneficio in rerum abstrusissimarum intima viscera sæpissimè pervenire licet, quò animo pertingere fas non est.

Quàm verò ocyssimè squillas è sepulchro vellicare jubebo teneritu-

neritudinis Medicæ patronos, manuum à luto pollutiones, vultus à cineribus & carbonibus infectiones, narium à fumis & favillis stimulationes aversantes, & nescio quam Vulcaniæ spurcitiem plenis buccis increpitantes. Tanti nimirum erat ob inquinamenta ista, si quæ sunt, fastidire Chymiatriam, & sicco quasi pede præterire, quæ longè abjectiora sordidiùs sensus Medicos afficiunt. Quid enim obscenius purulentiâ Carcinomatum? quid tetriùs bubonum halitibus? quid fœdius alvi spurcitie? quid quæso turpiùs urinis, mensibus, stercoribus, crepitibus, sputis & sudoribus? Et tamen Misochymicis nostris plausibiliora sunt, quàm superficiariæ istæ & leviter aspersæ maculæ, spongiâ & modico aquæ polubro facilè separabiles. Mirum profectò est, tantum valere vel inveteratũ odium, vel stultam inscitiam: quo utroque gravissimo malo æquè afficiuntur hodie vitilitigatores isti, ac olim Cives Cumæi, qui cum eximias porticus forum Cumanum cingentes, publicanis oppignerassent, in fœneratorum odium pluvio tempore imbrem medio in foro exiccare, & aquis omninò prolui, quàm se in illas porticus recipere malebant. Quasi verò dignius sit Medicum istis cadaverosis impuritatibus subjici, quàm in Naturæ Fano aliquid immunditiei à sordibus perpeti. Invictissimi olim Reges toto Oriente celebres, præsertim verò in Ægypto & Perside, cum Philosophis magni illius magisterii artem, hoc est, Alchymiam exercuerunt: neq; hoc nostrum seculum tam delicatos genuit nobis in Universo terrarum orbe Principes & Heroas, quos furnulorum, artis fusoriæ & destillatoriæ similiumq; liberalium machinamentorum pudet pigetq;: Et Medicus aliquis plebejus, cujus partes erant benè præparare medicamenta posse, majestatis suæ opinionem nitida cuticula tantoperè affectet? Credite mihi, AUDITORES, *quicunq; hoc externo ornatu accessionem quandam eruditionis & scientiæ sibi fieri somniant, idem faciunt ac si quis fœdissima specie Hylæ aut Hyacinthi*

nomen

nomen mentiretur, non tamen, ut arbitror, propterea Nymphis præda raperetur, nec ipsius occisi umbram Apollo in flosculum revocaret. Ego verò ut ab hac parte consummatissimum faciam Naturæ-consultum Medicum, non possum non ex præscripto Hippocratico ipsi soli, tum Medicamentorum, artificiosâ sapientiâ, quæ est ab igne, apparandorum, tum verò Medicatrinæ curam unicè commendare, quicquid etiam videatur aliis semper eadem chordâ oberrantibus.

Sed quem tandem invenièt exitum Oratio? Cur tandem molestus esse non desino? Agite verò non invitus vobis assentior, AUDITORES*, satis diu Philosophum nostrum in extrinsecus assumptis adjumentis exercui: Ipsius autem intererat, nullo modo rudem in iis inveniri, à quibus tanquam primipilis omnis exercitus totius Medicinæ duceretur. Ex pulvere itaq; Scholastico & septis Chymicis tandem aliquando futurum Naturæ-consultum Medicum educo, inq; apicibus Praxeos statuo: hæc est enim cardo ille, in quo universa illa Medici vel gloria, vel opprobrium vertitur: hæc est illa Rhodus, in qua saltandum, in qua sanandum, hoc est, natura per naturam movenda est. Hic sese infinitæ morborum myriades & immania monstra offerunt, ad quæ detruncanda fideli admodum ductore, Dei solius auspicio, velut altero Perseo opus est: Nam qui potuit ille aut non videndo Medusam truncare capite, aut videndo in saxum, ut cæteri, non obdurescere? Aversus Medusam, ne videret, aggressus est; ut videret, spectabat, quòd habebat, speculum Palladis: ea itaq; arte fecit, ut non videns videret Medusam impunè; eamq; falcato Mercurii ferro truncaret capite. Quid igitur? Medicus Naturæ-consultus non solùm absens omni morbo adesse, sed etiam non videns omnes affectus videre, cognoscere & sanare debet: utpote qui ad hanc cognitionem non Solis luce utitur, sed prudentiæ, quâ cum crescit, sine quâ decrescit omnis virtus medica. Oportet itaque*

ipsum

ipsum quasi in numerato habere morborum prosapias, causas, mineras, effecta, loca, differentias, species, quave his affinia sunt, ut recte cognito morbo cum suis fructibus, medicatio postea rectius institui queat. At verò si quid in universo Medicinæ complexu magnis & inexplicabilibus difficultatibus expositum est, id profectò est munus practicum seu Therapeuticum, tot senticetis, tot præruptis rupibus, tot gravibus anfractibus non aliunde horridum, immane & perplexum redditum, quàm ab ipsis Practicorum perpetuis digladiationibus, pertinacissimisq; litibus. De morbo enim morborumq; causis & accidentibus, eorumq; curationibus sermones instituentibus, quàm sunt omnia inter se dissidentia, quàm absurda nonnulla, quàm pauca ad Rhombum facientia. Animus profectò mihi horret, quoties cogito, quantæ hinc ad metam properantibus Medicinæ Candidatis devorandæ sint molestiæ, quantæ difficultates superandæ, certè non alia re, quàm sola morte terminabiles. Dum enim Practici hanc serram inter se reciprocarunt, hactenus triginta annorum centenarii elapsi sunt, neq; insuper penitus determinatum, quâ sententiâ perfecti judicii standum. Præterea jurgiis & disputationum plaustris effectum est, ut Medicina nunc castissimæ virgini, nunc impuræ meretrici penè æquiparari possit. In Scholis habet sese instar prostibuli vafri & arguti, quod cuilibet acutè disputanti accommodabile fucum facit: iis verò subblandientibus labiis mirificè verba dat, qui in Orchestris Acroases facientes discipulis suis in negociatiòne Medica absolutissimi videri gestiunt, si in theatricis illis congressibus invicti disputatores parietes & subsellia clamoribus repleant. Ubi autem ventum fuerit ad ægrotos, anxiis gemitibus, flebilibusq; suspiriis sanari desiderantes, Medicumq; inclamantes, ibi tandem flexili temeritate resilit, non obscuro argumento imposturas suas sponte detegit, & longo post se intervallo vocales Locutulejos relinquit. Illi verò pudore suffusi frontem caperant, & tanquam profunda agi-

tantes tum demum ratiocinando vident, se contumeliosè, velut ridiculos procos, falsos esse. Coram ægris itaq; nescio quam fabulam de unciis, scrupulis, pilulis, clysteribus, unguentis; aut cum astantibus de erroribus ægroti garrulas querimonias exorsi, tantisper ex composito moram nectunt, donec prostratis à violentia morbi viribus, ad occultandam infantiam suam, se nimis tardè accersitos, vel aliud impedimentum objectum esse, pomposè comminisci possint. O profligatam malè sartæ Medicinæ sortem! ô contaminatum desperabundæ praxeos curriculum! Quod si itaq; Apollo aliquis gravi huic & admodum inveterato malo remedium efficax invenire possit, is sanè omnium regum trophæis arcubusq; triumphalibus majus dignusq; opus præstaret.

Ego sanè ut ingenuè fatear quod sentio, vix dum modum reperio, quomodo Naturæ-consultum Medicum ab hac communi calamitate immunem redditum, in tutiorem felicis praxeos portum exponam: Aut si forsan nonnulla supersint, quæ ad hanc difficultatem tollendam maximum emolumentum afferant, hac tamen Oratione & hoc tempore omnia comprehendi nequeunt. Vt itaq; compendio utar, dicam breviter: Praxeos Medicæ longum & difficile iter est per præcepta; breve & efficax per exempla: magnosq; Medicos non tam schola, quàm Hippocratis contubernium genuit. *Naturæ-itaq; consultum Medicum in praxi ritè obeunda ad duos omninò scopos respicere velim: Primò optem eum ad imitandum comparatum esse: ut eos videlicet, quorum similis esse discupit, tota mente intueatur: neq; tantùm ad meliorum & præcellentium Medicorum normam, verùm etiam ad stultissimorum expertiumq; vastitatem inconcinnam & ineptias, veluti ad cujusdam speculi considerationem, omnes suas actiones dirigat. Vt enim aliàs Catonis Censorii testimonio stulti imprudentiâ suâ multum eruditis & sapientibus conferunt: docti verò & prudentes nihil stolidis*

lidis illis & ignavis prosunt: Ita in praxi Medica ritè instituenda insipientes Medici prudentibus non parum operæ præstant: evitandorum enim quotidiana in ipsis elucent documenta: Hi verò nihil prosunt illis, quibus in propaganda malitia nullus terminus figi, nullus pessulus rectè objici possit. Deinde denuò imperem ipsi, ut auxilia Medica, eorumq; genuinum præparandi modum à PARACELSO *&* CHYMICIS, *curandi verò Methodum Indicationum inventionumq; momento constantem ab* HIPPOCRATE, *recentioribusq; probatæ fidei & experientiæ Medicis repetat. Hoc enim pacto fiet, ut quemadmodum olim Admetus nunquam Alcestem in uxorem accepisset, nisi Apollinis & Herculis consilio ab illo Leonem, ab hoc Aprum, duas dispari genere feras uni currui eodemq; jugo junxisset, ita nullus mea quidem sententia verum legitimumq; sanandi modum assecuturum se speret, nisi* HIPPOCRATIS *&* PARACELSI *simul legitimus hæres fuerit, hoc est, nisi Veterem illam cum Nova Medicina conjunxerit. Illum enim tum demum deposcent hæc secula sapientem sanitatis conservatorem, strenuumq; morborum expugnatorem, qui* NOV-ANTIQUÆ MEDICINÆ *fructus decerpserit pulcherrimos; donec forsan imperscrutabili* DEI *providentia longè exactiorem diviniorem q; benè medendi artem, ex* TERRÆ PHILOSOPHICÆ AQUA CRYSTALLINA, ET IGNE RUBICUNDISSIMO *in unum centrum perenne & inviolabile coactis & unitis scaturientem, hoc extremo seculo; ut olim haud levibus indiciis densam tenebrarum abyssum, potestatis suæ igniculis diverberantem, posteritas nostra, si qua futura est, possessura sit.* Quid, cui, quando & quantum novit ipse DEUS: cujus nomen glorificetur, & in æternum sit benedictum.

Quid est igitur, AUDITORES, *ut tandem vela contraham, in quo occupatum Philosophum seu Naturæ-consultum Medi-*

cum

cum proposuimus, vidimus, audivimus, quod non totum eò unicè tendat, ut is vir prudens sit benè naturam movendi peritus? Primum enim fari, loqui, dicere, disserere, numerare, metiri, beneq; vivere discit: quorsum & in quem finem? nimirum ut aliquando loquendo, dicendo, disserendo, numerando, metiendo, benè vivendo instrumenta ad naturam benè movendam apta & accommodata sibi fabricet. At quomodo movebit naturam per naturam, nisi eam probè perspectam cognitamq; in creaturis habuerit? Ex Physicis itaq; intermedia hæc instrumenta ad benè movendam naturam sibi sumit: ut enim naturam moveat, sine mundo omnium creaturarum domicilio idipsum efficere haud potis erit. In mundo considerat mundum, tum illum superiorem & MAJOREM, *tum hunc inferiorem &* MINOREM: *quorũ invicem per omnia correspondentem Analogiam studiosè investigat; Arcana rerum beneficio Ignis scrutatur; Morborum naturas explorat, ut tandem ab ipsis Naturam aliquando valdè labefactatam, & tantùm non oppressam, per naturam moveat: Id quod cum dextrè medicando efficit,* NATURÆ-CONSULTUS MEDICUS non potest non esse vir prudens benè movendi naturam peritus. DIXI.

DISPU-

DISPUTATIONUM MEDICO-CHYMICARUM

PRIMA;

INAUGURALIS

M. JOHANNIS HARTMANNI, PROFESsoris Mathematici publici.

THESIS I.

Medicina universa ad actionem comparata est, ad contemplationem minimè: De rebus itaq; naturalibus subtiliter disputare, declamare, rixari, non est medicari.

HYPOMNEMATA.

MEDICINA *est ars:* generat enim quippiam. Phil.6. moral. cap.4. Ejusq; finis est opus. Scal. exerc. 1. s.3. Gal.1. de constit. artis. II. *Estq; ars benè medendi:* tota consistit in προσθ. ἀφαιρέσει. Hipp. de flat. Sanitatem conservat, morbos depellit. Aëti. III. Medicinæ itaq; vocabulum propriè refertur ad partem curativam. Gal. lib. num ratio tuend. san. ad art. med. spectet. IV. Ille est revera Medicus, qui τῶν καμνόντων θεραπευτής. Plat.1. de Rep. V. Tanti est exercitus, quanti est Imperator, ait Florus: *ita tanti sunt omnia instrumenta medica, omnes herbæ, metalla, succi, Magisteria, Elixiria, &c. quanti est Medicus: Hæc enim omnia non auxilia, sed tantùm auxiliorum materiæ sunt.* VI. Tunc autem auxilia fiunt, quando suam formam seu

naturam induunt, hoc est, quando in tempore, ac ut decet, Medici ea applicant. Gal. lib. 2. de alim. facul. & 6. Epid. com. 5. Aph. 1. VII. ἐκ δ' ἰδιωτικῶν ἐκ τῶν συγγραμμάτων γίγνονται. Eth. Aristot 10. *Et* Declamationes ambitiosorum opera, ociosorum cibi sunt. Scal. exer. 307. f. 20. VIII. *Nihil itaq; proficient speculationes, etsi ipsius Mercurii contemplationibus non cesserint.* IX. *Atq; hoc sumptum est ex Philosophorum Scholis.* [1] In arte salubrium facile est nosse mel & vinum, & Helleborum; itemq; ustionem & sectionem: at nosse quomodo hæc ad sanitatem adhibenda sint, & cui, & quomodo, ita difficile est ut Medicum esse. Arist. 5. Ethic. [2] Si quis noverit ea admovere corpori, quæ calefaciunt, & quæ refrigerant, & quæ alvum subducunt, &c. deinde pro Medico se talis gerat, interrogandus erit, num præterea sciat, καὶ οὕς τινας δεῖ, καὶ ὁπότε ἕκαστα τούτων ποιεῖν, καὶ μέχρις ὁπόσου, quibus, quando, quatenus hæc singula sint adhibenda: quòd si neget se hoc intelligere, certè is insanire, nec pro homine habendus esse videbitur. Plat. in Phædro. X. ὑπὸ γὰρ ἀδοξίας ἐξαζόμενοι μετὰ βαναυσίης ἀπατῶντες: Hi nimirum sunt qui Acroases faciunt, garrulitate sua imponentes. Hipp. περὶ εὐσχημ. XI. *Unde non nimirum est, quod Aristoteles de sui temporis Sophistis dixit,* οἱ ἀκερδάνεις κατὰ τὸ ἴσον συμβαίνουσι; *idem de hodierna Medicina revera prædicari posse.*

II.

Venena in corpus humanum agere certum est: sed qua vi, qua deniq; ratione agant, penè, ne dicam prorsus incertum: ut ut sit, natura venenorum ἀμφίσεαλος cladium humanarum excoctores dedocere vix potuit, quomodo vaferrimo ingenio venena etiam intervallo temporis enecantia non temperarent.

HYPOMNEMATA.

1. V*Enena, quâ venena, aut neutiquam, aut dubiè sensibus occurrunt:* eorum enim natura est obscurissima. Scal. ex. 33. sect. 2.

sect. 2. II. In intellectu verò medico nihil est quod non prius fuerit in sensu. Arist. III. *Experientia igitur usq; pernicies venenorum cognita fuerit, nullius tamen rationem, unde hæc vis deperdeat, absolutam reddere unquam potis fueris, quantumvis omnem hostilitatem adversitatemq;, vel qualitatibus primis, secundis & tertiis, vel toti substantiæ, vel formæ specifica annumeraveris.* IV. Sicut itaque in plerisque, ut vulpes elusa à Ciconia, lambimus vitream vas, ita hîc pultem non attingimus. Scal. exer. 307. sect. 21. V. *Venenorum itaq; propriè nulla est scientia; nisi* [illegible] in salutari illo occultæ proprietatis asylo, Scal. exer. 218. s. 8. *collocandæ sint.* VI. Cæterùm satis erat olim Neroni, coëgisse Locustam veneficam, ut coram se in cubiculo, quàm posset velocissimum & præsentaneum venenum coqueret. Suet. in Neron. vita. *At funesta gentium protervia fidem facit hodie à temperatis venenis differri mortes posse, suo tempore invasuras, ubi illæ minus expectatæ fuerint.* VII. Omnis actio sequitur potentiam agentis, & cōvenientem subjecti dispositionem. Philosophi passim. *Iis itaq; vel simul vel seorsim immutatis, immutatur etiam ipsa actio. Immutatur autem, quia ejus principia immutantur:* Potentia enim est principium operarum & affectionum, Arist. 7 Metaph. Scal. exer. 307. s. 16. *Et*, receptivum non recipit per modum imprimentis, sed per modum receptivitatis. Scal. ex Scholasticis exer. 16. s. 2. VIII. Ex actione porrò immutata oritur resistentia. Piccolh. li 5 de prim. mat. c. 18. *Ea vel est ab agente, vel à patiente, non quà agens aut patiens, sed quà immutatum: idq; vel* κυρίως, *vel* κατά τι: *illud includit resistentiam perfectam, hoc imperfectam: Perfecta impedit omninò, ne passio ab agente in patiens introduci possit: imperfecta quadantenus resistit; Pro diverso nimirum seu inæquali causæ efficientis, à qua resistentia pendet, virtute seu dispositione.* IX. *Exeamus jam ex hac scena in campum, ut propositæ veritatis lucem in aprico contemplemur.* X. *Venena naturæ sunt inimica; eaq; quàm pessimè agunt, tàm maximè noxia sunt.*

XI. *Eorum vis aut penitùs tollitur, aut suspenditur saltem, ut celeritati tarditas & præcipiti letho languor succedat.* XII. *Utrumq; causas suas habet:* [1] *vel ab imminuta potentia veneni solius artis Alexipharmaca opponentis beneficio.* Mythridates Bithiniæ & Ponti rex ab usu Mythridatii venenis omnibus superior fuit. Gal. li. 2. de Antid. Paul. lib. 5. c. 28. Plutarch. in Pompe. vita.

Perfecit poto Mythridates sæpè veneno,
Toxica ne possent sæva nocere sibi. Martial.

[2] *Vel à subjecto corpore ad recipiendum minùs apto, tam natura quàm consuetudine.* Cicuta Sturnis, & utriq; anui, alteri (de qua Gal. simpl. med. facult. lib. 3. c. 18.) alteri (de qua ex S. Empirico Mercurialis lib. 1 de venen. c. 5.) ejus xxx. ʒ. sine ulla noxa absorbenti, non fuit θανάσιμος. Cambajæ reguli filio, Scal. ex. 175. & puellæ Indicæ Alexandro M. missæ, Santes Ardoyn. ex Arist. lib. 1. de venen. c. 8 veneno enutritis illud profuit. XIII. *Resistunt ergò venenis tum Alexipharmaca, tum juxta naturam etiam consuetudo, eorumq; vehementiam vel elidunt prorsus, vel retardant.* A rabido cane commorsi non confestim, sed interdum benè longo tempore pòst in rabiem agitantur. Mathiol. ad Diosc. lib. 6. c. 36. Apud Scythas reperiuntur radices, quarum aliæ celeriùs, aliæ tardiùs interimunt: ita ut nonnullos tabe quadam paulatim consumant, Theoph. de histor. plant. 9. c. 15. XIV. *Quod natura itaq; facit in producenda venenorum pernicie, id æmulatur ars:* hæc igitur quemadmodum venenis interdum calcar adhibet, ut celeriùs operentur: Sic Amfiam cum Sesamo comestum celeriter & sine dolore interimit. Scal. exer. 175. ita potest aliquando frænum addere ut tardiùs. Valleriola lib. 3. locor. comm. c. 18. M. Attilio Regulo Carthaginenses venenum miscuerant, quod mortem in diem proferret, hoc est, ut viveret quidem, quoad fieret captivorum permutatio, pòst autem grassante sensim veneno extabesceret. Agell. lib. 6. cap. 4. *Atq; utinam hodie minùs cognitum*

esset

esset quomodo venena, etiam in multum tempus dilata internecione, temperanda essent, minus minusq; periclitarentur Magnates! XV. *Verum verò venena articulo temporis exquisito & certo definiri possint, difficultatis plena est assertio: Hoc constat ex Hermolao Barbaro*, viro incomparabilis doctrinæ, qui nihil non cognitionis sui sæculi ad antiquitatem referre conatus est, Scal ex.157. Aconiti radicem præparari posse, ut biennio tollat, anno, mensibus sex, tribus, duobus, uno.

III.

Prosapia morborum finita est: Novi itaq; hodie minimè generantur.

HYPOMNEMATA.

I. Accidentia suis in causis tecta diu latent, suscipiuntque furtim incrementa, ut sensus fallant: sicut & lapidis pertusio, quæ à gutta fit, & ædium ruina. Scal. ex 181. f. 19. II. *Sic igitur & morbi, quos ut repentinus insultus invehere videtur, ita non sine apparatuum antegressione à priscis observata subeunt pedetentim, donec absolvantur.* III. Non sunt in naturæ potentia species novæ, præter has quæ nunc extant. Scal. ex. 249. f. 1. Neq; nova entia videntur temerè in naturæ censum invehenda, sine manifesta necessitate. Scal ex. 61. IV. Raritas aut ignoratio facit admirationem. Scal. ex. 157. f. 3. V. *Minus & magis in morbis novitatem & differentiam non pariunt:* Hæc enim illa non suscipit. Aristo. 8. Met. c 10. *Et,* Accidens non reddit aliud, sed essentia alia reddit aliud. Zab. lib. 2. post. c. 12. contex. 77. VI. Incrementum itaq; & collectio magnitudinem & multitudinem potest apponere, sed subjectum de suo genere non emovere. Plut. in Symp. VII. περὶ δὲ τῶν ἀφανεστάτων, καὶ χαλεπωτάτων νοσημάτων δόξῃ μᾶλλον, ἢ τέχνῃ κέκριται. Hipp. de flat. VIII. Morborum enim omnium unus & idem modus, una species, & causa eadem. Hippoc. ibi. IX. *Morbus absq; causa nullus gigni potest:* Nihil enim est efficiens sui ipsius.

Ariſtot. lib. de motu animal. c. 5. *Et,* In rebus naturalibus nihil eſt ſine efficiente. Scal. ex 307. ſ. 27. x. *Neq; vis eſt ulla, quæ ex nihilo contra leges naturæ aliquid poſſit producere.* : Nihil enim agit ſupra vires proprias. Zabarell. de calor. cœl. c. ult. xi. Ex iis autem morbi enaſcuntur, è quibus vivimus. Hipp. de inſomn. xii. Neq; ſunt peculiaria morborum ſemina, ſed illorũ vitia reſpectu noſtri, noſtraq; in iis delicta naturam perturbant: Perturbationes autem diſcrimina habent ſempiterna, quæ novis ſæpenumerò efferuntur nominibus. Diogen. ap. Plut. Sympoſ. 8 q 9. xiii. Nomina autem ſunt ab arbitrio inventoris. Scal. ex. 293. & 266. Zab. 4 de Meth c. 21 ὄνομά ἐστι φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην. Ariſt. 1. περὶ ἑρμην. 2. xiv. Affectiones ſunt naturæ, quæ δημιουργεῖ omnia in morbis operatur. Gal. in arte.

IV.

Summum eſt Axioma, à ſummo Dictatore Hippocrate in ſcenam Therapeuticam introductum: τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰήματα. *lib. de flat. & 2. Aphoriſm. 22. Verùm illud haud ſtatuitur ut neceſſarium: Non igitur quod ſtatuat, ſed quod non ſtatuat, ſimul ſtatuitur & hoc: Sæpius ſimilia ſimilibus, quàm contraria contrariis curari,*

HYPOMNEMATA.

i. NEceſſarias Propoſitiones Ariſt. vocat eas, quæ ſunt de omni, per ſe, & univerſales. Zabar. 3. de Meth. c. 4. *Neceſſarium itaq; eſt quod aliter ſe habere non poteſt*, ſeu, quod neceſſe aliter poteſt. Scal. de cauſ. l. ii. cap. 166. ii. Nihil horum poteſt dici de eo quod eſt receptum in Medicorum Scholis: *Contrariorum contraria ſunt remedia.* Ammon. in introd. Porphyr. Non enim ibidem eſt eſſentialis, ſeu perpetua ac inſolubilis prædicati cum ſubjecto connexio. Zabar. d. l. & lib. 1 de propoſ neceſſ. c. 1. Secus quàm Gal. τῶν ἐναντίων ἐναντία esse debere contendit. de opt. Secta, & ad Thraſyb. iii. Artis medicæ finis unus, ſanitatis nem-

tis nempe consecutio, modi consecutionis sunt plures, lib. de opt. Secta, & lib ad Thrasyb. IV. *νούσων φύσιες ἰητροί*. Hipp. 6. Epid. sect. 5. Aphoris. 1. Aretæ lib. 1. c. de cura morbo. diut. Celsus lib. 3. c. 1. Gal. lib. 3 de cris. & 9. de plac. Hipp & Plat. & lib ad Thrasyb. c. 30 & 31. V. *τῆς φύσεως δ' ὑπηρέται ἰατροί*, ut sæpè repetit ex Hipp. Galen. VI. *Naturam itaq; adjuvare est mederi*, qua repugnante irrita sunt omnia. Hipp. de lege. Nec servari quis potest, nisi natura morbum superaverit; neq; perire, nisi natura victa sit, morbusque ea superior evadat. Gal. de tot morb. temp. c. 5. VII. *Medicamentum igitur respectu finis sui, ei quod in homine est secundum naturam, existit simile: illud enim promovet, ampliat, conservat: sic & temperiem servat, meatus aperit, & unitatem quam oportet, tuetur: Ut interim non negem, actionem naturæ in id, quod præter ipsam est, agentis, esse contrariam: ab illa enim hoc corrumpitur, abigitur, perditur.* VIII. *Intercedit itaq;, & ubi maximè contraria contrariorum remedia dicuntur esse, similitudo quæpiam viget: quam negare est vim inferre naturæ*: cujus potentia latè patet. Scal. ex. 15. IX. *Pergo ulterius*: Morbi oriuntur ex dissidio Principiorum. Hipp. de loc. in hom. X. *Principia sunt tria illa consequentia*, SAL, SULPHUR, & MERCURIUS: *Ea sunt consequentia, non Logica, sed in re, inq; natura cujusvis rei compositæ posita.* XI. *Id quod experientia omnium rerum Magistra, hujus seculi κορυφαιοδιδάσκαλος mirificè comprobavit.* XII. *Ea igitur quoniam omnium rerum compositarum principia sunt, etiam humani corporis, & remediorum omnium fuerint.* XIII. *At remedia ex majore mundo in μικρόκοσμον comportanda sunt*: sunt enim instrumenta Medica. Gal. de art. constit. c. 14. Hippocrates τὰ δέοντα vocat de arte. XIV. Cognitis verò Principiis morborum, facilè est invenire remedium. Gal. meth. med. lib. 1. & 7. XV. *Sic igitur Sal externus Sali interno: Sulphur externum Sulphuri interno; & Mercurius externus Mercurio interno συμπάσχοντα, singula singulis in eodem genere medentur.* XVI. Si-

mile

mile enim libenter it ad simile, tanquam pars ad totum, aut tanquam pars ad cognatam partem unionis appetens. Scal. ex. 105. sect. 2: XVII. *Hujus loci est Syllogismus Physiognomicus, quem Averrhoes eleganter Syllogismum Anatomicum vocat:* de quo Arist. Prior. 2. c. 28. XVIII. *Ejus enim vi Anotomia illa viva, seu conspiratio rerum naturalium inprimis extructa mirificè evincit curationem potiùs Similibus quàm Contrariis deberi.* XIX. *Syllogismi Physiognomici* κατασκευὴν *paucis cognitam, sed immensè utilem, placet breviter adumbrare.* XX. *Corpus humanum afficitur morbis:* ὅτι γὰρ ἂν λυπέῃ τὸν ἄνθρωπον τῦτο καλεῖται νῦσος. Hipp. de flat. XXI. *Morbi singuli habent sua signa: signa autem cognitioni inserviunt,* suntque τὰ ἐξαγγέλλοντα Hippocrati de arte. XXII. *Signa eadem reperiuntur etiam in remediis, quâ nempe illa à sapientissima natura* πολλαχῶς *ita signata sunt.* XXIII. *Sicut itaque unum unius morbi, ita unum unius remedii signum proprium & reciprocum est.* XXIV. *Sic igitur ex natura eorum, quæ sunt* πρός τι, *licet dicere: Hic Morbus est hujus remedii. Et: Hoc remedium est hujus morbi.* XXV. Verbi gratiâ: *Obstructio Pulmonis est Tussilaginis. Et: Tussilago est obstructionis Pulmonis.* XXVI. *Thema itaq; est: Tussilago est remedium obstructi Pulmonis:* Ratio: *quia gerit ejusdem signa.* Oportet autem signum secundum aliquid ei, quod ab ipso ostenditur, connecti. Gal 6. Aph. 16. XXVII. *Syllogismus Physiognomicus est ejusmodi:* Quodcunq; vegetabile gerit signa obstructi Pulmonis, ejus est remedium: Tussilago est talis. Ergô. XXVIII. *Hic Propositionis antecedens & consequens sunt* ἀντιστρέφοντα: *ea enim æquè latè patent:* secus unum unius signum non esset. Arist. d. 28. c. 2. Priorum. XXIX. *Hinc Canon I. In Syllogismo Physiognomico signum cum morbo & remedio vicissim retrò commeant.* XXX. *At Assumptionis partes non reciprocantur. Ea enim non æqualem inter se latitudinem habent.* XXXI. *Hinc Canon II. In Syllogismo Physiognomico signum reperitur in tota specie tum morbi tum remedii, sed non sola. Neq; enim omne*

quod-

quodcunq; signum obstructi pulmonis gerit, est Tussilago. XXXII. *Est quidem signum obstructionis pulmonis in tota specie hujus morbi: est idem signum in tota specie Tussilaginis: sed signum hoc non est in sola specie hujus morbi, neq; in sola specie Tussilaginis: reperitur enim tum in aliis morbis, tum in aliis remediis individuis. v.g. quibusdam mineralibus, in quorum tamen specie sola pariter non reperitur.* XXXIII. *Ex signis igitur remediorum naturas cognosci posse luce non eget meridiana.* XXXIV. *Atq; sic tandem eveniet,* quod Fernelius ex Euripide seriò exoptavit, ut res ipsæ cum hominibus colloquantur, & se quales sint explicent, procul amandatis artificiosis sermonibus de abd. rer. caus. lib. 2. c. 18. XXXV. *Tantum abest, ut felicitas destituat Medicum externis illis signis Anatomen internam consociantem, haudq; vulgariter demonstrantem, causas morborum è realibus & in rerum natura existentibus principiis, viribus & potestate ingenita,* Hipp δυνάμεις appellat, *ad sua effecta producenda pollentibus, dependere.* XXXVI. *Quia itaq; illa referta sunt essentiis, tincturis & proprietatibus* (quarum una cognitio res ipsas exercet. Fernel. de abd. rer. caus. d. l. 2. ca. 18.) *similiter jubent in morborum causas penitius, sicuti in silenos Alcibiadis introspicientes* ἐγθολομεῖν: *In iis nempe ad sui ipsorum seminumq; domesticas proprietates, confluentiarum & conspirationum causas genuinas dexterrimè confugiendum esse.* XXXVII. Nihil enim est in Principiato, quin vel actu vel potestate fuerit in suis principiis. Scal. exer. 307. sect. 20. XXXVIII. *Morbi igitur è quibus oriuntur, iisdem etiã curantur: Oriuntur autem è dissidentium Principiorum seminumq; essentiis, tincturis & proprietatibus. Ergò.* XXXIX. *Harum itaq; proprietatum natura extat similis: Exactè dico similem, non eãdem:* Similitudo enim non affert identitatem. Scalig. exer. 307. s. 16. XL. *Et quia illæ* περιόντες *aptæ sunt ad ablationem abundantium, & ad appositionem deficientium,* quæ προσθαφαίρεσις Medica est Hippocrati de flat, *quid vetat* ἀναμφισβητήτως *confiteri; Etiam similia similibus curari?* XLI. *At verò* δυσχεραίνειν παιδικῶς, *&*

 fasti-

fastidire id, cujus necessarius sincerusq́; usus vulgò ignoratur, nimis quàm curti natantisq́; judicii est. XLII. *Sed ne his tantùm angustiis similitudinem Therapeuticam circumscribere velle videar, præter evidentes historias totus apparatus Medicamentorum Purgantium in subsidium veniat.* XLIII. *Etenim ea* 1. *sive* ὁμοιότητι τῆς ὅλης οὐσίας *humores attrahant*; quæ Galeni & cæterorum fuit sententia: 2. *sive facultatem expultricem stimulent*; quod recentiorum est dogma: 3. *sive propter substantiæ similitudinem humores in corpore, vel quantitate vel qualitate augeant, unde alterius accessionis natura pertæsa expulsionem moliatur*; quod est nuper non improvidè natum αἴτημα: 4. *sive Salinis suis virtutibus, Mercurialibus, Antimonialibus, Arsenicalibusq́; spiritibus stipatis, excutiendi officio defungantur*: quæ Chymicorum è naturæ fontibus eruta sententia est: *sive qualitercunq́; inquam, evacuent, similitudo sibi potissimas partes, & quidem numerosius arrogat.* XLIV. *Sic igitur v.gr. Rhabarbarum & Scammonium* ἐξ ὁμοιότητος *lege biliosas febres curant, &c.* XLV. Hippocrates 5. Aphor. Juvenem εὔσαρκον æstatis tempore Tetano laborantem multa aqua frigida perfusum sanat: quod idem præcipit in Opisthotono. li 3. de morb. XLVI. *Sic* eidem vomitus vomitum curat: & Purgatio ad fluxum ventris appositum remedium dicitur lib. de loc. in hom. XLVII. *Sic* Galenum φλεγμονὴν gutturis simili medicamento excalfaciente & siccante curari posse, historica experientia edocuit. lib. 10. de simpl. medicam. facultat. XLVIII. *Sic* idem ut Hippocratis decretum 6. Aphoris. 31. experimento comprobaret, Ophthalmiam vini meracioris usu curavit. 6. comm. Aphoris. 31. XLIX. *Id quod postea* Aëtius Tetrab. 2. serm. 3. c 7. Ægineta lib. 3. de re med. c. 2. Et Philoteus in comm. ad d. Aphorismum asseruerunt. L. *Exempla similitudinis non do plura, quia* eorum plura quàm muscarum cùm calet maximè, ut cum Comico concludam. LI. *Unicum modò mirari subit, cur commentatores in d. Aphoris.* τῶν ἐναντίων, *ex eodem tanquam*

tanquam ex Maxima, & immediato Principio, ut vocant, dignitatem totiusq; Medicinæ fundamentum arcessant: nisi Principem Gal. inconstantiæ insimulare velint, Stationem contrariorum plusculum deserentem, & ad Opposita saltem provocantem. Meth. med. II. c. 12. LII. *Vnde nimirum postea τῶν ἐναντίων tyrannide aliquantulum mitigata, Doctiores in Oppositorum castra commigrarunt; pro oppositione qualicunq;, quantumvis parum distet, militantes.* LIII. *Vt minus ἀφιλόσοφον fuerit Argenterio, propter perlevem oppositionem in Diversis acquievisse: cum Opposita interdum Diversorum formam induere, eaq; nonnunquam Similibus obblandiri soleant.* LIV. *Sed de his satis:* Nec enim in re difficili, quando alii nodum solvere nesciunt, jocorum acie eum scindendum esse existimabam. Ex Scal. ex. 173. sect. I.

V.

Hæmagogum cæteris Medicamentis evacuantibus per omnia correspondens, si prudentissima natura negavit, saltem rem medicam non destituit, quomodo interdum, posthabita Phlebotomia sanguinem corporis partem lancinantem κατὰ τρόπον & τόπον educeret.

HYPOMNEMATA.

I. NAturæ scientia omni Medico necessaria. Hippoc. de vet. medic. II. Ea enim est corporum sapientissima. Id. de arte. III. Cùm itaq; Hæmagogum primò & per se reperiri non possit, Gal. de purgant. facult. *naturam ideóne accusabimus vel fatuitatis vel sterilitatis? absit.* IV. Natura enim nihil facit temerè. Scal. ex. 77. f. 5. Ideoq; semper facit quod optimum est. Scal. ex. 249. f. 2. V. *Sanguinem verò per alvum evacuare est jugulare hominem: Et*, Medicamenta quæ per venas intestinorum & ventris sanguinem dejiciunt, venenis annumeranda sunt. Gal. de simp. purg. facult. c. 4. VI. *Historia igitur* quam Gal. d. c. 4. d. l. de herbula sanguinem primùm, tum vitam profundente ab Herbario

quodam inventa, recenset, *inter fabulosæ antiquitatis particulas potiùs reponenda videtur: nec desunt rationes cur ita faciendum censeam.* VII. *An verò Iris copiosè sumpta sanguinem ducat*, quod Ruffus Ephesius lib. de Medicam. purgant. non ante multos annos edito, affirmare ausus est, *id ego illi ἀναμφισβητήτως assentiri nequeo.* VIII. *Constat tamen, neq; recens tantùm, sed & olim constitit, sanguinem corporis partem molestiâ afficientem, medicamentis simplicibus educi posse.* IX. *Sic* ex doctrina Archigenis apud Gal. 4. de compos. med. secund. loc. c. 8. Hyssopi Coma aqua simplici cocta, & nodulo tepidè oculo ὑπόσφαγμα perpesso adhibita, tam manifestè sugit sanguinem, ut linteolum ipsum sanguinolentum videatur. X. *E fide digna Epistola* P. de Osma ad Nicol. Monardum anno 1568. ex Peru scripta, *accepimus, Peruvianum quendam in Pasto Indos & Hispanos certo morbo laborantes* (Senibus etiam hoc auxilii genere usis, robustiori corporis habitu recuperato, quasi rejuvenescentibus) *juncturis membrorum, vel etiam aliis partibus morbosis succo herbæ cujusdam illitis, ac postmodum pannis confertim coopertis, sanasse; ab iis enim brevi elapso tempore sanguinem purum exundantem Indus detergebat, identidem inunctione repetita: Et verò herbam Indum nec prece nec pretio indicare unquam voluisse.* XI. *Sic* Moschus sincerus naribus admotus sanguinem illicò elicere dicitur. Scal. ex. 21. XII. *Sic forsan non ignotum est nemini, in pratis, & hortulis nostris herbulam, alioquin vulgarem, succrescere, cujus pauxillum naribus insufflatum hæmorrhagiam excitet, pro lubitu eam moderante prudentia Medica.*

VI.

Venas & arterias in toto humano corpore mutuas sibi operas tradere certum est: sic enim venæ arteriis sanguinem, hæ illis Spiritum subministrant. Est tamen haud inconcinnum ita inter eas partiri vices subsidiarias, ut omnem arteriam comitetur vena, sed non omnem venam arteria.

HYPO-

HYPOMNEMATA.

I. CErtum est τὸ συναναστομοῦσθαι ἀρτηρίας ταῖς φλεψὶ καθ᾽ ὅλον τὸ σῶμα. Gal. 6. usu part. 10. & 17. II. Ut vasis ipsis sit conspiratio quædam & materiarum conjunctio. 5. usu part. 2. III. Venæ sanguinem deferunt ad totum corpus. Arist 3. part. 4. Gal. 1. usu part. 16. & de differen. morb. 7. Arteriæ facultatem vitalem & sanguinem spirituosum ferunt. 8. plac. 8. IV. *Sanguis itaq; spiritus est materia, & spiritus vita quasi sunt & anima ipsius sanguinis.* V. *Idcirco* aliquoties usu venit, ut vena una duntaxat sauciata, non modò naturalis sanguis universus, sed unà vitalis quoq; effluat, ipso vulnerato penitus pereunte. C. Bauhin. Anato. lib. 4. c. 24. VI. Galenus ostensurus vasorum uniones asserit venis majoribus sectis, si totus sanguis effluere permittatur, consecutione & arterias evacuari: aperto enim cadavere sæpissimè cum venis etiam arteriæ sanguine omni destitutæ repertæ fuerunt. Bauhin. ibid. VII. *Caterùm in omnes partes sanguine nutriendas à provida natura necessarii ductus & canales dispositi sunt, per quos nisi sanguis feratur uno in loco concrescens ulteriùs non promoveretur: Est enim ille crassior, quàm objectas sibi corporis partes duriores & densiores penetraverit.* VIII. *Spirituum substantia subtilior est magisq; aërea; ideoq; magis penetrabilis, neutiquam suis destituta vasis, ubi per partes densiores cursum alioquin impedientes illi permeandum fuerit; sed facilè aliàs suo officio defunctura, ac sine vasis in partes exteriores carnosas & superficiarias insinuanda, ubi minus nempe ipsi à transitu periculum fuerit.* IX. Corpus enim humanum est σύμπνουν καὶ σύῤῥουν ἑαυτῷ, Hippocrati & Galeno. X. *Necessariò itaq; venæ ad omnes partes pertinent, arteriæ non item.* XI. *Arteria igitur semper sibi comitem habet venam, sed non vicissim omnem venam comitabitur arteria.* XII. *Idipsum est* quod Gal. ait: ubi vas arteriosum videris, ibi necesse est venam etiam esse: paucis tamen venis in corpore, quæ ad cutim pertinent sine arteriis divisis: id quod

accidit in manibus & cruribus, & iisdem externis atq; anterioribus potissimùm, quòd partes hæ positionem habeant minùs præcipuam, quàm internæ. 16 usu parti. 12. XIII. *Sed esto*: Galenus aliquot arterias sine sociis venis enumerat, in fine lib. de dissect. ven. & arter. XIV. *Easdem verò partes quorsum arteriæ protenduntur sanguine nutriendas esse quis negat?* XV. *Anatomicorum igitur novaculam unguemq; accuratum paulum declinans, iis etiam partibus venas saltem commodato dare non erubesco, quantumvis longius ab ipsis venis destiterint, quàm Galenica ἀκρίβεια fortassis postularit.*

VII.

Αντίσπασις, quæ in magnis vulnerum hæmorrhagiis fit per venæ sectionem ex parte vulneri opposita, naturæ inimica & noxia est: Non est igitur causa planè nulla, cur eam Fælix Wirtzius, *tanquam παροξύνουσαν minùs necessariam utilémve repudiarit*; lib. 1. c. 5. Chirurgiæ restitutæ.

HYPOMNEMATA.

I. Πᾶν γὰρ τὸ πολὺ τῇ φύσει πολέμιον: Et, τὸ δὲ κατ' ὀλίγον, ἀσφαλές. Hipp. 2. Aphoris. 51. *Et*, nimium quod est, offendit vehementiùs, quàm id quod videtur parum. Cicer. de Orat. II. Exhauritur cum sanguine vitalis spiritus. Gal. lib. de revuls. *Sanguis enim spirituosus est; inq; eo thesaurus naturæ reconditus jacet; Et*, in eo anima, hoc est, vita est. Valles. de S. Philos. c. 5. III. Τοῦ αἵματος præterea sunt γλυκεῖς ἰχῶρες. Paul. lib 1. c. 100. Illi verò sunt ὄχημα τροφῆς. Hipp. lib. de alim. IV. Immodicè ergò missum sanguinem, ut vitæ periculum non subsequatur, tamen 1. virium resolutio: 2. habitus corporis deterior: 3. temperamentum frigidius redditum: 4. decoloratio totius corporis: 5. Lapsus in morbos diuturnos & exitiales, certissimè concomitantur. Gal. 9. meth. medic. c. 10. V. A sanguinis igitur detractatione abstinendum, ubi bonus sanguis exiguus est. Gal. 4. de sanit. tuend. VI. *Scopus mittendi sanguinis in magnis hæmorrhagiis vulnerum præcipuus &* unicus

est, ut

est, ut impetum ruentis sanguinis cohibeamus, Tagaut. institut. Chirurg. lib. 2. cap. 4. tit. de sanguinis detract. in vulnerib. VII. *Sed noxia optimi sanguinis jactura, quàm multis sit subjecta periculis res ipsa loquitur: Cohibitio igitur ruentis tempestivioribus remediis felicius obtemperaret, sine injuria & dispendio tam pretiosi thesauri.* VIII. *Tutissima minimeq; fallax ejus reprimendi via, præter canones communiter observatos, continetur hac ἐγχειρήσει.* IX. *Vulneribus sanguinis sistendi rationes difficulter admittentibus, primùm aspergitor pulvis Emplasticus, superadditis pulvillis*, qui Græcis μότα dicuntur, *eodem pulvere aspersis: qui sic habet.* X. ℞. Victrioli exicc. ℥ j. pilor. lepor. minutiss. incis. Olibani, Myrrhæ, Tragacanthi an. ℥ ß. Musci Fagini, ad pond. omn. Aloes ʒ j. sanguin. ovilli rectè præparati, ranarum aquatil. rectè præparati an. ℥ ij. Misce. F. Pulvis. XI. *Deinde applicator Emplastrum alutâ vel vesicâ exceptum, & triduo non solvendum: quod sic habet.* XII. ℞. resinæ larignæ ℔ ß Tereb. comm. ℥ ij. Masticis ʒ j Succini citrini ʒ ij. Croci Martis igne reverberii concinnati ʒ j ß. M. F. Emplastrum. XIII. *Quod si ab arteria simul dissecta majus periculum imminet:* continuò enim copiosum sanguinis profluvium supervenit, vulnusque glutinari vel difficulter, vel prorsus non potest. Gal 5. Metho. med. *funiculo serico* (ut ibid. Gal. vult.) *primùm constringenda est arteria, postea cavum ulcus pulvere Victrioli ad flavedinem exiccati replendum, ac decenti ligatura Emplastro Diasulphuris* (quod ℞. Balsami sulphuris ℥ iij. ceræ ℥ ß. Colophoniæ ʒ iij. Myrrhæ ad pondus omn. M.) *in plusculos dies cooperiendum.* XIV. *Tandem ut omnis putredo arceatur, membrum affectum linteolis madidis ex calido lixivio infusionis Lapidis salutis, quem vocant, aliquando fovendum.* XV. *Lapis salutis fit* ex Alum. Myrrhæ an. ℥ iij. Victrioli albi, Anathron, Cerussæ an. ℥ ij. Thuris ℥ j. Boli Armeni, æruginis. an. ℥ iiij. simul tritis, & Posca q. s. ebulliendo in lapidem coagulatis.

ΠΡΟΣΘΗΚΗ.
CHYMICO-THERAPEUTICA
Doloris Colici.

THESIS PRIMA.

CVrationem doloris Colici, à causis qualibuscunq; profecti, inprimis desiderat morbi vehementia: siquidem cum introivit, & portis se intulit, modum à captivis non accipit.

2. *In eo enim Principiorum proprietates sunt potentes, acutæ, subitò penetrantes, vaporosa aciditate continuas partes inficientes.*

3. *Nimirum illæ radices & mineras suas in intestino pleniore pro centro possident, corporeâ & consentaneâ continuitate loci circumventæ.*

4. *Exinde aliquando spirituosos vapores tanquam peripherias ad certam distantiam, secundum mensuram potestatis suarum radicum ejaculantes, sæpius vicinas partes, potissimumq; eas in quibus confluentiam inveniunt, affligunt.*

5. *Sic enim regiones renum & vesicæ mucilaginibus Tartareis infertas, impressiones spirituum ex minera Colicæ prodeuntium ad Paroxismum Nephriticum irritant.*

6. *Ex iisdem nempe impuritatibus, gradibus duntaxat separationum & exaltationum differentibus, Colicæ & Nephritides proficiscuntur.*

7. *Hinc mirificè dolores utrinq; vigentes consentiunt, peritissimis Medicis nonnunquam circa eorundem dignotionem hallucinantibus: ceu de seipso* Gal. lib. 2. c. 5. & lib. 6. c. de locis affect. *profitetur.*

8. *Pari ratione in ventriculi Oeconomiam Colicorum impressiones impetum facientes, nauseam, vomitum, ructus, aliaq; symptomata excitant.*

9. *Præterea in severioribus Colicis, ubi tincturarum potestas eminentior est, spiritibus vitalibus graviter infectis cordis & arteriarum mo-*

rum motus debilitantur: ubi sanè palpitationum creberrimi insultus horrendas animi syncopas metuere jubent.

10. Ac quod omnium molestissimum est, posteaquam sæviores Colicæ succedente tempore resolutiones spirituosas iisdem facultatibus tincturarum præditas emiserint, in σπασμὸν seu contracturam artuum abeunt.

11. Hæc itaq; tot tantarumq; impressionum monstra cùm radices Colicas vel sigillatim vel confertim concomitari soleant, Medicis ferias haud concedunt, neq; justitium indicunt: quin illi auxiliari ne differant, cùm semel pereunti nulla postea suffragia prosint.

12. Celeritatem igitur ubi medicamentorum jucunditate & securitate temperarint, næ illi scopum suum rectè assecuti videbuntur.

13. Quam sanè Asclepiadæam cynosuram quia quibusvis in morbis σύντομος ἰατρικὴ inprimis observandam præcipit, non reformidabo hanc semitam desiderantibus certissimam Hermathenam figere, ubi nunquam impingere possint.

14. Mineras seu radices Colicas plerunq; fovet alvi diuturna obstructio: Ea igitur ubi prævaluerit, antequam reliqua fiant solvenda.

15. Solvitur Enemate ex rebus ingenita principiorum proprietate σκύβαλα emollientibus, in hunc vel similem modum præscripto: ℞. Juris pisorum ℥ vj. Extracti Esulæ ʒ j ſ. Bulliant simul: colaturæ adde olei sem. lini ℥ iiij. Salis gemmæ ʒ j. Salis comm. ʒ ſ. M. Injiciatur moderatè calidè.

16. Ejectis ventris impuritatibus expeditæ ejus laxitati resistentibus, si supersit dolor Colicus (solet enim ubi hac prima operatione is planè non sopitus fuerit, saltem mitior evadere) ab aliquot horarum intervallo, vel statim, non impediente nimirum alvi duritie, hæc potiuncula absorbetor.

17. ℞. Spiritus vini optimè correcti ʒ j. Spiritus Nitri ʒ ſ. aquæ fontanæ tepentis ℥ iij: ægro stragulis benè cooperto sudores aliquandiu provocantor.

C 18. Eve-

18. Eveniet videlicet universum penè corpus Medicamento perreptante, sudoremq; copiosum foràs ejiciente, confestim morbus solvatur, & dolor evanescat.

19. Hac amicabili igitur ἐξεργασίᾳ proprietates Principiorum Colicorum acutissimæ resolvuntur & expelluntur.

20. Vt jam nulla opus sit demonstratione luculentiori, quãobrem Spiritus sitientes, liquores altiores similes ex eadem familia, aquè maturos, exaltatos, & ad extremitates ductos, ut Hipp. loquitur, *desiderent.*

21. Sic igitur dolores Colici ex spiritibus sitientibus, ac congeneres similesq; liquores requirentibus progeniti sanantur.

22. Postea quam enim illi eo ipso, quod cupiditatis æstro avidissimè perquisivêre, potiti fuerint, mitigata ferocia confectisq; suis decursibus, per sudores, nonnunquam per urinas aliasq; insensiles transpirationes resolvuntur: cæteris impressionibus, ab ipsis in vicinarum partium Oeconomiam factis, subinde vel sponte suâ elanguentibus, vel convenientibus instrumentis eliminandis.

23. Id quod faciliùs pleniusq; fiet, si post exactam tam atrocium hostium immanitatem, reliquiæ impedimentorum pariter exturbatæ fuerint: ad quas finaliter expellendas vix dici potest quantum conferat extractum Hellebori nigri veri, artificiosè elaboratum.

24. Cæterùm solent severiores Colicæ diuturnitate temporis, vel etiam sæpiùs repetitis circulationibus gravissimæ, aut omninò nullis vel parum commodis medicamentis solutæ, in extremitates corporis coloniam ducere, quam Contracturam ex Colica vocant.

25. Hæc μετάστασις olim non infrequens fuit Britonibus: hodie pluribus familiaris est in Franconia, Buchonia, Austria, Rhetia & Alsatia.

26. De modo, quomodo nempe fiat, dissidentium opinionum nolo esse παραστάτης: hîc tantùm ubi de ejus θεραπείᾳ non inidonea forsan adjecero, brevissima Methodo πάσχοντες ex Colica ita curari posse, edico.

27. Vehementioribus evacuationibus hîc longè valere jussis, cumprimis

primis utile est extractum Senioris nigræ veræ, vel extractum Esulæ justa dosi exhibitum.

28. *Satis enim ipsum fuerit ad saburram in ventriculo & intestinis hospitantem, eliminandum, & subsequentem curam tutiorem reddendum.*

29. *Ea adhibitis cæteris ad θεραπείαν necessariis, interna est, & externa.*

30. *Internè quotidie in conveniente liquore, jejuno stomacho* spiritus Tartari guttæ xx. vel xxv. *exhibentor: ac ab eo medicamento tertianis quandoq; sudoribus provocatis, sæpiùs eodem die rotulæ sequentes devorantor.*

31. ℞. Aquar. lilii conval florum Lavend. an. ℥ iij. Sacchari albiss. ℥ v. coquantur invicem ad perfectionem exactam; deinde remotis ab igne, & diutius pistillo agitatis addantur olei succini rectificati ℈ j. Essentiæ salviæ ʒ ij. F. s. a. Rotulæ.

32. *Externè membra παρειμένα primùm asperiore linteo fricantor, deinde spiritu Tartari asperguntor, tandem Balsamo Galbani Terebinthinato inunguntor: eaq; singulis diebus ter repetuntor.*

33. *A qualibet inunctione radices Symphyti majoris in aq. fontana ad pulticulam decoctæ, linteóq; in formam Cataplasm. superinductæ inunctis membris calidè applicantor: cætera Naturæ committuntor.*

34. *Mirum certè quantum famæ & felicitatis ab hac cura expectandum sit Medico, si singula judicii dexteritate præmensus, sese neutiquam extra hos carceres exerceri passus fuerit.*

35. *Spiritus Tartari:* ℞. Tartari albi ℔ iij. destilla igne libero per cornutam foris loricatam phlegma & oleum fœtens, cōfertim prodeuntibus spiritibus albis densis: ablato oleo, spiritum aliquoties à Colchotare renovato per alembicum destilla, ut deponat ἐμπύρευμα: quem tandem cum spiritu vini aliquandiu circulatum, ac vicissim ab eodem compari beneficio destillationis liberatum efficacissimum Tartareis oppilationibus interio-

 rum

rum exteriorumq; viscerum demulcendis remedium reserva.

36. *Balsamus Galbani Terebinthinati.* ℞. Galbani ℔. ſ. adjice olei Terebinthini clari ℔ ij. exceptum utrumq; cucurbitâ vitreâ lento calore macera per unam atq; alteram septimanam: postea destilla per Alembicum. Liquori destillato adjice olei Lavendulæ ℥ j. & destillationem repete: Elicies Balsamum generosum: quem si denuò spiritu vini adhibitis circulationibus correxeris, penetrantissimum effeceris: alioquin etiam Colicis doloribus, cum Oleo Saponis Veneti foris umbilico illitum satis tutum futurum.

AUCTARIA.

1. *Poëta nullam injuriam fecit Medicinæ, quando eam 12. Æneid. artibus mutis annumeravit.*

2. Κύκλῳ διεργάζεσθαι, quod est ap. Veget. de veterinaria cap. 6 lib 2. *est ritè servatis omnibus à minimis remediis ad majora progredi.*

3. *Quam Aristoteli ingratitudinis maculam nonnulli inurunt, quia Hippocratis, cui tamen multa surripuisse, Galeno dicitur, nunquam meminerit, ab ea modò is liber evadit, & integritati restituitur,* ex 4. c. 7. de Repub.

4. *Epilepsiam, puerorum matrem, neq; Hippocrates, neq; Galenus, neq; forsan Avicenna, cui hodie id tribuitur, unquam appellarunt.*

5. *Sanguis nutrit deposita rubedine: Eum itaq; album dicere, non est idem, quod Anaxagoras de nive planè ἄτοπον produxit, eam esse atram.*

6. *Mercurius artificiosè præcipitatus Lui Venereæ & Pesti unicè medetur.*

7. *Morbo vernaculo revera vernaculum remedium extat: Sic argutè Hispanus quidam Gallici morbi curationem ex ipsius loci natali*

ab ipsa

ab ipsa usq; America petendam esse conjectatus, Guajaci usum in nostrum Orbem introduxit.

8. *Morbus Colicus & fuit & innotuit antiquitùs: alterius enim nominis potestati subjectus erat.*

II.

DISPUTATIO HERMETICA.

DE PRINCIPIIS RERUM NATURALIUM REALIbus: in quâ aperitur & monstratur via vera ad vitalem Philosophiam, adversus errores, & παραβάσεις Materialium, & Elementariorum Ambulatorum.

R. HENRICO PETRÆO SMALCALDENSE HESSO, Philos. Mag. & Medic. Studioso.

ΠΡΟΆΣΜΑ.

TURPE *est inventis frugibus glandes devorare velle: turpius ingenii libertatem servitute amisisse, & ex intellectu omnium dictatore alienæ libidinis mancipium fecisse: turpissimum derelictâ regiâ viâ lineâ rectâ ad centrum veritatis, & vitales provincias perducente per salebrosa, & plus quàm labyrinthea opinationum res, quæ cæcorum ac mulorum instar ad dubitationum peripheriam evagari, & in densa errorum vepreta quasi præcipitio ferri. Sed, Augustum est iter augustas Sapientiæ ad arces, ad Vitam, & Verum non data lata via est. Macti igitur, qui hujus tam felicis itineris comites esse desideratis, spretis & præteritis vulgarium de scholâ hominum rationibus, seu potius errationibus, & delirationibus, Deo Duce, Fortunâ Comite in Universitate Monarchici, & summi Professoris circumambulatoriè studeamus, & cœlestis veritatis cynosurâ, ac vitalis viæ hermathenâ ducti & docti ad ipsum Palladis templum curriculo contendamus. Speramus enim opportunitate loci perspectâ, sæpius iterato cursu tandem aliquando nos ad aureum Reginæ solium penetrare, dulcissimo Deæ aspectu, ac mellitissimo osculo*

mo osculo frui, ipsiusq́; permissu sopito Dracone pervigili aurea mala in floridis Hesperidum hortis decerpta reportare posse. Sed priùs quàm itineri nos demus, sacramento interposito caveamus, ne illibatam à seculorum exordio Naturæ virginitatem temerè profanemus, aut satrum canibus, porcis margaritas projiciamus, aut nobile nectar stercoribus infundamus: quamvis pœnæ Actæonis nobis non sint admodum verendæ.

Occupet extremum scabies: mihi turpe relinqui est. *Horat.*

ΠΡΟΑΎΛΑΙΟΝ.

At quis afflatus æthereus tam subitò mentem percellit, & ad sublimia raptat? quæ fulminea ista vox? procul hinc, procul ite profani: frustra Naturam adit, qui Pana non attraxerit: fures & latrones posticum ingressi de Principiis sine Principio, de Deo sine Deo loquentes. Prostrati igitur corporibus, sublimatis, & exaltatis animis in aditu preces, & ἀρὰς huic aræ imponamus, & in limine salutemus eum qui solus ὤν, qui dat esse, nosse, velle, posse, ut respondeat nobis ex adytis: γνῶθι σεαυτὸν, imò Nosce Omnia.

Principium à IHOVAH, IHOVAH sunt omnia plena.

Principium ἄναρχον finis infinitus, primus motor immobilis; αὐτὸ δὲ est sacrosancta Trin-unitas, Vnus Verus Bonus Deus, Pater, Filius, Spiritus Sanctus: à cujus Vnitate: per cujus Veritatem, Intellectum; Sapientiam, Ideam, λόγον: in cujus Bonitate, Voluntate, Amore: ad cujus Bonitatem, Veritatem, Vnitatem sunt omnia, & ipse omnia in Omnibus, & nihil ex omnibus. Ipsi sit laus, honor, & gloria in secula seculorum, Amen.

ἉΓΙΑΣΤΗΡΙΟΝ SANCTUM SANCTORUM.

Nunc igitur posteaquam divinæ Lucis radius Cimmerias mentium tenebras discussit, & oculorum nebulas, ac cataractas abstersit, passis portis ingrediamur, & ne corporum spectra, & picturæ, quæ primò sese

sese offerunt aspectui, quod plerisq; accidit, animos essascinent, in ipsum sacrarium per scalam Jacobi *ascendamus, & intentâ ingenii acie, arrectis auribus, & illuminatis oculis opertanea sacra percipiamus. Exoravimus enim cum Sibylla Hermeta, qui divinâ virgulâ sublatâ pendigine seclusa commonstret, hieroglyphica mysteria revelet, enarret, atq; enucleet. Hem, quid audio? audire mihi videor efficacissimam* Omnipotentis vocem *omnes angulos totius rotundæ machinæ personantem: animadvertere videor vestigium quoddam* Ruah Elohim *incubantis aquis, totamq; molem agitantis: videre videor internum ac invisibilem illum solem: quæ lucis opima vis: quæ fax, & purissima lampas oculos præstringit? qui flos naturæ: quis balsamus odore fragarantiss. nares ferit? qui calor insolitus totum corpus momento pervadit, & suaviter recreat? quid materia illa perlata, & crystallina sibi vult? quid manna illa cœlestis? quid linea illa viridis ubiq; radians, & gyrans universum? ô benedicta viriditas! ô jucundum spectaculum! ô delitiarum domus puriss.! ô regium immortalitatis palatium! ô* ἱερὸν θεῶν, *& tabernaculum cum hominibus! ô sancta Ecclesia Catholica! ô quieta, ô beata Respublica! O Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum! Quis expleri, & satiari, quis dona tã divitis naturæ effari queat? mirari, non rimari licet. Tu vero, mihi Hermes, agedum dic nobis, quorsum tot altaria, tot icones, & monumenta, tot exedræ in cyclico hoc amphitheatro extructæ, tot nomina, & emblemata aureis hinc inde literis consignata sunt? Primum autem edissere, quid mirabile illud punctum in medio designat, à quo omnia emanare, & ad quod tanquam ad centrum omnia collineare videntur? Est hæc* prima materia *Philosophorum; quam creator incomprehensibilis sapientiæ admirando decreto in rudem olim massam imposuit: communis illa mater, fons vitæ inexhaustus: actionum omnium naturalium, generationum, mixtionum, transplantationum origo: quæ universam corporis anatomiam occupans pro diversitate tincturarum, impressionum, & confluentiarum diversas operationes producit: morborum omnium pepasmos, crises*

& sana-

& sanationes moderatur: ac digestis temporibus consumptis elementis ipsa ad novorum individuorum procreationem permanet. Hanc intelligit per universales Ideas, quas eximiâ mentis agitatione in Tim. prosequitur divinus Plato. Vbi verò abstrusa illa Peripati decantatiss. materia delitescit? putabam me versipellem aliquem Protheum, libidinosam Thaida, aut informe aliquod monstrum visurum: creditur enim ἄμορφος, ἀειδὴς, ἄποιος, sensum omnem subterfugiens, etiam judicii partem, solà analogiâ, atq; id ne vix quidem perceptibilis: perhibetur esse tenuissima, peneq; nullius entitatis (fortasse nullius veritatis) pura puta potentia, primum generationis subjectum, infinitum, & æternum. Ridiculum verò Eubulidis somnium narras, suave delirium, futiles & inutiles subtilitates. Peregrinum ignem inferunt, qui hunc fœtorem in hoc sacello adolent. Exesto ignavissimum malè feriati hominis cerebri, aut Cerberi figmentum, ens rationis irrationale, in Vtopiam, & Gehennam relegator. Mosis materia hanc planè extra naturæ limites proscribit: nostra verò est verum, & essentiale subjectum, formas omnes actu possidens, elargiens, & conservans, non abstractum quid. Verùm, ne cum larvis luctari videamur, aliò convertamus oculos.

Quid volubilis illa sphæra portendit? hæc est Sphæra Pythag. per omnes mundi partes æquabiliter diffusa, cujus centrum est ubiq;, peripheria verò nusquam: repræsentat autem interiorem illam Formam, *quæ in se continet omnes causas propriæ speciei, quibus suum sibi fabricat corpus, colores, sapores, qualitates, magnitudines, situs, conformationes, consensus, durationes, omnesq; signaturas tàm intus quàm foris inhærentes officiis consentaneas admirabili Scientiâ adjungit.*

En, quis Leo viridis nobis occurrit, cujus oculi inaccessæ virtutis igne scintillant? est hoc ipsum tincturæ donum, nobile germen, faciens res cunctas germinare: hoc est incombustibile sulphur, ignis sapientiæ, ignis naturæ *vivus, quem pulcerrimè describit venerandus senex Hip. in l. de diætâ, ubi inquit: Ignis omnia universim movere potest, aqua omnia per tota nutrire. Hæc verò duo sufficientia sunt cum aliis omni-*

bus,

bus, tum sibi ipsis. seorsim verò utrumq; nec sibi ipsi, nec aliis. Eundem ibidem triplices in hominis procreatione circuitus facere, &c. alimentorum attractiones, mixtiones, partium dispensationes, consentaneorum conspirationes, dissentaneorum expulsiones, &c. moderari: minora minoribus, majora majoribus (licet ἀπαίδευτον) adaptare, &c. luculenter docet. Hæc est πεπρωμένη Orphei, prædestinatio Parac. τὸ ἔμβιον τῆς φύσεως Theoph. Hoc lumen, & numen naturæ, hic spiritus æthereus in corpore plus quàm glorificato existens: Ignis, & Azoth sufficiunt. Quid varia illa Deorum simulacra, & insignia, Iovis aquila, Iunionis pavo, Neptuni tridens, vituli, ac pisces? quid suspensa illa mumia indicat? Est hæc mumia illa balsamina, data corpori pro sale, ne putrescat: hæc est arcana vis animæ, *corporis organici ἐντελέχεια: hic vigor mentis diversis Deorum nominibus insignitus, & in corpore non elementorum turbidis qualitatibus inquinato, sed puro, ac divino habitans: hæ sunt tincturæ radicales, & Cherioniæ, δυνάμεις* Hipp. *ζωτικαὶ* Naz. *vitales qualitates per totam viventis anatomiam sparsæ, omnibusq; membris benignitate suâ præsentes, quæ tamen in principalioribus concentrantur, & uniuntur, exindeq; ceu divite penu, reliquis vitam affundunt. Quid prædurus ille lapis, cui solis circulus auro splendescens incumbit, designat? Internum solem*, calorem nativum, *longè nobilioris prosapiæ, quàm elementa, proportione stellis respondentem ostendit, qui ex perenni circulatione spiritus vivifici sanguinis nostri fovetur. Hoc est* humidum illud primigenium, *oleaginosum illud, & aëreum, insito spiritu totius formæ custode, & propugnatore, nec non vitali calore perfusum. Hoc omnia vivunt, & vigent, mineralia, vegetabilia, animalia: illa quidem occultè corporum compedibus astricta, & hermaphroditicam Balsami naturam obtinuerunt: hæc verò spiritualiter, ac manifestè, in quibus actu plurima explicata sunt instrumenta, ideoq; solidam, ac homogeniam balsami naturam non admiserunt. Hoc est vitale illud sulphur, cujus extinctio mors est, hic est totius naturæ thesaurus incomparabilis, quo omnes omnium morborum curationes absolvi possunt. Hæc est tota substantia*

Gal.& substantia virtutum. Quem tandem immensa illa & vacua, uti apparent, spatia usum praestant? Vocantur haec elementa pura, *invisibilia, incorporea, quae tanquam loca, matrices, & domicilia vitali, validaq; potestate munita semina generationi destinata in abyssis suis, & orco Orph. fovent, digestisq; temporibus suscitant, ad maturitatem promovent, ac emeritis diversoria, ac receptacula concedunt immutabili quiete beata, idq; vi Verbi explicante unitam multitudinem, & imperscrutabili separatione singula locis, temporibusq; congruis adaptante.*

SANCTUM ΜΕ'ΣΑΤΑΟΝ.

Rediimus ad janum visorii, quam intravimus, transitum porrò faciamus in mediam τ̃ τειςῦγ contignationem, & pari animi attentione, quae hic peraguntur sacra, perpendamus. Cur verò pyramidis figuram exquisitè refert? hic quâ in angulum peracutum coit caelestium indivisibilitatem cono suo aemulatur: illic inferius basi suâ corporibus dimensioni, ac divisioni subjectis cohaeret. Quae, qualis, & quanta miraculosa ist haec lux, per patentissimas fenestras ubertim, & confertim infusa? scias hanc esse potentissimam illam lucem primo creationis die à Patre Luminum e tenebris productam, quae omnia vegetat, faecundat, vivificat. Hic est calor, & ignis ille caelestis, quem superficiarii philosophi quartum, aut quintum elementum, aut quintam essentiam constituunt. Eccur autem singulis vitris inscripta, & quaqua versum volitantia conspicio caducea alata? Denotant haec* Mercurium physicoche: *spiritum mundi secretum, & athereum Herme: quo agitur omnis in orbe spiritus, spiritum corporeum, & corpus spirituale omnia permeans. Hic ab omnibus stellis, & Planetis, quorum signa hinc inde depicta cernis, maximè verò à Sole nascentium patre, & gubernatore macrocosmi effluit, & à Luna ceu matre susceptus in sublunaria haec immittitur, qui omnibus sese applicans movet ea, prout moveri apta nata sunt. Sunt enim inferiora sicut superiora, & superiora sicut inferiora, Herm. Formae inferiores à superioribus foventur, & superiores inferiorum beni-*

gnita-

gnitate non destituuntur, Scal. subtilium subtilissimus. Philosophi antiqui in hoc choro medium *statuunt, quod est quasi non corpus, sed jam anima, sive quasi non anima, & quasi jam corpus copulans duo extrema, animam & corpus mundi. Hoc est cæli & terræ stabile conjugium, confluxus, conspiratio, consensus, maritatio, æterniq; hymenæi. Huic principii loco privatus lumine veritatis* privationem *suam substituit & obtrusit Aristoteles, quam speciosi istæ, si diis placet, philos. sectatores vivis scilicet coloribus perpoliunt*, ἀμορφίας ἀσχημοσύνας, ἀμετρίας, ἀναρμοστίας, ἀταξίας, *&c. Hæc portenta verborum & rerum hac in æde locum non habent: eclipses ejusmodi, ac defectus in mentis cæcorum istorum tenebrionum invenias, in naturâ minimè. Missam faciamus insanientem sapientiam*, ἀμετρίαν, *&* στέρησιν *sterilem, &* κακοποιόν.

Sed antequam abeamus, & ad alia pergamus, quæso, quid innumera hæc astra *ubiq; coruscantia significent, expedias? persuasum habebam hæc in supremo tantùm cælo circumrotari. Est hoc cælum inferius, in quo æquè ac sublimi astra infixa esse stata motuum periodi, & mirifica agendi potestas luculentè demonstrant, suntq; nihil aliud, quàm supra dicta* semina, *quæ in elementorum promtuariis, ceu patriâ sede habitantia essentiæ, vitæq; inæstimabili copiâ fruuntur, ubi nec sitiunt, nec esuriunt, nec aliis vim inferunt. Progredientia verò à fonte unitatis in hanc mundanam scenam, & veluti peregrè proficiscentia ex elementis sibi similia & domestica corporum principia fabricant, & elementa, ut externa vestimenta, asciscunt: quorum infelici commercio plurimùm perpetiuntur, partium distantias & extensiones admittunt, locorum infuetis angustiis includuntur, & temporũ tàm tardas revolutiones demitantur: Sunt itaq; astralia corpora utriusq; naturæ vincula visibilia invisibilibus connectentia, à quibus omnes impressiones, receptiones, repulsiones: omnes illecebræ sensibus insidiaturæ, omnia ornamenta corporibus obducta in mechanico processu generationum proveniant. Prout autem corpora ipsis obveniunt, ita individua perfectione, & fœcunditate differentia producunt, quæ in peregrinis matricibus deponunt (omnia*

enim ad humanam provinciam inclinant) & gratâ actionum vicissitudine se mutuò reficiunt.

ATRIUM.

Porrò, ne prolixis periodis involuti extra oleas, quod dicitur, vagemur, & eccentrici evadamus, retrogrediamur, & in transitu, quæ in primâ, imâ, & obscuriore delubri parte stabulantur, perlustremus; & ponderemus. Hoc primum eloquaris velim, quî fiat, quòd quadratam hæc extima habitatio formam obtineat? Quia tota elementaris est hæc regio, crassa, fixa, & ægrè mobilis loco, sicut basis, & fundamentum ædificii. Quid porrò tot cruces, & lineæ intersectæ portendunt? omnia in hoc nosodochio magno subjecta sunt cruci, mutationibus, corruptionibus: nihil hîc stabile, aut firmum: perspicis tamen, si rectè perpendis, interstitium, & maceriem principia vitalia & sanabilia ab elementis semimortuis, & desperatis dirimens. Sunt autem Principia vitalia, activa, & formalia corpora, seminum rationes, ac soboles, horumq́, instructa, & dotata proprietatibus, quarum vigore constantes post se tincturas relinquunt: suntq́, temperamentorum, & craseon, separationum, concoctionum, aliarumq́, actionum causæ propinquæ, absconditos agendi modos, & fontes aperiunt, & occultarum proprietatum, quæ vulgò inscitiæ asylum sunt, explicationem suppeditant.

Sed quid tandem? denuò Mercurius *nobis obviam fit: quid illi hîc negocii est in alieno choro, & foro? opinabar illum ad fores penitiores tanquam apparitorem, & internuncium Divæ excubias agere: sed quocunq́, oculos verto, in conspectum sese dat. Etiam hîc Dii sunt, at minorum gentium, & Planetæ multum à pietate, & præstantiâ parentum degenerantes. Contemplare Mercurium, Solis ille quidem, & Lunæ stemmate, & cognatione magnificè sese effert, affixam nihilominùs crucem malignam semper circumfert. Hoc autem nominis ☿ suo principio tribuunt Chym. veri naturæ venatores, indicantes per id liquorem illum acidum, rarum, permeabilem, aëream, ætheream, ac spirituosam substan-*

substantiam, formæ proximum instrumentum, vitæ pabulum. Hoc *reliqua duo actionum frequentiâ ad siccitatem, & senium in horas festinantia assiduâ irrigatione refocillat, & fluidâ, labiliq; substantia mixtionem faciliorem reddit. In hoc colores potissimum conspicui sunt.*

Rursum pyramis, sed cruci imposita apparet, quid illa? medium spagyricum princ. quod est sulphur, *declarat; id licet apice sursum se erigens, & jactans ignis affinitate superbiat, crucis tamen appendice elementorum admistionem prodit. Hoc est humidum illud oleaginosum, viscidum, caloris naturalis pabulum, mercurii & salis gluten. Odorum præcipua origo censetur. Procedamus ad quadratum illud schema, quod nunc oculis obversatur. Hoc 3. principii, puta* Salis *rationem & conditionem describit, quod, ut character ejus arguit, maximâ cognatione elementa, cumprimis terram attingit. Estq; corpus illud firmum, fixum, substantificum, priora duo in unum compingens, congelans, & cuncta solida reddens. Hujus beneficio cristalli congelatio, adamantis durities, metallorum robur, auri soliditas, ossium, arborum, & herbarum consistentia absolvuntur, ubi frigiditates nimis frigent. In salibus omnis generis sapores deprehenduntur. Galenici salsa humores vocant, domum pro Domino accusantes.*

Fallor, an retrorsum imus? an omnia invertuntur? pyramides basibus sursum erectis vertici insistere quî possunt? Aquam *hæ innuunt primum rerum elementum, humidum, insipidum phlegma, omni sulphure & mercurio destitutum, nullo odore, vitalivé aliâ virtute praeditum. Quid deniq; tot terrei tumuli, tot crania coacervata, & in ambitu sparsa portendunt? sepulcretum, & polyandrium hoc cœnobii esse arbitror? Indicant hæc* terram *illam absurdam, maledictam, arenosam, seu cinerem omni sale per aquarum lixivia exutum, caput mortuum: quod est alterum elementum siccum, grave, immobile, opacum, iners.*

Sunt ergò Elementa *corpora crassa, à seminibus remotissima, idcircò mortua, carentia arcanis, nihil nisi relollaceas, & passivas qualita-*

 tes possi-

tes possidentia, vilia, & servilia pecora; perenni fluxu generationibus inservientia, quas ob res meritò infimum subsellium occupant.

Attamen his toti inhærescunt profundi isti philosophi, rebus mortuis vitæ functiones ascribunt, corticem, & siliquas pro nucleo, vestem pro matronâ, aërem pro Iunone, ancillas pro Dominâ cum Penelopes procis cæco impetu arripiunt, & amplexantur. Ex quibus liquidò constat, quanto intervallo vera vitalis philosophia rudem, corpoream, & elementariam post se relinquat.

PORTICUS.

Sed ne curiositate Deorum offensionem & odium incurramus, Ductoremq́; ac socios defessos diutius detineamus, pedem referamus, hac tamen lege, ne obliviscamur τοῦ γνῶθι σεαυτόν. Ei igitur, qui est α. & ω, pro accenso phosphoro gratiæ gratias agimus immortales, rogantes, ut imposterum regat, & confirmet nos in veritate suâ, & à viis lubricis immundi mundi, ne vacillent, labascant, aut offendant pedes nostri, abducat. Porrò Hermeti nostro vitulum labiorum mactemus, lac & mel sinceri pectoris offeramus; linguam præconiis sempiternis consecremus.

EPILOGUS.

Vidistis nunc, ô syndromi lectissimi, regium Deæ templum: vidistis megistanas, sacerdotes, virgines à cubiculo, à secretis, stipatores, operarios: vidistis scrinia, vestimenta, & tegumenta, quibus obnubitur mortalium cœtus ingressura, ut tueatur se à profanorum, & stultorum conspectu. Quantacunq; hæc strictim quidem per transennam, at non sine ineffabili voluptate vidistis. Reginam verò ipsam, ipsum conclave secretissimum, ejusq́; Balneum, & nudam sine veste Dianam nondum vidistis, quæ si nuda à vobis cerneretur, quin incredibiles sui amores excitaret, nullus dubitarem. At enim pudicissima virago haud facilè conspiciendam se præbet, neq; indumenta deponit, si non solerti separationum artificio detrahantur. Proinde non nisi exercitatis Artificum sen-

sibus

sibus repræsentatur. Nobis autem, qui arcanorum mysteria adumbratis sententiis & mysticis vocibus, & signis diligenti negligentiâ Lesbiâ regulâ adhibitâ involvimus, ne quis temerè novitatis, arrogantiæ, aut invidiæ notam inurat. Antecessorum laudabilibus vestigiis primâ hac vice insistendum erat, qui instituta viventis Philos. sub fabulosis involucris occultârunt, & discipulis juratis præcepta obscuritatum pleniss. proprio sudore enucleanda quasi per manus tradiderunt. Cum autem fatale tempus, quo veritas ejus filia emergat, ac illucescat, accompletum videatur, dabimus dehinc & nos nostro loco, & Marte operam sedulò, tum in hujus disputationis cursu, tum in subsequentibus, & ἐσομέναις contradictionibus τὸ τῶν φάρμακον adhibeamus, gladio Delphico perplexos nodós dissecemus, & rupto Pythagorico silentio Eleusina sacra pro captu capacibus palàm faciamus, Oedipo adducto, qui Sphyngis ænygmata dissolvat, candidis & incontaminatis ingeniis desiderium expleat, satisfaciat, & brevis temporis usuram patienter concessam grandi fœnore compenset.

III.

DISPUTATIO JATROCHYMICA TERTIA.

Resp. M. SAMUELE GENTERSBERGERO Bipontino Westriaco.

THEMATA PHYSIOLOGICA.

1. LIEN nequaquam *melancholiæ (quæ à Galeno 2. de facult. nat. cap. 9. 2. de temp. cap. 3. & 14. Meth. c. 9. gravi & terreæ fæci vini assimilatur, & lib. de atra bile cap. 6. in vino fæci & ἀμόργην in oleo [illegible] esse docetur) receptaculum à natura destinatus est: quam ipse attrahat, & ad sui nutritionem elaboret: id autem quod alimoniæ ineptum est, in ventriculum abstrudat: ut sua aciditate astrictoria ventriculi actiones roboret & ὄρεξιν excitet.*

2. Lienis

2. *Lieni melancholicus succus, quem hepar fastidiens revomit, nutrimento non est: sed tenuior sanguinis portio. Id quod ex Galeno 4. de usu part. contra Galenum demonstrari potest.*

3. *In sectionibus nullus lienis sinus, nulla capacitas deprehenditur ad excipiendum tam crassam, lutosam, glutinosam è massa humorum melancholiam. Venæ quinetiam rami splenici adeò graciles sunt, ut Hipp. lib. de carnibus illas potiùs fibras; quàm venas indigitet. Cùm tamen receptaculum capacius & meatus melancholicum succum eò deferentes ampliores pro humoris proportione jure meritò esse debeant. Natura enim ordine & proportione quicquid meditatur efficit. Aristot. 8. Phys. context. 15.*

4. *Phocylides monet,* μὴ πίστευε τάχιστα; πρὶν ἀτρεκέως πέρας ὄψει. *Humor itaq; melancholicus cùm ne quidem ab oculatissimis Anatomicis vel in liene vel circa castrum illius conspectus unquam sit, contrarium statuentibus assentiri nos haud decet.*

5. *Cum actionum viscerum* λειτουργία *organis attractioni servientibus, necessariò excretioni destinatis contraria in magnitudine requirat: Lienem neq; in ventriculum feces melancholicas amandare putamus, quippe in quem nulla notabilis & tàm crassæ materiæ atq; adeo ineptæ deportandæ via congruens desinat.*

6. *Præter generalem lienis usum (quem Aristotel. 3. de part. animal. cap. 7. docet) lienem* αἱματοποιὸν *& juvare dicimus; humores nimirum tenuiores ex ventriculo sorbendo, coquendo, avertendo, ne ubertate & frigiditate sua venarum actionem interturbēt, hæc Arist. verba loco suprà citato,* τὰς ἰκμάδας τὰς περιττὰς ἐκ τῆς κοιλίας *fluxionem superfluam ex ventriculo interpretantes. Quæ ab Hipp. lib. 4. de morb. luculentissimis confirmantur verbis, in hunc modum scribente, Nunc verò dicam de aqua, quomodo & cur copiosior fiat in corpore, & quomodo splen trahat in seipsum. Adsero autem ubi homo bibit amplius, & corpus & splenem aquam in se ipsa trahere ex ventriculo, &c.*

7. *Lien in multis hepatis vicem supplet. hinc ab Arist. lib. 3. de part.*

de part. animal. cap. 7. iecur adulteratum vocatur. Et à Plat. in Time. ἧπαρ ἐκμαγεῖον.

8. *Arteriarum in numeris & capacibus ramis per lienis corpus disseminatarum munus est: non vitalem duntaxat calorem è cordis specu adferre: sed tenuem etiam sanguinem, humoremq́; serosiorem, non autem crassam melancholiam ex liene haurire, ne in venas restagnans πλεονασμῷ & frigiditate sua ἀμάτων remoretur: tum verò ut fervens halituosusq́; cordis sanguis in arterias dispersus sero temperetur. Hoc arteriæ lienis ad vicinam aortam exportant: quod deinde ab emulgentibus arteriis ad renes deducitur.*

9. *Quamvis Hipp. lib. de carnibus arteriam spiritum condere ac conservare autumet: & Arist. lib. 1. histor. animal. cap. 16. arteriam tracheam soli spiritui accipiendo reddendoq́; destinatam, nihil vel siccum vel humidum pati scribat: Id tamen minimè ἁπλῶς, sed iuxta Gal. lib. 3. de fac. nat. cap. 14. κατά τι accipienda sunt: astipulante Aulo Gellio, lib. 18. cap. 10. his verbis: Arteriæ sunt conceptaculum spiritus naturalis (Medicis vitalis) misti confusiq́; cum sanguine, in quo plus spiritus est, minus verò sanguinis.*

10. *Ab his non abludunt Paracelsitæ, dicentes: Firmamenti seu superioris globi astra vel vitales spiritus cordis & arteriarum elemento fruuntur puro ac spirituali, ab astris inferiorum elementorum, ventriculo nempe, hepate, liene, œsophago, intestinis, mesaraicis venis, vesica fellis & urinæ, venis, ante præparato: Et quod benigna nutricatione ad maturitatem pervenientia, fœcunda fructuum resolutione vices rependant, mutuaq́; officiorum communicatione societatem humanæ Reip. custodiant.*

11. *Nullus humor actu siccus aut frigidus in corpore vivente: sed omnis humidus ac calidus.*

12. *Calorem illum per se nulli humorum, sed ratione spirituum tribuo.*

13. *Perpetua memoria dignissima est solertia Hippocratis, qui*

primus ex igne, aëre, aqua, terra, omnes res naturales compositas esse invenit. Ex quorum analogia, doctrina de quatuor humoribus, tanquam sanguineorum animalium principiis seu elementis ab eodem exstructa est: omniumq; rerum actiones & virtutes ex illis derivatæ: nec non sanitatis & morborum, eorundemq; curationes ex illis affabrè petitæ sunt.

14. Quibus modò enarratis licet fides minimè deroganda sit: rei tamen evidentia edocti Hermes Trismegistus, Geber, Basilius, Valentinus Monachus, & nostra ætate Paracelsus, *philosophus* Paradoxus *&* Mysteriarcha, *totaq; chymicorum schola ex* Sale, Sulphure, Mercurio, *omnia corpora naturalia constructa esse unanimi consensu statuerunt.*

15. Quæ elementorum differentiæ chymicis operationibus conspicuæ sunt, nec quidquam est quod in talia principia respuat divisionem: quibus tamen quatuor Elementa, tanquam priora quædam principia suffulta sunt.

PATHOLOGICA.

1. Morbi in natura semina habent & principia, & generationes atq; transplantationes ratas absolvunt.

2. Febrim quartanam ab humore tenuiore, qualem lienem attrahere suprà docuimus, scaturire dicimus.

THERAPEUTICA.

1. Therapeuticum axioma Hippoc. lib. de flatib. & lib. de morbo sacro, Galen. de arte medendi cap. 84. & lib. de meth. med. 8. & 11. aliisq; locis quamplurimis, est: Contraria Contrariorum esse remedia. Id quod & rationi consonum, & à rei veritate haud alienum esse arbitror. Non tamen (ut falsò quidam opinantur) huic chymicorum hypothesis contrariatur, Similia Similibus quæ curanda præcipit, ut lien liene, hepar hepate, cor corde: &c. Id quod magnis istis duobus medicinæ oculis Galeno & Hippoc. non improbatur: quorum ille 11. de med. fac.

morsum

morsum scorpionis scorpione curari, docuit. Hic verò de morbo sacro: Morbos plerosq; ex iis curari ex quibus nascantur. Medicamenta quin etiam Gal. lib. 8. de comp. med. s. l. probantur, quæ totius substantiæ consortio omnibus intemperiebus tanquam media extremis contraria sunt. Addunt hic alii Galeni locum ex 13. meth. c. 16. lienem & jecur similia medicamenta & alimenta postulare: quem tamen miserè à lacuna corruptum haud favere arbitramur.

2. Superflua lienis per inferiorem duntaxat ventrem Gal. 13. meth. med. cap. 17. evacuanda præcipit, utpotè quòd nulla per renes, quæ evacuationem illâc indicare possit, via pateat. Qua in re non solum arterias emulgentes suo privat munere: verùm etiam Hipp. lib. de aff. [illegible] repugnat, biliosis, quicunq; splenem magnum habeant, inter alia vesicam subducendam monenti: medicamentisq; diureticis, quæ splenem mollire scripta sunt. Non longo intervallo subnectit sequentia, Ex pharmacis quæ splenis gratia adhibentur, alia per vesicam purgant, & ipsum molliorem faciunt, &c. Et lib. 2. de morb. in ictero nigro, qui ab obstructione lienis oritur, diuretica suadet, qualia sunt asphodeli radices cum foliis apii in vino coctas & propinatas, & asphodeli semen, Hipp. de intern. aff.

3. Febris quartana in principio leniter tractanda est, ejusq; causa conjuncta per diuretica feliciter aufertur.

PHARMACEUTICA.

1. ANtimonium num possit in corpus humanum pro medicamento assumi, quæsitum est à multis. Etsi autem veneni suspicione non careat, ex catalogo tamen eorum medicamentorum, quæ in corpus assumuntur, non nisi gravi plurimorum ejusdem cum Antimonio facultatis pharmacorum, exilio eliminari potest.

2. Si quædam mordicantem vim habentia calcinata, seu igne cremata minus mordicant: quidni idem cum Antimonio fieri existimabimus?

3. *Non excludimus Tartarum, vitriolum, sulphur & metalla ex medicamentorum numero, quæ ore accipiuntur. Siquidem ab illis quoq; se non abstinuit antiquitas: Eaq; igne elaborata promptiùs operationem absolvere existimamus.*

4. *Qualibet medicamenta excrementa corpori inutilia, ac nonnunquam damnosa continent. Quare quæ talia sunt præparatione & separatione opus habent. Hæc à Chymicis rectè obitur.*

5. *Multa ignis commercio fiunt meliora, ac latentem medicamentorum naturam propalant, Gal. lib. de Theriac. ad Pis. cap. 32.*

6. *Acrimoniam in combustis ignis per se nequaquam omnem efficit, uti Galeno 9. de simp. med. fac. videtur.*

CHEIRURGICA.

1. *SAnguinis missionem, quæ fit per Revulsionem ex parte vulneri opposita in hæmorrhagia imperitè improbat Felix Wirtzius lib. 1. cap. 5. suæ chirurgiæ.*

2. *Quod si enim eadem (quod tamen largitur) sanguinem impetu quodam ac quasi æstro percitum in aliquam partem irruentem compescere ac revellere potest, quid ni quoq; per vulnus effluentem retinebit?*

3. *Verùm rursum nos occupat Wirtzius, quid tum fieri velimus, ubi totum est pro vulnere corpus, ut Poëta inquit, & quam tum venam tunderemus, ubi utrinq; & in singulis artubus vulnus sit acceptum? cui respondemus, nullam. Est enim vulnus vulneri oppositum ἀντισπαστικόν.*

THE-

IV.
THEMATA IATROCHEMICA DISPUTATIONIS Inauguralis.

Resp: *M. SAMUELE GENTERSBERGERO,*
Bipontino Westriaco.

THEMATA PHYSIOLOGICA.

1. SCITUM *atq; ex gremio naturæ desumptum est illud Philosophi placitum: In quod quid resolvitur proximè, ex eo quoq; immediatè constructum.*

2. *Cùm igitur* ἐν τῇ ἀναλύσει τῶν σωμάτων φυσικῶν *quatuor in conspectum veniant: Primùm spiritosa seu vaporosa substantia: Mercurius. Secundò oleaginosa, seu corpus quoddam sulphureum: sulphur dictum: quæ duo si non talibus quibus convenit vasis reserventur, sæpiùs in auram evanescunt. Tertium Sal, quantumvis crassius, virtutem tamen non obscuram habet. Quartum est terreum Elementum, caput mortuum dictum: non tria, sed quatuor corporum naturalium principia hypostatica, vi hypotheseos prædictæ contra Chymicorum decreta statuenda esse videntur.*

3. *At Chymici non solum circa medicamentorum præparationem occupati: verùm etiam eorum, cæterorumq; corporum naturalium causas, partes & affectiones inquirendas, nec non juxta ejusmodi & talem cognitionem corpori humano medelam instituendam, animadvertentes: tria artificiosa indagine, quibus actionum causæ &* δυνάμεις *Hippocraticæ per se proximè assignari possent, quæq; suo accessu corpus non tantùm trimetron: sed activum & virtuale efficerent, repererunt: Et proinde in tria quodlibet corpus naturale resolutione, quæ est partium essentialium, non contingentium proximè dispesci non temerè statuerunt.*

4. *Duplex est insuper corporum naturalium consideratio, pro du-*

 plici

plici eorum vel ante vel post regenerationem Chymicam σύστ. *Hæc tantum in tria resolvuntur, uti sunt Magisteria & Elixiria Chymicorum: illa verò præter tria activa, quæ Chymicis (Aristotelis ductu, formam & naturam potius principii nomine dignantis, quòd sint activa) principia appellantur: quartum etiam admixtum habent, quod tamen toti non essentialiter, sed contingenter per naturæ errorem adest, secum gerens non vitæ, sed mortis anatomiam, ut Chymici loquuntur.*

5. *Principia illa hypostatica non æquali pondere & mensura in qualibet specie coeunt: sed pro specierum diversitate variata mixtione inæqualiter miscentur: ita ut in alia non plus sit salis, in alia plus substantiæ oleaginosæ: in alia insuper plus Mercurii seu substantiæ spiritosæ sive vaporosæ. Quam mixtionis varietatem præclarè Lucretius li. 2. in hunc modum poëmate expressit:*

Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse pari filo. *Et lib. 4. & 1.*
Semina multimodis in rebus mista tenentur,
Constituunt eadem fruges, arbusta, animantes,
Verùm aliis alioq; modo commista.

6. *Quodlibet principiorum (salis, sulphuris, & Mercurii) ratione suæ essentiæ triplex est, animale, vegetabile, minerale. Ratione verò adjunctorum duplex, purum vel impurum.*

7. *Salium alia sunt volatilia, alia fixa.*

8. *Non pauci artificialem specierum transmutationem, quam nobilissima & illibatæ castitatis virgo Chymia inter alia docet, viratiunculæ istius, quòd ars tanquam accidens substantiam generare non possit, impossibilem rati: Chymiam indè falsitatis immeritò insimularunt: non distinguentes, quòd artes aliæ materiis subjectis dominentur, ut est statuaria, fabrilis, figulina: aliæ post administrationem debitam potiores partes naturæ relinquant, ut agricultura, & juxta* Hippo. de leg. *Medicina: aliæ utrinsq. & artis & naturæ beneficio negotium peragant, ut sunt vitriarii, aurifabri, separatores metallorum & mineralium.*

9. *Vena,*

9. *Venæ, arteriæ, carnes, &c. corpora similaria propriè non sunt.*

10. *Fœtui in utero matris existenti menstruus sanguis alimento non est.*

11. *Spiritum hominis nativum gluten animæ & corporis cum Alexandro Aphrodisieo, Hermete Trismegisto, aliisq; compluribus statuere non erubesco.*

12. *Calorem naturalem in homine duplicem cum doctissimo Fernelio lib. 4. Pathol. cap. 1. de feb. ponimus. 1. Insitum in solidarum partium humido primigenio inhærescentem, cujus origo cœlestis est. 2. Elementarium moderatum, & ex omnium elementorum mistione temperatum. Ille omnium actionum naturalium opifex primarius: hic adjuvans est primarii.*

PATHOLOGICA.

1. *SI rectè statutum est humanum corpus sicut reliqua mista ex sale, sulphure, & Mercurio componi: nunc quoq; rectè statuetur, ipsa ubi à naturali statu recesserunt, morbos procreare, astro nimirum suo in malum vergentibus, Chymicorum loquendi consuetudine; Astrum sulphuris, inflammationem: Salis, resolutionem: Mercurii sublimationem vocantium.*

2. *Hisce accinit Hippocrates lib. de vet. Med. in hunc modum: Atq; hæc (nempe quæ 1. & 3. thesi recensentur) mista quidem ac contemperata inter se, neq; sensu deprehenduntur, neq; hominem lædunt. Ubi verò quid horum à reliquis separatum fuerit, atq; ipsum per se solum extiterit, & sensu deprehenditur, & hominem lædit.*

3. *Hisce positis quatuor humores Hipp. & Galeni minimè rejiciuntur: sed in his tria sunt Chymicorum, ita ut potiores indicationes curativæ ab iis petantur. Cui sententiæ Hipp. lib. de vet. Med. hisce astipulatur verbis: Neq; siccum, neq; humidum, neq; calidum, neq; frigidum, neq; aliud quidquam ex his putaverunt veteres hominem lædere. Neq; homini horum aliquo opus esse opinati sunt; sed quod in unoquoq;*

forte

forte & humana natura potentius est, ut ab illa separari nequeat, hoc ipsum id esse, quod læderet, existimaverũt. Idemq; auferre quæsiverunt. Fortissimum autem est, inter dulcia dulcissimum; inter amara, amarissimum; inter acida, acidissimum, quæ Chymicis nil aliud sunt, quàm salium differentiæ.

4. *Dysenteriam cum Mercuriali lib. 3. de aff. inf. vent. cap. 28. fluxum alvi cum exulceratione & dolore intestinorum definimus.*

5. *Hanc propriè dictam, & à notha seu spuria distinctam, divido in simpliciter talem & Epidemicam. Hæc verò est vel pestilentialis & maligna, vel leviter tantùm contagiosa: quarum illa multis exitio est: hæc licèt plurimos invadat, paucos tamen è medio tollit.*

6. *Est insuper alia ex accidentium distinctione, sine febre, alia cum febre; vel stipata symptomatibus levissimis, aut planè atrocibus & sævissimis. Ratione temporis & magnitudinis distinguitur in fientem & absolutam. In fiente primum adiposa & pinguia: Gal. 4. aph. 26. adiposa intestinorum corpora (quibus interna sui parte contra injurias intestina munita sunt, & præcipuè inferiora) dejiciuntur. In facta & absoluta, ramenta & caruncula, unà cum sanguine, pure & fecibus prodeunt. Duabus namq; tunicis à natura donata intestina sunt: prima tenuiori, altera crassiori & carnosa. Gal. lib. de anat. administr. & 4. de usu part. 16. Harum si interior abraditur, ad instar epidermidis partes descendunt: si exterior, carunculæ.*

7. *Differentiam à situ petitam, qua alia omnibus intestinis simul, alia quibusdam tantùm infensa esse putatur, inutilem & falsam esse judico.*

8. *Quod Cœl. Aurel. & practici ferè omnes inter pathognomonica recensent signa dysenteriæ: dolor si infestat hypochondria & partes supra umbilicum gracilium intestinorum ulcus denotare: sin dolor hypogastriacis infestus sit partibus, crassiora intestina ulcere teneri: suadente sic anatome, infidum censemus signum.*

THERA-

THERAPEUTICA.

1. CLysteribus pro abstergendo & consolidando intestinorum ulcere pinguia & oleosa rectè immisceri non videntur.

2. Quaritur hîc, quo anni tempore usus absynthitæ corpori humano sit magis salutaris? Nos rationis ductu æstivo tempore plus commodi sanitati tuendæ importare censemus. Quò enim ventriculus in elaborandis cibis ignavior, & pituita congerendæ promptior est: eò imbecilliorem ejus calorem quis non suspicabitur? Esse autem ventriculum æstate cibis conficiendis minus idoneum, docet Hipp. aph. 18. sect. 1. Quare exinde nobis imbecillior ventriculi calor cùm innotescat: Absynthitæ usum æstate commodiorem magisq; salutarem esse affirmamus, moti facultate ejus abstersoria juxta & roborandi ventriculum, quâ pollet, virtute.

PHARMACEUTICA.

1. IMpossibile est ut Riolani censura Peripatetica D. Josephi Quercetani juxta & omnium Chymicorum paradoxa corruant, qualia sunt medicamentorum essentias, formas, &c. κατὰ τὸ πρᾶγμα separabiles esse à sua materia, itemq; bonum à malo, perfectum ab imperfecto. Vt enim Peripatetici, formæ nomine activum principium designant solùm, non autem materiam: Sic Chymici tria sua principia hoc nomine formæ ejusq; attributorum, qualia sunt, essentia, actus, perfectio, ratio, bonum, digna judicantes, quòd ea sola sint activa, ipsis tribuerunt: Sicut nomen materiæ ejusq; attributa, qualia sunt femina, turpitudo, potentia, imperfectio, malum, capiti (ut loquuntur) mortuo, seu magmati.

2. Quòd quædam acria calcinata, sive igne cremata magis vel minus acria redduntur: Non coloris beneficio, sed salium volatilium fuga, uti sunt Sal armoniacum, Rorismarini, urticæ, urinæ, &c. Vel fixorum perseverantia, quæ ignis violentiam perpessa in fundo manent, illam intensionem vel remissionem propriè fieri affirmo.

3. *In medicamentorum compositionibus non tantum spectandæ sunt qualitates miscendorum manifestæ: sed potissimum antipathia & sympathia eorum, quæ non à temperamento elementari pendent, sed totius substantia, cui alexipharmacum ex ficubus & alkakengi concinnatum ad pestilentiale virus è corporis centro ad circumferentiam seu superficiem evocandum fidem facit. Quæ seorsim ab omni veneni suspicione aliena, mutua mixtione in veneni naturam facessunt.*

CHEIRURGICA.

GAl. lib. de sang. miss. venam brachii sectam cohibere fluxum menstruorum ait: Pari pacto putandum hac eadem sanguinis missione coerceri fluxum alvi, præsertim sanguinolentum.

V.

THESES MEDICO-CHYMICÆ MISCELLÆ Inaugurales.

Resp. JOHANNE JACOBO GUGGERO, Basiliensi.

MISCELLARUM MEDICO-CHYMICARUM PRIMA.

MEDICINÆ partes præcipuæ sunt ὑγιεινὴ καὶ θεραπευτική: Finis enim ipsius Medicinæ, in actione potiùs quàm contemplatione consistit.

ἘΞΗΓΗΣΕΙΣ.

I. *Medicina secundum Hippocr. lib. de flat. definitur quòd sit πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις, vel ut uno verbo dicimus, προσθαφαίρεσις.* II. *Et πρόσθεσις quidem deficientium, ἀφαίρεσις verò eorum, quæ in corpore humano redundant, est, teste Gal. 11. Meth. cap. 13.* III. *Finis ipsius Medicinæ, ad quem collineare solet, est sanitas; quæ conservanda, aut amissa recuperanda.*

randa. IV. *Præsentem autem sanitatem optimorum ciborum & potuum adjectione, subtractione verò supervacaneorum servabimus.* V. *Cùm enim vivens corpus, ex sententia Philosophorum, perpetua nutritione opus habeat, cùm essentia partium perpetuò absumatur, quatenus calor noster nativus omni tempore vim suam exerit, in absumptione ipsius humidi, ideò quoq; semper adjectione alimentorum opus habet, quo nutritio perficiatur.* VI. *Amissam verò sanitatem eorundem subtractione, ciborum nimirum redundantium, appositione verò deficientium recuperabimus.* VII. *Medicina porrò usurpatur vel generaliter, vel specialter: generaliter pro omnibus iis quæ ad totam constitutionem ipsius artis requiruntur.* VIII. *Et illud quidem secundum particularia ipsius Medici officia: quæ sunt, sanos conservare, convalescentes reficere, senes fovere, causas morborum præcavere, ægros à morbis liberare sive curare, symptomata mitigare.* IX. *Medicus autem tanquam naturæ minister, ut hæc sua munera exequatur, necesse habet prius cognoscere, naturam, causas, differentias & signa omnium eorum, quæ secundum & præter naturam humano corpori insunt, nimirum universa Physiologiæ, Pathologiæ & Simejotices præcepta. Dunca. in arte Medica.* X. *Specialiter verò Medicina sumitur tantùm pro parte curativa. Gal. lib. num rat. tuend. sanit. ad Medic. spectet.* XI. *Et ideò non ineptè ab Avicen. Fen. 1. doct. 1. c. 1. in Theoriam & Praxin dividitur.* XII. *Instrumenta Medici, quibus finem suum assequitur, sunt Medicamenta: quæ desumuntur ab Animalibus, Vegetabilib. & Mineralibus.* XIII. *Hæc autem medicamenta, instrumenta & auxilia ipsius Medici fiunt, quando formam seu naturam suam induunt, id est, quando legitimè præparata, in debito & convenienti tempore, & ut decet applicantur, Galen. lib. 2 de aliment. facult.* XIV. *Is enim verè genuinus & perfectus Medicus erit, qui, medicamenta debitè cognita, non ratione, sed proprio Marte, præparare, à veneno & fæcibus suis separare seu repurgare, & ad puram simplicitatem reducere didicit, atq; imperito non committere coco.* XV. *Mixta enim sunt bona malis, neq; saccharum*

feculenta impuritate, nec mel venenata amaritudine destituitur: Pura enim ab impuris separanda esse monet Hippoc.

II.

Spiritus Animalis in Cerebro, tanquam regia domo, residet, ex portione vitalis spiritus, qui per nervos in corpus funditur, ut actiones Animales cieat, procreatus.

ΈΞΗΓΗΣΙΣ.

I. *De loco & generatione spiritus animalis magna est controversia: quot enim homines, tot sententiæ: Columbus, vir alioquin doctissimus, Animales spiritus singulari suo invento, in anterioribus cerebri ventriculis generari contendit. Rationem addens: quia inquit, horum ventriculorum origo est, supra os sphenoides, ethmoides versus, aër autem per nares attractus, in frontis, cunealisq; cavitate aliquandiu conservatur: alteratus dein ad hos binos ventriculos, per foramina ethmoides ascendit: at in his ventriculis, ob assiduum tum cerebri, tum hujus reticularis plexus motum, miscetur, cum vitalibus spiritibus aër: itaq; addit, spiritus animales evadunt ex eo, quo diximus modo præparato, & ex vitalibus spiritibus.* III. *Montaldus verò, in cerebro ipso, & à natura & facultate propria ipsius cerebri, procreari existimat, & quidem facultatum custodiendarum gratiâ: quarũ quidem primum aptissimum & sibi appropriatum est instrumentum, ad omnes actiones suas exercendas.* IV. *Reperitur ergo (secundum Montaldi sententiam) & in substantia propria ipsiusmet cerebri disseminatus, & in ventriculis ejusdem: siquidem facultates custodit, utilitatesq; præbet, tum in cerebro, tum extra cerebrum.* V. *In cerebro, qui disseminatus per propriam substantiam, ibi perficitur, ubi permistus unà cum calido ejusdem ingenito, organum primum & appropriatum est, & principium facultatum ipsius vitæ, tum vitæ melioris gratiâ.* VI. *Extra cerebrum utilitatem præbet hanc, quòd ille in ventriculis elaboratus, irradiando ac permeando per nervos in totum corpus, sensus & motus voluntarii gratiâ, facultatem animalem, sensitivam nimirùm & motivam custodit.* VII. *Andr.*

Laurent.

Laurent. præparationem ejus fieri putat in plexibus arteriolarum labyrintheis, coctionem in cerebri sinubus: distributionem tandem in universum corpus per nervos. VIII. *Varolus, cui recentiores ferè omnes, ut & Casparus Bauhinus, Præceptor meus honorandus, assribunt, autumat, spiritus per quos perficiuntur cerebri operationes optimæ, residere in substantia molle cerebri, nec cavitatibus indigere.* IX. *Demonstratur illud ratione sensus: dum enim unum oculum claudimus, spiritus animalis statim refluit ad alterum, ita ut ejus pupillam magis dilatet: inter unum tamen & alterum oculum, nullus revera extat pervius ductus, præter poros insensibiles in omni nervo & cerebro existentes, ut refert Gal. 10. de usu part. 5.* X. *Insuper ventriculi illi cerebri excrementis potiùs destinati sunt, quàm spiritibus.* XI. *Natura enim nihil facit frustrà, inquit Scal. exer. 77. f. 5. ideoq; semper facit quod optimum est, idem ex. 249. f. 2.* XII. *Natura itaq;, ut oculi ipsi demonstrant; ubi enim oculi fidem faciunt, non opus est rationibus, inquit Avic. natura, inquam, in cerebro, duas insignes cavitates tantùm elaboravit, quas ventriculos appellamus.* XIII. *In has autem cavitates excrementa tanquam in cloacam deponuntur, quod exinde apparet; quia in iisdem sinubus quadam sordidæ ac laxæ glandulæ, membranis cōtextæ copiosè locantur, quæ veluti spongiæ per vasa è cerebro & cerebello eo transmissa excrementa exugunt.* XIV. *Glandularum enim in corpore humano usus est excrementa colligere, ut testatur Galen.* XV. *Præterea excrementis potiùs, quàm spiritibus extructos esse hos ventriculos, patet etiam inde, quia quo materia illa inutilis, ibidem collecta, exitum habeat, in fundo harum civitatum extant duæ rimæ, utrinq; una, per quas humidum plexibus ad ventriculos attractum percolat & exit.* XVI. *Ibi quoq; sub medio utriusq; est foramen ad infundibulum dictum, per quod excrementum descendens, recipitur attractione alterius glandulæ, in medio ejus locatæ, quæ glandula pituitaria ob usum appellatur, hueq; excrementa demum in palatū defert.* XVII. *In tota igitur cerebri substantia potiùs, quàm in ventriculis hisce, spiritus animales elaborari certum est, quod & aliis*

rationibus demonstrari posset, sed ea videantur in Theat. Anatom. Caspar. Bauhini, Anatomi experientissimi.

III.

Anatome Medico & Chirurgo non negligenda est: multa enim ad dignotionem & prænotionem & curationem morborum, non modò facit, sed etiam summè necessaria & utilissima existit.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

I. *Definitur Anatome, quòd sit artificiosa corporis humani dissectio.* II. *Additur à Gorræo in definit. med. per quam cujusq; partis substantia, magnitudo, figura, situs, connexio, & usus, & quæ scitu maximè digna sunt, cognoscuntur. Gal. 9. Adm. Anat. 1.* III. *Est autem duplex, una* πρακτική, *altera verò* θεωρητική, *utilis utraq; & necessaria Medico perfecto, tum ad diagnosin, tū ad prognosin, tum deniq; ad curationem.* IV. *Inquit enim Gal. 1. de loc. aff. c. 1. & 3. de loc. aff. c. 10. Virtute Anatomiæ, nos cognoscere tum internos affectus, tum potissimùm ipsos locos affectos.* V. *Non enim Medicus quilibet, sed Dogmaticus morbos exterminat virtute judicationum, quæ desumuntur ab essentia affectuum, & locorum affectorum, ut idem demonstrat 1. Meth. med. c. 7. & 11. meth. med. c. 1. 2. & 3.* VI. *Curationem quod attinet, & quantum curationi Anatome inserviat, eleganter quoq; expressit Gal. in lib.* περὶ αἱρέσεων, πάντα, *inquit,* ἐν τῷ ἰᾶσθαι σκοπὸν ἔχει τὸ κατὰ φύσιν: *Omnia quæ sunt in medendo scopum habent, id quod naturaliter est constitutum.* VII. *Et Aristot. 1. de Anima, rectum est index sui & obliqui.* VIII. *Qua autem ratione quæso restituet Medicus sive Chirurgus ossa luxata aut fracta, nisi naturalem eorum situm & structuram didicerit ex Anatome.*

IV.

Si rectè statutum est, humanum corpus, sicut reliqua mista, ex Sale, Sulphure, & Mercurio, componi: tunc quoq; rectè statuetur, ipsa ubi à naturali statu recesserunt, morbos procreare, Chymicorum loquendi consuetudine.

ἘΞΗ-

ΕΞΗΓΗΣΙΣ.

I. Scitum & notum est illud Philosophi, in quod quidq; resolvitur proximè, ex eo quoq; immediatè constructum est. II. *Item illud Dogmaticorum: Quibus rectè sese habentibus sani sumus, & quibus non rectè se habentibus ægrotamus, ex iis constamus.* III. *Quia autem omnes res existentes, constant ex tribus illis principiis hypostaticis seu essentialibus, Sale nimirum, Sulphure & Mercurio, etiam corpus humanum ex iisdem constabit.* IV. *Omnes autem res existentes, ex hisce tribus constant principiis, & in hæc quoq; resolvuntur, quod experientia, omnium rerum magistra luculentissimè confirmat.* V. *Homo igitur μικρόκοσμ@, cui quidquid in magno mundo continetur, analogicè quodammodo respondet, ex iisdem constructus erit.* VI. *Verùm hæc principia non in æquali pondere & mensura, in qualibet specie coëunt: Sed pro specierum diversitate, variata mixtione inæqualiter miscentur.* VII. *Et ita, ut in alia plus sit Salis, in alia plus Mercurii, in alia deniq; plus Sulphuris reperiatur.* VIII. *Quam mixtionis varietatem eleganter expressit Lucret. lib. 2.*

Debent nimirum non omnibus omnia prorsum
Esse pari filo. *Et lib. 4. & 1.*
Semina multimodis in rebus mista tenentur;
Constituunt eadem fruges, arbusta, animantes,
Verùm aliis alioq; modo commista.

IX. *A varia igitur mixtionis ratione horum principiorum, & à vario statu naturali in præternaturalem discessu, variæ quoq; oriuntur morborum differentiæ.* X. *Quot enim principia, tot quoq; morbi: quia autem principia sunt tria, tria quoq; erunt summa morborum genera.* XI. *Morbi enim ex dissidio principiorum oriuntur, ut testat. Hippoc. lib. de loc. in homin.* XII. *Omnes ergo morbi à liquore sive Mercurio (per Mercurium enim non argentum vivum, sed liquorem seu fluidam aliquam substantiam intelligimus) provenientes, Mercuriales appellantur: & tot erunt morbi Mercuriales, quot modis Mercurius à naturali*

statu

ſtatu diſcedit. XIII. *Tribus autem id modis fieri docet Theoph. Paracelſ. in Para. 1. primò deſtillatione, ſecundò ſublimatione, & tandem præcipitatione.* XIV. *Idem de Sale ſentiendum; Sal verò quatuor modis peccat, reſolutione, calcinatione, reverberatione, & alcoliȝatione: qualis itaq; eſt Salis tranſmutatio, talis etiam eſt morbus.* XV. *Sulphur quatuor modis exalbatur & deſtruitur, idq; ſecũdum quatuor elementa, unde ſulphurei morbi, ut ſunt inflammationes, febres, &c.* XVI. *Quia autem nihil eſt in principiato, quod non vel actu, vel poteſtate fuerit in ſuis principiis, ut inquit Scal. exerc. 307. ſ. 20.* XVII. *Morbi igitur hi ex hiſce principiis orti, iiſdem etiam rurſus curabuntur: Morbi enim, ex quibus oriuntur, iiſdem etiam curantur.* XVIII. *Sal ergo externus ſali interno, Sulphur externum, ſulphuri interno, & tandem Mercurius externus, Mercurio interno medetur.* XIX. *Cognitis enim principiis morborum, facile eſt invenire remedium, Gal. 1. Meth. med. & 7.*

V.

Medicamenta, imprimis purgantia, agere in corpus noſtrum certum eſt, qua autem ratione, quidq; ſit in medicamentis quod agat, non æquè certum.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

1. *Omnis, quæ de re aliqua ſuſcipitur diſputatio, à definitione debet proficiſci, ut intelligatur id de quo quæritur, Cicer. in Off.* II. *Medicamentum igitur eſt omne id, quod naturam ſubſtantiamve corporis immutare & alterare poteſt, Galen. 1. ſimpl. med. facult. 1. de Temp.* III. *Omne autem medicamentum vel eſt ſimplex, vel compoſitum.* IV. *Et ſimplex quidem, quod ſimpliciter tale eſt, ut eſt Sal, Sulphur, & Mercurius: vel quod ad compoſitum collatum tale eſſe videtur, reſpectu ejus quod magis compoſitum eſt.* V. *Compoſitum verò eſt omne id, quod ex ſimplicibus concinnatum eſt, ut videre eſt apud Gal. 1. de ſimpl. med. facul.* VI. *Materia autem medicamentorum deſumitur ex triplici illo choro omnium rerum in inferiori globo compoſitarum; ex Animalibus nimirum Vegetabilibus, & Mineralibus, idq; vel ex ipſis Individuis,*

vel In-

vel Individuorum partibus. VII. *Sed relictis aliorum medicamentorum generibus; ad purgantia veniendum est, de iis enim inter Medicos omnino non convenit.* VIII. *Quidam enim trahendo, medicamentum purgans, vires suas exerere autumant, ut est Gal. & qui ipsum sequuntur, 2. simpl. med. facul. cap. 24. & alibi.* IX. *Quod confirmatur anctoritate Hipp. lib. de natur. hom. da, inquit, alicui phlegmagogon, & trahet tibi pituitam; da Chologogon, & bilem evacuabit; melanagogon, & succum melancholicum expurgabit, quod non fieret, nisi trahendo hæc medicamenta id præstarent.* X. *Sanguinem quoq; parti alicui molestiam inferentem, & nunc & olim potuisse per alvum educi, in confesso est, quod & in superpurgatione apparet.* XI. *Verùm sanguinem per alvum evacuare, est potius jugulare, quàm curare hominem.* XII. *Contra hos insurgit Averrh. qui putat, medicamentum, non unum quempiam humorem separatim, sed omnes promiscuè, hirudinis aut cucurbitulæ modo trahere, & nulla dari electivè purgantia.* XIII. *Cum hac tamen distinctione, ut qui tenuior & ad fluendum aptior primò expurgetur, sequatur dein paulò crassior, & ultimò crassissimus.* XIV. *Nonnulli verò non trahendo, sed irritando naturam, in corpus agere existimant, inter quos est Practicus ille celeberrimus Felix Platterus, Præceptor meus summoperè colendus.* XV. *Quod confirmat experientia & sensu: nullum enim medicamentum sive simplex, sive compositum, inquit, tibi unicum humorem separatim trahit, sed semper cum aliis humoribus permistum: quod si itaq; trahendo, non autem irritando fieret, vera esset priorum sententia.* XVI. *At, ut ut sit, medicamentum, inquit senex noster Hipp. lib. de Natu. hom. cùm in corpus fuerit ingressum, primum sanè id, quod omnium sibi maximè natura respondet, atq; simile est, educit, dein alia quoq; trahit & expurgat.* XVII. *Quemadmodum enim semina varia & stirpes, ubi unam aliquam terram subierint, id quod in terra secundum ipsorum naturam est, sibi sumunt & attrahunt, sive id sit acidum sive dulce, sive amarum sive salsum, sive insipidum, sive aliud quippiam diversum.* XVIII. *Primùm*

 id quod

id quod ipsis naturali similitudine conjunctum est, arripiunt, tunc cætera deinceps trahunt. Talem quoq; modum inquit senex, medicamenta in corpore servant. XIX. *Quæ enim ad bilem movendam adhibentur, movent quidem primò bilem, sed non solam, verùm etiam aliis humoribus, quos secundò arripiunt permistam.* XX. *Quanquam verò attractio illa, aliàs caloris, aliàs vacui & inanitionis vi fit, quæ tamen à medicamentis purgantibus est, unica similitudinis proprietate completur, quâ & stirpes succum è terra sibi idoneum, ita ut unaquæq; corporis particula, id quod in sanguine sibi familiare est & conveniens protectat, & sibi assimilat.* XXI. *Similitudo autem hæc non est temperamentorum sive qualitatum, sed substantiarum, seu, ut quidam ulterius philosophantur, proprietatum in substantiis ipsis insitarum.* XXII. *Sola igitur substantiæ similitudo videtur esse causa, quòd medicamentum hunc vel illum humorem, vel omnes promiscuè expurgat.* XXIII. *Attamen hæc substantia non est ipsa rei materia, à qua unũquodq; aut tenuis aut crassæ substantiæ dicere solemus, neq; hæc hujus substantiæ similitudo attrahendi causa existit.* XXIV. *Non enim Agaricus aut Colocynthis, quia sunt tenuis substantiæ, crassam pituitam educunt, neq; Rhabarbarum, quia substantiæ crassæ, tenuem bilem evacuat.* XXV. *Sed præstantior atq; nobilior est tota illa substantia, à quâ tanquam ab intimo & innato quodammodo principio & seminio defluit, & manat, quæ totius substantiæ proprietas appellatur.* XXVI. *Hæc, inquam, est essentia illa vivifica, cujus facultas solutis vinculis exurgens altius & promptius se promit, & vires multò quàm antea majores profert, & corporibus sanandis efficaciores.* XXVII. *Hæc autem essentia & proprietas in natura ita involuta est, ut evidenter perspici non possit: ope tamen ipsius Vulcani & arte ipsa Spagyrica manifestatur.* XXVIII. *Per hanc enim manifestantur, vera simplicia, magnalia & arcana, virtutes & vires sanationem concernentes.* XXIX. *Docet enim hæc medicamenta infelicibus vestimentis obducta debita separatione ab impuritatibus & corruptibili ac fœda superficialium & externorum elementorum commixtio-*

mixtione expedire, ut pura illa materia seu natura simplex exhibeatur corporibus. XXX. *Per hanc enim artificiosam corporum resolutionem in conspectum veniunt proprietates, quæ antè compositionis virtute occultabantur.* XXXI. *Hæ itaq; proprietates, ex ipsarum rerum natura desumptæ, naturam etiam optimè juvare poterunt.* XXXII. *Naturam enim juvare est rectè mederi, qua oppugnante irrita sunt omnia, Hipp. de lege.* XXXIII. *Nec servari quis potest, nisi natura morbum superaverit, neq; perire, nisi natura victa sit, morbusq; ea superior evadat. Gal. de tot. morb. temp. c. 5.*

VI.

In perito ac rationali Chirurgo duo potissimùm requiruntur: Primò exacta cognitio, ejus partis Therapeutices medicinæ tertiæ: quæ, quia manu medetur, χειρουργικὴ quasi χειρουργία Græcis dicitur. Secundò peritia ac solers promptitudo, seu prompta quædam dexteritas exequendi eà omnia, quæ ad affectus Chirurgiæ subjectos attinent.

ἘΞΗΓΗΣΙΣ.

I. *Philosophus 1. Phys. inquit, innata nobis est via, à communioribus ad specialiora procedere.* II. *Dicendum igitur quid sit Chirurgia; licèt autē multi multipliciter eam definierint, omnes tamen fundamentum à Gal. in Introduct. sumpserunt, dum dicit:* III. *Chirurgia est pars therapeutica, per incisiones & ustiones, & restaurationes ossium, sanans homines.* IV. *Cui definitioni addit Com. 1. regim. acut. & per alias manuum operationes; & ita strictim pro instrumēto therapeutico, Chirurgia usurpatur.* V. *Largiùs autem considerata, prout est scientia curandi ægritudines, in quas cadit intentio manualis operationis (sive exclusivè aliorum duorum instrumentorum medicinæ, Pharmaciæ scilicet & Diætæ) talis descriptio ex dictis ferè omnium assignatur.* VI. *Chirurgia est scientia, docens modum & qualitatem operandi, principaliter consolidando, incidendo, & alias operationes manuum exercendo, sanans homines, quatenus est possibile.* VII. *Additur quatenus est possibile, secund. Galen. 14. Meth. dicentis:* VIII. *Curatio unum*

habet modum operari citra dolorem, & absq; fallacia, salvare corpus, & non perimere, boni Medici est, & non sinistri. 12. Meth. & hoc est facere quod est possibile, & non pecuniæ causa promittere impossibilia. IX. *Operationes Chirurgorum sunt, solvere cōtinuum, phlebotomando, scalpendo, jungere separatum, consolidando vulnera, & reducendo fracturas, ac dislocationes, extirpare superflua, cùm curantur Apostemata, & glandulæ resecantur. Guido de Gauliaco, in Chirurgia magna.* X. *Relictis reliquis operationib. Chirurgicis, de vulneribus tantum sermo erit, quùm maximè in iis curandis delinquant Chirurgi, Anatomes & veræ scientiæ Chirurgicæ ignari.* XI. *Affecto enim principali aliquo membro, ægrum vel prorsus delinquūnt, vel non rectè & ex arte tractant, aut vulnus lethale esse judicant.* XII. *De vulneribus abdominis, Peritonæi, pectoris, &c. hoc loco nihil, de cerebri pauca delibasse suffecerit.* XIII. *Chirurgorum axioma est: Pia matre læsa, mors imminet: quod experientiæ, rerum uni ac certæ magistræ, primùm repugnat, dein rationibus.* XIV. *Vulnera cerebri non prorsus lethalia esse, demonstrat experientia tùm antiquorum, tùm recentiorum Anatomicorum & Chirurgorum.* XV. *Antiquorum, Gal. scribit, se vidisse Smyrnæ in Ionia juvenem sanatum, cui telum usq; ad alterum ex ventriculis cerebri penetrarit.* XVI. *Cui assentire videtur Guido de Gauliaco loco citato, tract. 3. doct. 1. c. 1. inquiens, ego vidi de parte posteriore cerebri exire parvam quandam substantiam, quod fuit cognitum, ex læsione ipsius memoriæ, quam post curam recuperavit.* XVII. *Ex hisce manifestè apparet, non tam piam matrem, sed & substantiam ipsam cerebri læsam fuisse, & tamen curatos fuisse, sed videamus & recentiores.* XVIII. *Ex recentioribus idem affirmat Andr. Laurent. in sua Anatome: inquiens, quòd sæpè viderit portionem aliquam de cerebri substantia detrahere, nihilominus superstite homine.* XIX. *Quartum addit Volcherus Coiter in tabulis suis Anatomicis. Admiratione summa, inquit, dignum existit, brutorum viventium cerebra vulneravi, & intactis nervis, eorūdemq; principio & ventriculis mediis illæsis exemi, ut nullum vel vocis, vel*

tis, vel respirationis, vel sensus vel motus offensionis signum in iis deprehendi. XX. *Quibus accedit quintum ex observationibus elegantissimis Fabricii Hildarii, Medici & Chirurgi peritissimi, qui aliquot observationibus affirmat, quod citra detrimentum ipsius ægri, de cerebri substantia detractum fuerit ad ℥ j. aut plus.* XXI. *Interim hoc observandum, ne vulnus ad ventriculos cerebri ambos penetraverit, tunc cura adhuc aggredienda, & ægri non prorsus derelinquendi, sed potius ex Hipp. instituto, Extremis morbis extrema adhibenda sunt remedia.*

ADDITAMENTA.

1. MUSCULI *oculum humanum moventes, sunt tantùm sex, septimus enim à Vesalio propositus, hominis non est, sed bruti animantis.*

2. *Tunicæ oculum succingentes revera sunt quatuor, duæ totum oculum circumdantes, duæ verò humorum.*

3. *Ventriculi ipsius cerebri sunt tantùm duo, tàm in anteriore quàm posteriore & media cerebri parte.*

4. *Sanguificatio non fit in ipsa parenchymate hepatis, sed in venis per substantiam hepatis disseminatis.*

5. *Humor Melancholicus non in hepate, sed potiùs in liene perficitur & absolvitur, quod ex ramo splenico facilè apparet.*

6. *In venæ sectione, signa illa venæ sectionis in Calendariis à Mathematicis proposita, non semper sunt observanda.*

7. *Chymica medicamenta, legitimè præparata, magis ad officium Medici accedunt, quod est tutò citò, & jucundè curare, quàm Dogmaticorum.*

8. *Hominem ultra diem septimum sine pane vivere posse, dicere non est absurdum.*

VI.

ASSERTIONES CHYMIATRICÆ, DE NATURA CATARRHORUM, &c.

Resp. HENRICO CROLLIO WETTERAno Hasso.

THESIS PRIMA.

Κατάῤῥους, *Latinis destillatio, est defluxus præternaturalis humoris supervacanei, à cerebro ad membra subjecta*, Fernel l. 5. de part. morbis: *interdum κατασταγμὸς vocatur.* Secundum Hermeticos, est Tartari è lutoso & mucilaginoso alimento priùs congesti & coagulati, sal resolutum in humores, ad subjecta membra delabentes.

2. *Omne enim quod comedimus & bibimus, habet in se mucilaginosum & luteum tartarum, sanitati humanæ noxium, quæ tartarea impuritas, cùm à stomachi interni hominis ἀρχαίῳ, innatâ, ac à Deo implantatâ virtute, à puro nutrimento separari non possit, impurum (quod aliâs per secessum & alia emunctoria exire debebat) simul cum puro ad membra transit: mittitur etiam per venas mesaraïcas ad hepar, quod & ipsum languidum & debile, non rectè separat mucilaginosum & Tartareum; sed illud in defectu bonæ separationis, ex potentiâ prædestinationis, mediante & concurrente spiritu Salis, coagulat in Tartarum, qui deinde resolutus in humores, hi verò tartarei humores in vapores, omnibus omnium spirituum mechanicorum membris, & determinatis particulis sese insinuant, eas penetrant; & quia Archei membrorum valdè differunt, variè molestant*, Osvald. Crollius in præf. Basil. Chym.

3. *Causæ Catarrhorum sunt duplices: aut enim congenitæ, & internæ; aut adventitiæ, & externæ.*

4. Con-

4. Congenita & interna sunt iterum duplices: aut enim membri mandantis, aut recipientium.

5. Mandantis causa est Cerebrum calidum attrahens, frigidum condensans (hæc causa est, respectu membri mandantis, terminus à quo.) A cerebro enim plurimi halitus, calore & levitate sursum lati, veluti spongia excipiuntur: Quinimò à capite ipso attrahuntur, ex sententiâ Hippocr. *(quod ex angusto in amplum desinat, figuramq; habeat similem cucurbitulæ) & frigiditate cerebri, & naturâ insitâ condensantur & coagulantur: Non aliter ac vapores, quos alembico suppositus ignis attollit, à capitellis vertuntur in aquam, & quidem eò celeriùs, quò illa capaciora & frigidiora fuerint.*

6. Cujus rei planè simile observare licet in Macrocosmo: solis enim tepore, vapores efferuntur in mediam aeris regionem, qui illius frigore concreti non tàm propter pondus, quàm propter inclinationem & prædestinationem decidunt: terra enim vi magneticâ attrahitur, aër verò fructus suos in aquam & terram deponit: in peregrinis siquidem matricibus omnia Elementa parturiunt.

7. Hic itaq; perennis agitur generationis circulus, ut superiora Elementa, inferiorum benignitate non destituantur, inferiora verò superiorum fructibus ac resolutionibus foveantur. Severinus in Idea Medicinæ Philosoph. c. xi.

8. Et hæc est aurea Homeri catena, *cujus perpetuâ circulatione cœlum terræ maritatur, & inferiora Elementa cum superioribus coëunt: perpetuis enim vaporibus ex Centro terræ in aquas expulsis, & ex aquis in aërem evectis, astrorum cœlestium attractione, nec non vi & appetitu Elementorum inferiorum, edendæ prolis ac concipiendæ ex cœlo, seminibus hinc inde concurrentibus, tandem Elementa ad suos parentes redeunt, gravida & cœlestibus formis impregnata, ibiq; semina suâ fovent, dum tandem opportunè parturiant, & fœtus suos excludant.* Quercet. in Hermet. Medicin. defens. c. 14.

9. Necesse enim est Macrocosmi tanquam Parentis dispositionem,

Micro-

VI.

ASSERTIONES CHYMIATRICÆ, DE NATURA CATARRHORUM, &c.

Resp. HENRICO CROLLIO WETTERA-no Hasso.

THESIS PRIMA.

K'Αταῤῥος, *Latinis destillatio, est defluxus præternaturalis humoris supervacanei, à cerebro ad membra subjecta,* Fernel l. 5. de part. morbis: *interdum* κατασταγμὸς *vocatur.* Secundum Hermeticos, est Tartari è lutoso & mucilaginoso alimento priùs congesti & coagulati, sal resolutum in humores, ad subjecta membra delabentes.

2. *Omne enim quod comedimus & bibimus, habet in se mucilaginosum & luteum tartarum, sanitati humanæ noxium, quæ tartarea impuritas, cùm à stomachi interni hominis* ἀρχέῳ, *innatâ, ac à Deo implantatâ virtute, à puro nutrimento separari non possit, impurum (quod aliâs per secessum & alia emunctoria exire debebat) simul cum puro ad membra transit: mittitur etiam per venas mesaraicas ad hepar, quod & ipsum languidum & debile, non rectè separat mucilaginosum & Tartareum; sed illud in defectu bonæ separationis, ex potentiâ prædestinationis, mediante & concurrente spiritu Salis, coagulat in Tartarum, qui deinde resolutus in humores, hi verò tartarei humores in vapores, omnibus omnium spirituum mechanicorum membris, & determinatis particulis sese insinuant, eas penetrant; & quia Archei membrorum valdè differunt, variè molestant,* Osvald. Crollius in præf. Basil. Chym.

3. *Causæ Catarrhorum sunt duplices: aut enim congenitæ, & internæ; aut adventitiæ, & externæ.*

4. Con-

4. *Congenitæ & internæ ſunt iterum duplices: aut enim membri mandantis, aut recipientium.*

5. *Mandantis cauſa eſt Cerebrum calidum attrahens, frigidum condenſans (hæc cauſa eſt, reſpectu membri mandantis, terminus à quo.) A cerebro enim plurimi halitus, calore & levitate ſurſum lati, veluti ſpongia excipiuntur: Quinimò à capite ipſo attrahuntur, ex ſententiâ* Hippocr. *(quod ex anguſto in amplum deſinat, figuramq́ habeat ſimilem cucurbitulæ) & frigiditate cerebri, & naturâ inſitâ condenſantur & coagulantur: Non aliter ac vapores, quos alembico ſuppoſitus ignis attollit, à capitellis vertuntur in aquam, & quidem eò celeriùs, quò illa capaciora & frigidiora fuerint.*

6. *Cujus rei planè ſimile obſervare licet in Macrocoſmo: ſolis enim tepore, vapores efferuntur in mediam aeris regionem, qui illius frigore concreti non tàm propter pondus, quàm propter inclinationem & prædeſtinationem decidunt: terra enim vi magneticâ attrahitur, aër verò fructus ſuos in aquam & terram deponit: in peregrinis ſiquidem matricibus omnia Elementa parturiunt.*

7. *Hic itaq; perennis agitur generationis circulus, ut ſuperiora Elementa, inferiorum benignitate non deſtituantur, inferiora verò ſuperiorum fructibus ac reſolutionibus foveantur.* Severinus in Idea Medicinæ Philoſoph. c. xi.

8. *Et hæc eſt* aurea Homeri catena, *cujus perpetuâ circulatione cœlum terræ maritatur, & inferiora Elementa cum ſuperioribus coeunt: perpetuis enim vaporibus ex Centro terræ in aquas expulſis, & ex aquis in aërem evectis, aſtrorum cœleſtium attractione, nec non vi & appetitu Elementorum inferiorum, edendæ prolis ac concipiendæ ex cœlo, ſeminibus hinc inde concurrentibus, tandem Elementa ad ſuos parentes redeunt, gravida & cœleſtibus formis impregnata, ibiq́; ſemina ſua fovent, dum tandem opportunè parturiant, & fœtus ſuos excludant.* Quercet. in Hermet. Medicin. defenſ. c. 14.

9. *Neceſſe enim eſt Macrocoſmi tanquam Parentis diſpoſitionem,*

Micro-

VI.

ASSERTIONES CHYMIATRICÆ, DE NATURA CATARRHORUM, &c.

Resp. HENRICO CROLLIO WETTERAno Hasso.

THESIS PRIMA.

KATάῤῥοος. *Latinis destillatio, est defluxus præternaturalis humoris supervacanei, à cerebro ad membra subjecta*, Fernel l. 5. de part. morbis: *interdum κατασταγμὸς vocatur*. Secundum Hermeticos, est Tartari è lutoso & mucilaginoso alimento priùs congesti & coagulati, sal resolutum in humores, ad subjecta membra delabentes.

2. *Omne enim quod comedimus & bibimus, habet in se mucilaginosum & luteum tartarum, sanitati humanæ noxium, quæ tartarea impuritas, cùm à stomachi interni hominis ἀρχείῳ, innatâ, ac à Deo implantatâ virtute, à puro nutrimento separari non possit, impurum (quod aliâs per secessum & alia emunctoria exire debebat) simul cum puro ad membra transit: mittitur etiam per venas mesaraicas ad hepar, quod & ipsum languidum & debile, non rectè separat mucilaginosum & Tartareum; sed illud in defectu bonæ separationis, ex potentiâ prædestinationis, mediante & concurrente spiritu Salis, coagulat in Tartarum, qui deinde resolutus in humores, hi verò tartarei humores in vapores, omnibus omnium spirituum mechanicorum membris, & determinatis particulis sese insinuant, eas penetrant; & quia Archei membrorum valdè differunt, variè molestant*, Osvald. Crollius in præf. Basil. Chym.

3. *Causæ Catarrhorum sunt duplices: aut enim congenitæ, & internæ; aut adventitiæ, & externæ.*

4. Con-

4. *Congenita & interna sunt iterum duplices: aut enim membri mandantis, aut recipientium.*

5. *Mandantis causa est Cerebrum calidum attrahens, frigidum condensans (hæc causa est, respectu membri mandantis, terminus à quo.) A cerebro enim plurimi halitus, calore & levitate sursum lati, veluti spongia excipiuntur: Quinimò à capite ipsô attrahuntur, ex sententiâ* Hippocr. *(quod ex angusto in amplum desinat, figuramq; habeat similem cucurbitulæ) & frigiditate cerebri, & naturâ insitâ condensantur & coagulantur. Non aliter ac vapores, quos alembico suppositus ignis attollit, à capitellis vertuntur in aquam, & quidem eò celeriùs, quò illa capaciora & frigidiora fuerint.*

6. *Cujus rei planè simile observare licet in Macrocosmo: solis enim tepore, vapores efferuntur in mediam aeris regionem, qui illius frigore concreti non tàm propter pondus, quàm propter inclinationem & prædestinationem decidunt: terra enim vi magneticâ attrahitur, aër verò fructus suos in aquam & terram deponit: in peregrinis siquidem matricibus omnia Elementa parturiunt.*

7. *Hic itaq; perennis agitur generationis circulus, ut superiora Elementa, inferiorum benignitate non destituantur, inferiora verò superiorum fructibus ac resolutionibus foveantur.* Severinus in Idea Medicinæ Philosoph. c. XI.

8. *Et hæc est* aurea Homeri catena, *cujus perpetuâ circulatione cœlum terra maritatur, & inferiora Elementa cum superioribus coëunt: perpetuis enim vaporibus ex Centro terræ in aquas expulsis, & ex aquis in aërem evectis, astrorum cœlestium attractione, nec non vi & appetitu Elementorum inferiorum, edendæ prolis ac concipiendæ ex cœlo, seminibus hinc inde concurrentibus, tandem Elementa ad suos parentes redeunt, gravida & cœlestibus formis impragnata, ibiq; semina suâ fovent, dum tandem oportunè parturiant, & fœtus suos excludant.* Quercet. in Hermet. Medicin. defens. c. 14.

9. *Necesse enim est Macrocosmi tanquam Parentis dispositionem,*

VI.

ASSERTIONES CHYMIATRICÆ, DE NATURA CATARRHORUM, &c.

Resp. HENRICO CROLLIO WETTERAno Hasso.

THESIS PRIMA.

Κατάῤῥους, *Latinis destillatio, est defluxus præternaturalis humoris supervacanei, à cerebro ad membra subjecta*, Fernel l. 5. de part. morbis: *interdum κατασταγμὸς vocatur.* Secundum Hermeticos, est Tartari è lutoso & mucilaginoso alimento priùs congesti & coagulati, sal resolutum in humores, ad subjecta membra delabentes.

2. *Omne enim quod comedimus & bibimus, habet in se mucilaginosum & luteum tartarum, sanitati humanæ noxium, quæ tartarea impuritas, cùm à stomachi interni hominis ἀνάγκῃ, innatâ, ac à Deo implantatâ virtute, à puro nutrimento separari non possit, impurum (quod aliàs per secessum & alia emunctoria exire debebat) simul cum puro ad membra transit: mittitur etiam per venas mesaraïcas ad hepar, quod & ipsum languidum & debile, non rectè separat mucilaginosum & Tartareum; sed illud in defectu bonæ separationis, ex potentiâ prædestinationis, mediante & concurrente spiritu Salis, coagulat in Tartarum, qui deinde resolutus in humores, hi verò tartarei humores in vapores, omnibus omnium spirituum mechanicorum membris, & determinatis particulis sese insinuant, eas penetrant; & quia Archei membrorum valdè differunt, variè molestant,* Osvald. Crollius in præf. Basil. Chym.

3. *Causæ Catarrhorum sunt duplices: aut enim congenitæ, & internæ; aut adventitia, & externa.*

4. Con-

4. *Congenita & interna sunt iterum duplices: aut enim membri mandantis, aut recipientium.*

5. *Mandantis causa est Cerebrum calidum attrahens, frigidum condensans (hæc causa est, respectu membri mandantis, terminus à quo.) A cerebro enim plurimi halitus, calore & levitate sursum lati, veluti spongia excipiuntur: Quinimò à capite ipso attrahuntur, ex sententiâ* Hippocr. *(quod ex angusto in amplum desinat, figuramq; habeat similem cucurbitulæ) & frigiditate cerebri, & naturâ insitâ condensantur & coagulantur: Non aliter ac vapores, quos alembico suppositus ignis attollit, à capitellis vertuntur in aquam, & quidem eò celeriùs, quò illa spaciora & frigidiora fuerint.*

6. *Cujus rei planè simile observare licet in Macrocosmo: solis enim tepore, vapores efferuntur in mediam aeris regionem, qui illius frigore concreti non tàm propter pondus, quàm propter inclinationem & prædestinationem decidunt: terra enim vi magneticâ attrahitur, aer verò fructus suos in aquam & terram deponit: in peregrinis siquidem matricibus omnia Elementa parturiunt.*

7. *Hic itaq; perennis agitur generationis circulus, ut superiora Elementa, inferiorum benignitate non destituantur, inferiora verò superiorum fructibus ac resolutionibus foveantur.* Severinus in Idea Medicinæ Philosoph. c. XI.

8. *Et hæc est* aurea Homeri catena, *cujus perpetuâ circulatione cœlum terræ maritatur, & inferiora Elementa cum superioribus coeunt: perpetuis enim vaporibus ex Centro terræ in aquas expulsis, & ex his in aerem evectis, astrorum cœlestium attractione, nec non vi & appetitu Elementorum inferiorum, edendæ prolis ac concipiendæ ex cœlo seminibus hinc inde concurrentibus, tandem Elementa ad suos parentes redeunt, gravida & cœlestibus formis impregnata, ibiq; semina sua fovent, dum tandem opportunè parturiant, & fœtus suos excludant.* Quercet. in Hermet. Medicin. defens. c. 14.

9. *Necesse enim est Macrocosmi tanquam Parentis dispositionem, Micro-*

VI.

ASSERTIONES CHYMIATRICÆ, DE NATURA CATARRHORUM, &c.

Resp. HENRICO CROLLIO WETTERAno Hasso.

THESIS PRIMA.

Κατάῤῥους, *Latinis destillatio, est defluxus præternaturalis humoris supervacanei, à cerebro ad membra subjecta,* Fernel l. 5. de part. morbis: *interdum ῥευματισμὸς vocatur.* Secundum Hermeticos, est Tartari è lutoso & mucilaginoso alimento priùs congesti & coagulati, sal resolutum in humores, ad subjecta membra delabentes.

2. *Omne enim quod comedimus & bibimus, habet in se mucilaginosum & luteum tartarum, sanitati humanæ noxium, quæ tartarea impuritas, cùm à stomachi interni hominis ἀναγωγῆ: innatâ, ac a Deo implantatâ virtute, à puro nutrimento separari non possit, impurum (quod aliâs per secessum & alia emunctoria exire debebat) simul cum puro ad membra transit: mittitur etiam per venas mesaraïcas ad hepar, quod & ipsum languidum & debile, non rectè separat mucilaginosum & Tartareum; sed illud in defectu bonæ separationis, ex potentiâ prædestinationis, mediante & concurrente spiritu Salis, coagulat in Tartarum, qui deinde resolutus in humores, hi verò tartarei humores in vapores, omnibus omnium spirituum mechanicorum membris, & determinatis particulis sese insinuant, eas penetrant; & quia Archei membrorum valdè differunt, variè molestant,* Osvald. Crollius in præf. Basil. Chym.

3. *Causæ Catarrhorum sunt duplices: aut enim congenitæ, & internæ; aut adventitiæ, & externæ.*

4. *Congenita & interna sunt iterum duplices: aut enim memti mandantis, aut recipientium.*

5. *Mandantis causa est Cerebrum calidum attrahens, frigi- um condensans (hæc causa est, respectu membri mandantis, terminus à* *uo.) A cerebro enim plurimi halitus, calore & levitate sursum lati, ve- uti spongia excipiuntur: Quinimò à capite ipso attrahuntur, ex senten-* *tiâ* Hippocr. *(quod ex angusto in amplum desinat, figuramq́ habeat si- iilem cucurbitulæ) & frigiditate cerebri, & naturâ insitâ condensan-* *tr & coagulantur: Non aliter ac vapores, quos alembico suppositus ignis* *tollit, à capitellis vertuntur in aquam, & quidem eò celeriùs, quò illa* *paciora & frigidiora fuerint.*

6. *Cujus rei planè simile observare licet in Macrocosmo: solis* *tim tepore, vapores efferuntur in mediam aeris regionem, qui illius fri-* *ore concreti non tàm propter pondus, quàm propter inclinationem &* *ædestinationem decidunt: terra enim vi magneticâ attrahitur, aer* *ero fructus suos in aquam & terram deponit: in peregrinis siquidem* *iatricibus omnia Elementa parturiunt.*

7. *Hic itaq, perennis agitur generationis circulus, ut superiora* *'ementa, inferiorum benignitate non destituantur, inferiora verò su-* *riorum fructibus ac resolutionibus foveantur.* Severinus in Idea ledicinæ Philosoph. c. XI.

8. *Et hæc est* aurea Homeri catena, *cujus perpetuâ circulatio-* *cælum terræ maritatur, & inferiora Elementa cum superioribus co-* *nt: perpetuis enim vaporibus ex Centro terræ in aquas expulsis, & ex* *uis in aërem evectis, astrorum cælestium attractione, nec non vi &* *petitu Elementorum inferiorum, edendæ prolis ac concipiendæ ex cæ-* *seminibus hinc inde concurrentibus, tandem Elementa ad suos paren-* *redeunt, gravida & cælestibus formis imprægnata, ibiq́ semina suâ* *vent, dum tandem opportunè parturiant, & fætus suos excludant.* uercet. in Hermet. Medicin. defens. c. 14.

9. *Necesse enim est Macrocosmi tanquam Parentis dispositionem,* *Micro-*

Microcosmo Filio, homini scilicet (qui ex illo & secundum illum conditus est, ejusdemq; cum patre naturæ & affectionum particeps) accommodare, & Mundanam Anatomiam cum Microcosmi Anatomiâ debitè conferre. Os. Crollius in præf. Bas. Chym.

10. *Recipientium membrorum causæ (terminus ad quem) sunt imbecillitas, & laxitas, & situs inferior, & ejusmodi alia: quâ autem ratione partes situ inferiores omnium primæ morbis excrementitiis corripiantur patet* 1. *ex partium connexione & societate, ut cerebri & ventriculi per nervos,* 2. *positu partium, unde pars validior nobiliorq; excrementa sua ad debiliorem ignobilioremq; plerunq; deponit. Accedunt etiam partis mandantis robur & vis expultrix valida, partis verò recipientis imbecillitas & resistendi impotentia: insuper multum juvat dilatatio meatuum, viarumq; oportunitas.*

11. *Ita si cerebrum, cujus excrementa pelvis ceu quoddam infundibulum recipit, & ad crassissimam glandulam pituitariam sub ipsis meningibus ad finem infundibuli in sphenoidis sellâ positam, transmittit, quæ etiam excrementa suscipere, & per palatum aut nares repurgare debebat: Ita, inquam, si cerebrum humorum pituitosorum copiâ gravetur, eamq; continere vel non possit, vel aliàs molestetur, fit ut à plenitudine fiant defluxiones.* Quercet. in consil. de Arthrid. & Calculo.

12. *Causæ adventitiæ & externæ sunt pariter duplices, membri mandantis & recipientium.*

13. *Mandantis causa externa, est cerebrum calefactum, id est, rarefactum, à causis calefacientibus: frigefactum, ideoq; compressum à causis frigefacientibus.*

14. *Recipientium membrorum causæ sunt itidem laxitas & imbecillitas.*

15. *In cerebro, ut & in aliis omnibus corporis humani partibus naturalium actionum administrationes conspiciuntur: suos habet ventriculos, & spiritus mechanicos, attractionum, retentionum, separationum,*

num, coagulationum, digestionum, distributionum, expulsionum authores: ubicunq; igitur tales spiritus reperiuntur vivaces & vegeti, ibi perfectæ concoctiones celebrantur, & ventriculi officia absolvi necessarium est: ubi verò non reperiuntur, contrarium evenit.

16. Spiritus siquidem sunt, qui esuriunt, sitiunt & saturantur: & quando spiritus sunt satiati, id est, quando nihil illis deest vel deficit, tum non possunt proferre vel emittere fructus morborum nuncios, sed potius sanitatis. Famelici autem cùm sunt, ægrotant, & restaurationem appetunt: Sic alimenta ventriculo recepta, virtute spirituum mechanicorum, resolvuntur & miscentur, digeruntur, & ad maturitatem perducuntur, & continuâ actione spirituum in vapores halituosos convertuntur; quicquid enim ex alimento separatum fuerit, non expectatâ aliorum sorte, continuò maturatum in vapores halituosos reducetur, & societate aliorum mechanicorum in novas officinas adducetur. Severinus in Idea Med. Philosoph. c. XI.

17. Inquinatis igitur & infirmatis spiritibus mechanicis (cùm ab iis omnes ventriculorum actiones procedant) ventriculi, ad motiones naturales, omnesq; alterationes, separationes, resolutiones, digestiones, &c. inepti redduntur, unde fiunt morbi stomachi in stomacho, jecoris in jecore, cerebri in cerebro. Ventriculus enim utut robustus, non potest omnia excrementa ab alimentis sequestrare, quia profundiùs alimentis adhærent, & spiritibus mechanicis subjiciuntur: particularis igitur in omnibus membris requiritur separatio, nisi tardiora coctionum ministeria absolvi debeant.

18. Destructo itaq; sic cælo inferiore, superius etiam necessariò & consequenter destruitur. Ventriculus enim est quasi fons & origo, qui habet proprietates trium principiorum confluentes, cum spiritibus mucilaginis tartareæ, stypticæ, aluminosæ, acetosæ. Hinc consumto, vel seorsim evacuato impuro sulphure, spiritus salis Naturæ cum spiritibus salis rei conjugium init, ipsiq; radicibus positis continuâ nutricatione incrementa sumunt, præsertim si errores in diætâ contingant, donec digestis

temporibus absolutis, paroxysmos generationum, seu potius transplantationum comites ostendunt: & sic ipse ventriculus fit destructor & corruptor Microcosmi.

19. *Corporis enim partes sunt quasi matrices & penuaria, in quibus concentrantur & uniuntur virtutes spirituum, per orbem, id est, totam Anatomiam dispersæ: Sic cerebri Anatomia, revolutio, cursus, periodus, non solis Calvariæ limitibus coërcetur, sed reliquo corpori benignè per nervos communicatur, ut nec in solo pectore Anatomia spirituum cordis continetur, sed per universum corpus mirabili continuitate dispergitur, & orbem suum per universam corporis Anatomiam propagat,* Sever. in Idea Medic. Philosoph. c. XI.

20. *Causæ hic iterum considerari possunt duplices, vel generantes, vel moventes.*

21. *Generantes sunt procreantes, conservantes & augentes, ut aquea, cruda & serosa excrementa, ex aëris flatuosis aut ventosis, deniq; ex crassioribus ac terrestrioribus, vel fœtidissimis alimentis provenientibus, quæ ejusmodi excitant halituosos vapores; qui à cerebro collecti, præcipiti quodam motu & vi quadam violentiore denuò ab eo in subjecta membra deturbantur.*

22. *Conspirant simul ad Catarrhos excitandos, somnus longus maximè diurnus post prandium; Lucubrationes nocturnæ, itemq; otium diuturnum & crapula; evacuationem enim excrementorum impediunt eorum retentionem, & aggestionem juvant: Hinc Xenophon maximè apud Persas olim vituperari consuevisse ait eos, qui vel expuebant, vel nares emungebant, quia neq; exerceri, ut par est; neq; demenso suo rectè uti viderentur. Nec minus etiam diuturnus capitis dolor cerebrum debilitans, & aliæ complures causæ simul concurrere possunt.*

23. *Ad moventem causam referuntur, quæ materiam collectam ad descensum in membra inferiora promovent, ut sunt intemperies calida aëris & cerebri, flatus Austri; & nimia capitis coopertura, tàm diurna,*

quam

quàm nocturna: olfactus etiam rerum calidarum, & ingentes animi perturbationes, quæ omnia cerebrum valde calefaciunt, & virtute calefactionis partim humores in eo congestos attenuant, partim meatus rarefaciunt & aperiunt, per quos humor solet defluere.

24. Fluxum etiam humoris pituitosi movet omne id, quod cerebrum valdè frigefacit, & vi frigefactionis partim occludit poros capitis, per quos vapores naturales solent expelli, partim condensat vapores in capite collectos, & in humores convertit: partim comprimit cerebrum, & humores in illo contentos exprimit: cujusmodi sunt intemperies frigida, aeris & cerebri, flatus Boreæ maximè post Austrum, nimia pedum frigiditas, quæ per nervos, ex sympathiâ, cerebro communicatur: & id genus alia.

25. His etiam addi potest id omne, quod caput & cerebrum in ipso conclusum, vehementer movet & concutit: cujusmodi est fortè exercitium corporis, clamor, vociferatio, & similia.

26. Sed ut Catarrhorum etiam signa attingamus, eorum alia sunt prognostica, alia demonstrativa.

27. Prognostica alia indicant futurum, alia subjectum catarrho obnoxium.

28. Prioris generis sunt, 1. apparentia & præsignificatio causarum, à quibus catarrhus excitari solet. 2. Gravitas capitis, arguens illius repletionem. 3. Frequens sternutatio, qua caput & cerebrum vehementer concutitur, & humores ad fluxum invitantur.

29. Posterioris generis signa sunt hæc sequentia: 1. Caput valde rarum vel densum: illud enim facile transitum præbet aëri frigido ad cerebrum penetranti: hoc vaporum dissipationem & evacuationem impedit, & retentionem juvat. 2. Cerebrum valdè calidum, stomachus verò & epar frigidius, siquidem ob indigestionem alimentorum multi vapores sursum ad caput vi caloris illius attrahuntur. 3. Cerebrum frigidius, ventriculus verò & epar calidius, in quibus variæ mucilaginosa impuritates atq; cruditates procreantur. Ex cruditatibus à calore

imbecilliore fiunt vapores, qui in caput evecti, ac proinde etiam ipso cerebro magis at magis intemperato reddito, moxq́; vaporibus in humorem conversis irruunt & destillant in subjectas partes.

30. Signa demonstrativa seu Apodictica, alia catarrhum præsentem, alia illius qualitatem indicant. Prioris generis sunt, sensus humoris deorsum fluentis, frequens screatus, vel tussis, læsio vel auditus, vel olfactus, vel visus, vel gustatus, vel respirationis, vel similium actionum. Posterioris generis signa, alia indicant catarrhum calidum, alia frigidum, alia acrem, amarum vel salsum.

31. Signa Catarrhi calidi sunt, partim sensus ardoris, partim rubor faciei: signa Catarrhi frigidi sunt, partim sensus frigoris, partim pallor faciei. Signa Catarrhi acris, amari vel salsi sunt sensus mordacitatis, pruritus, exasperatio & excoriatio membrorum, per qua & ad quæ fluit.

32. Plurimorum igitur & gravissimorum morborum fontem & scaturiginem esse cerebrum, valde catarrhis obnoxium, negari non potest.

33. Ex tartaro enim in ventriculis cerebri consistente, nascuntur tumores contra naturam, obstructiones & intemperies cum materiâ, inde stultitia, fatuitas, phrenitis, mania, melancholia, memoriæ jactura, Carus, Lethargus, Catalepsis, Vertigo, Epilepsia, Apoplexia.

34. Ex immoderatâ verò eorum fluxione, & quando salia corrosiva miscentur sali resoluto, sequuntur affectus dolorifici, pro diversitate salium corrosivorum diversi.

35. Ita à fluxione in Nervos & Articulos tremor, stupor, paralysis, convulsio, arthritis: à fluxione in nares, coryza, polypus: in oculos epiphora, lachrymæ involuntariæ & rubedines: ad aures, gravitas auditus, surditas, tinnitus aurium: ad os & palatum, excitatur modò tumor gingivarum, modò dolor dentium, modò inflammatio linguæ, modò tumor amygdalarum, vel gurgulionis: ad tonsillas, angina: ad stomachum, modò indigestio ciborum, modò fluxus ventris; cujus variæ sunt

species:

ſpecies: ad pectus, modò raucedo, modò tuſſes, modò anhelitus, modò corroſio pulmonis, modò ſuffocatio, unde catarrhi ſuffocativi: Hippocrati κάταρροι συνάγχας ἀπολλύντες, 3. Aphoriſm. 12.

36. *Ad cor ſi fiat fluxio eſt lethalis, & protinus ſuffocat.*

37. *Sed hic obſervandum, non omne excrementum colligi intra calvam, in cerebro & interioribus ejus ventriculis: ſed aliquod etiam intra pericranium, circa partes corporis externas, maximè ſub cute verticis.* Fernel. l. 5. de part. morb.

38. *In his igitur externis corporis partibus excrementum colligitur, quando videlicet venarum per faciem & tempora in caput irrepentium extrema in cute verticis deſinunt: quoties enim hæ vel ſero, vel humore multo turgent, alimenti reliquias & ſupervacua ſub cutem effundunt, quæ præ craſſitie atq; denſitate cutis evaporare forâs vix queunt, atq; adeò omnis externæ deſtillationis fontes & fomites ſunt.* Fern. ibid.

39. *Cognitis jam Catarrhorum cauſis, loco affecto, ſignis prognoſticis & diagnoſticis, eorumq; tandem variis pro varietate partium effectibus, hoc inſuper ſciamus, ex Hermeticâ doctrinâ, vapores, fumos, halitus, fuligines, &c. (quarum quotquot quotidie in corpore noſtro ex quibuslibet evaporationum ac exhalationum generibus generatæ in caput elevantur, tot ac tam varia, perinde ac in Macrocoſmo, Meteora in nobis excitantur) ſuccorum ac ſubſtantiarum Mercurialium, ſulphurearum & ſalinarum (cùm tamen à potiori & prædominante ſale, Catarrhus denominetur morbus ſalinaris) naturam redolere ac participare: à quibus etiam prodeunt & exhalant, ut ſubjectæ ſubſtantiæ ſimilem eſſe defluxum oporteat.*

40. *Vt enim in majore mundo videre eſt, ejuſmodi vapores & exhalationes, ſolis calore & Aſtrorum influxu, nec non propriâ ac internâ terræ caliditate excitatas, materiam tam diverſis ac ſtupendis meteoris ac corporibus imperfectè mixtis ſufficere, tum in aëreâ regione, tum in ipſis terræ penetralibus: præſertim ex vaporibus Mercurialibus*

 frigidis,

frigidis, humidis, & naturæ aqueæ, nubes & pluvias, grandines, nives, gelu & ventos generari: at ex sulphureis & calidis siccis, coruscationes, tonitrua, presteres, fulmina, & id genus alia ardentia meteora effingi: sic in mundo minore, id est, Homine, similes & iidem vapores ac exhalationes materiam multis & diversis meteoris efformandis suppeditant: ex salinaribus verò fuliginibus, præterquam seminaria & radices vitiorum in corpore nostro nihil procreatur, quum liquore omni nutriente, recreante, nec non naturæ nostræ familiari prorsus spoliatæ sint. Quercet. in Tetrade graviss. cap. aff.

41. *Hæ igitur diversæ exhalationum aut evaporationum substantiæ à sanguine nostro, aliisq; succis & humoribus in corpore nostro contentis possessæ, cùm extra temperamenti sui cancellos evagantur & excurrunt, varia morborum genera commovent & excitant.*

42. *A sanguine dico, quia in eo ceu Elemento sunt omnis generis semina & salia: Sanguis in homine est lignum in majori mundo, infinitæ autem sunt species lignorum, infinitæ igitur sunt species sanguinis: & quàm varii sunt fructus arborum, tàm variæ quoq; aptitudines sanguinis existunt,* ut loquitur Paracelsus in Paragrano. *Alio loco dicit sanguinem esse Elementum aquæ, quot autem fructus & procreata aquæ in macrocosmo existunt, tot etiam morbi in sanguine microcosmi reperiuntur.*

43. *Sed ne instituto longiores simus; hoc tantùm adhuc adjiciamus: Catarrhos in membra defluentes (ut hactenus demonstratum est) calido eorum innato, sive potiùs, secundum Hermeticos, vitali & interno eorum Balsamo, omnibus ab eo in corpore collectis viribus, providentiâ insigni, sæpiùs ita dissipari, ut triumphans hic Balsamus, membra debilitata paulatim in naturalem statum reducat. Elementa enim vitalia, collectis viribus, à globis suis, contraria repellunt, nihil disscritanei & alieni patiuntur; unde &* Hippocrates naturas, dixit, esse morborum medicatrices.

44. *Debilitatus verò internus Balsamus, nec potis aut sufficiens*

tiens morborum impuritates, radices & semina in humanam Anatomiam, & in quodlibet membrum particulariter implantata profligare, aut auferre, externo Balsamo in macrocosmo latente, Medicina illa Analogica restaurandus est: & tartarus ille dissolvendus, reducendus & consumendus: Coagulationis etiam Astrum compescendum, ne amplius coagulet.

45. Et cùm apud occultioris naturæ interpretes in confesso sit, nihil in toto universo esse, cujus non sit etiam particula in homine, ipso videlicet microcosmo (virtualiter, sive quoad proprietates & corpus internum seu spiritum, non verò quoad signaturas externas) imò omnium rerum semina in ipso latere, astrorum, meteororum, mineralium, vegetabilium & animalium: considerata diligenter hac symmetrica harmonia & anagoge physica inquirere oportet veros medicos; si laboraret, verbi gratia, Cerebrum Microcosmi internum, ut illi remedia etiam mutuarentur à parente suo, seu Cerebro Microcosmico externo, ipsi planè simili & anagogicè repræsentato; qualia è tribus remediorum officinis, & naturæ familiis, multifariàm depromi possunt. Crollius in præfat. Basil. Chym.

46. Sic externum Macrocosmicum Cerebrum, est oleum argenti, liquor sapphiri, smaragdi, Musci, vitrioli, &c. quod confortat Microcosmicum cerebrum internum. Croll. ibidem.

47. Nec prætereundum, in morbis Catarrhosis magnam habendam esse rationem ventriculi & hepatis, partiumq́; mandantium & recipientium.

48. At hæc Practicis relinquamus, nobis in præsentiarum sufficiat, ex sententia tàm Dogmaticorum, quàm Hermeticorum, naturam Catarrhorum investigasse, eosq́; in cerebro membro principali collectos, in subjectas sedes defluentes plurimorum morborum scaturiginem & fontem esse docuisse.

AUCTA-

AUCTARIA.

1. CHymia est solidæ philosophiæ fons, clavis sapientiæ, anima & medulla physices, medicinæ radix, & meta, in quam viri sapientes collimant.

2. Ideoq; Medicina & Chymia non possunt separari: quinimò dicendum, Medicos Chymicis destitutos remediis, similes esse fabrorum, qui ad secandum, hebetem securim, vel fortè medio confractam adhibent.

3. Natura Majestatem suam arcano aucupatur silentio, nobisq; castaneæ nucleum, non nisi cortice & aspero tegumento abditum offert: Ideoq; spagyricâ dissecanda Anatomiâ, ut ita proprietates, quæ antea compositionis virtute occultabantur, per artificiosam corporum resolutionem & analysin in conspectum veniant.

4. Tantum enim discrimen est inter integra & præparata, quantum inter cibos & sanguinem.

5. Studiosè tamen providendum, ut servatur propria & alibilis substantia in spagyrica Naturæ, ita servetur & medicamentosa in artificiali.

6. Medicus nullum morbum profligat, sed natura ipsa malum sibiipsi adversum omne expellit; si deficientibus propriis ejus viribus, externis à Medico ministro suo illi subveniatur.

7. QUÆSTIO: An Medicina omnis in Idololatrarum pectore, aut unius GALENI fonte adeò sit clausa, vel claudi debeat, ut eam vel ab Ethnicorum ore, vel à nullo omninò alio latice hauriendi, necessitas nobis Christianis imponatur unicè? Neg.

DISSER-

VII.

DISSERTATIO CHYMIOTECHNICA, IN QUA totius operationis Chymicæ methodus practica clarè ob oculos ponitur.

Auct. & Resp. JOHANNE RHENANO CASSELLANO.

THESIS I.

INquirenti mihi omni mentis conamine, quænam potissimùm ars hominum generi in hac miseriarum valle à summo Artifice data & concessa sit, quæ exercenti usui, ac aliis non dispendio esse possit, præ omnibus aliis commodè sese offert vera Chymia. In tota enim hac universitate nullum studium tot utilitatibus refertum esse video, quod hominem tot beneficiis ornet, beet, atq; illustret, quàm unum illud veræ Chymiæ negotium, quod hominem sanum à morbis præservat, ægrum sanitati restituit, pauperem ab inopia sublevat, naturæ abdita eruit, animum solidâ scientiâ imbuit, nulli injuriam facit, omnibus prodest, & tandem ad ipsam Creatoris cognitionem adducit. Idcircò hujus præstantissimæ artis amore flagrantes, de illa in præsentiarum sic disseremus, ut quomodo illa tractari, excoliq; debeat, omnes istam exercendi modos enumerando, enucleaturi simus.

2. *Dicitur autem Chymia* ἀπὸ τοῦ χέω, *quod sonat fundo, liquefacio, vel in liquorem aut succum reduco, unde* ὁ χυμὸς *succus, &* χυμία *ars succum faciens, seu res solidas in succum resolvens. Sed per Synechdochen partis difficilioris* κατ᾽ ἐξοχὴν *sub solutione etiam coagulatio à Chymicis antiquis subintelligitur, unde pervulgatum illud: Solve & coagula. Suidas & Cedrenus* χημεῖαν *nuncuparunt. Arabes præstantiam ejus notantes, addiderunt articulum AL, atq; illam, Alchymiam, vel, ut Cælius Rhodiginus Archimiam, quasi* ἀρχὴν χημεῖαν, *cognominarunt.*

Dicitur etiam Spagiria ἀπὸ τοῦ σπᾶν καὶ ἀγείρειν, ab extrahendo & cogendo: nec non separatoria, uti & YSOPAICA, *à lavando, sequestrando ac depurando.*

3. *Est itaq; Chymia ars physica separandi purum ab impuro, ad conficiendum medicamenta tam corporibus humanis persanandis, quàm metallicis ad summam perfectionem adducendis, accommodata.*

4. *In tractione Chymiæ consideranda sunt tum ea, quæ operationi inserviunt, seu opellam præbent, tum operatio ipsa.*

5. *Chymicæ operationi inserviunt locus & causa adjuvans.*

6. *Locus Chymicæ operationi inserviens, est subjectum materiam elaborandam continens; ut Furnus & Vas.*

7. *Furnus est locus, in quo ignis ad materiam chymicè tractandam dextrè & convenienter accommodatur. Estq; apertus vel tectus.*

8. *Furnus apertus est cujus pars superior est aperta. Ille est tum Probatorius, tum Ventosus.*

9. *Probatorius sive docimasticus, est furnus apertus, in quo metalla perfectiora purgantur, examinantur, vel, ut usitatiori rem delineem vocabulo, fulminantur. Hic furnus utplurimùm ex argilla vel laminis ferreis, rarò ex lateribus, in sequentem modum exstruitur. Sumitur lamina ferrea vel ex argilla facta, & in quadrum ita construitur, ut latitudo pedis unius in duodecim partes divisi, undecies mensurata, amplitudinem fundamenti constituat, sedecies autem longitudinem conficiat. (Malo hîc cum vulgo rudiore loqui, quàm Græcorum vel Latinorum pedis mensuras sequi, ad vitandam omnem erroris ambiguitatem) Sed quando in longum octies, mensura sumpta est, furnus sensim in declivitatem est incurvandus, ut tandem angustior fiat mensuris quatuor, & crater in summo furno septem duntaxat mensurarum amplitudinem retineat. Convenit autem laminas in crassitie sesquimensuram habere, pavimentum verò & fundum litera A. signatum, ex argilla factum, tres quadrantes unius continere. His ita constructis à pavimento sursum*

sursum capiendæ sunt mensuræ tres, & quatuor in latum, quæ inferius ostiolum litera B. ostensum constituunt. A cuspide hujus ostioli idem paries continuetur per duas mensuras, quæ spacium inter jam dictum & proximè sequens ostium conficiunt; hoc litera C. notatum est. Inde repetendæ sunt mensuræ tres cum dimidia sursum, quatuor verò in latum, ex quibus ostiolum D. imponendis, eximendisq;, nec non dirigendis rebus accommodatum, fit. Ab hoc progrediendum, atq; post unius mensuræ metam in medio parvum aliquod foramen, auricularem digitum vix continens (litera E) perforandum est, carbonibus fero movendis inserviens. Insuper tres quadrantes unius mensuræ sub ostioli finibus sunt statuendi dextrorsum atq; sinistrorsum, ubi duo foramina literis F. F. significata, mediocrem digitum lata conficiuntur. In hæc foramina, quibus respondere debent alia duo in pariete adverso ferreæ trabes, quæ in pariete anteriore quatuor digitos latos procedunt, imponuntur. Porrò utriq; ostiolo ad ignem moderandum fores seu obices adaptandi sunt cum ansa ut possint abstrahi & reponi: quorum superior foramen oblongum, ut clauso ostiolo nihilominus visui nihil detrahatur, contineat: inferior verò foramine rotundo & majori, ut ignis aerem foventem attrahat, stipatus sit. Supra trabes lamina terrea à lateribus tribus excavata, ubi cinis transeat, in quarto autem integra, & rectà parietem anteriorem tangens, ponitur. Huic pavimentum ergasterii & tegulæ fornicatæ, quod à lateribus & dorso duabus cum dimidia mensuris abesse debet, superstruitur. Præterea foramen aliquod rotundum propè ostiolum superius excavatur, ad aerem ministrandum, & G. quo etiam obicis inferioris fenestra notata est, insignitur. Omnibus ad hunc modum exstructis, furno adhuc molli foris sulci fossæq; ad bracteas ferreas, furnum firmantes, recipiendas in eo effingantur. Tandem in loco aprico furnus arefactus à figulo probè coquatur. Hic accommodatissimus est docimasticum furnum exstruendi modus, tum quia non facile cineribus obstruitur, omniq; propterea docimastico negotio sufficiens est, tum quia ob ignis dirigendi dexteritatem omnes alios longè antecellit.

10. *Furnus ventoſus ſeu anemia, numero 2. aſſcriptus ſequitur, & eſt furnus apertus, in quo beneficio venti ignis vim augentis mineralia liquantur & funduntur. Huic, ſi fortè mineralia difficilioris fuſionis fuerint, ut ventus ſufficientem calorem fovere non poſſit, aut artifex celerius aliquid fundere velit, commodè follis annectitur, qui ignem augeat, fuſionemq́; celeriorem reddat. Sed ventoſus furnus cum ſuo folle in hunc modum exſtruitur: Erigantur muri quatuor lateribus conſtructi jacentibus, intervallo ab invicem pedali diſtantes, cubitalis altitudinis, ad coniſterium ſive cinerarium conficiendum, quod litera A. indicat. In alterutro coniſterii pariete oſtiolum B. fiat, per quod ignis aërem attrahere, cinisq́; eximi poſſit. Porrò ſupra coniſterium ferramenta ad craticulam C. carbones & vas impoſitum D. ſuſtinentem collocantur. Digitum latum ſub crate parvum aliquod foramen litera E. ſignatum fiat, per quod follis roſtrum tranſeat, mittendum eſt. Furnus deinceps à crate in devexitatem pedalis fiat ad focum F. conſtituendum. Hic tandem ſatis exſiccatus cum pulvere carbonum & luto aqua diluto inungitur, ac demum follis G. apponitur. Poteſt etiam hic furnus exigente neceſſitate calcinationi inſervire.*

11. *Huc uſq; de furnis apertis: Tecti ſunt, quorum ſuperficies tecta eſt.*

12. *Furnus tectus eſt ſimplex vel compoſitus.*

13. *Furnus ſimplex eſt, qui ſimpliciter & abſolutè ſine alterius adminiculo conſtat: eſtq́; calcinatorius vel diſſolutorius.*

14. *Furnus calcinatorius, eſt qui rebus calcinandis inſervit, ut cæmentatorius & reverberatorius.*

15. *Furnus cæmentatorius, numero 3. ſignatus, eſt in quo ignis ad res cæmentandas dextrè accommodatur. Varii in hujus operationis negotio poſſunt adhiberi furni, ille tamen, quem modò deſcribemus, tum ob ignis continuitatem, tum ob ejuſdem convenientem graduum adminiſtrationem, præ omnibus aliis nobis arridet, & ſequente modo erigitur: Fiat murus ex lateribus in quadrum, qui intrinſecus cubitalis ſit*

latera-

lateraliter, & sursum ad sectionem primam usq; pedalis, ad conisterium litera A. notatum, constituendum. Porrò ad secundam sectionem adhuc pedalis fiat, ad ergasterium conficiendum, quod litera B. ostendit. Inde ad turrim furnus inclinari debet, C. ad altitudinem unius pedis. Porrò ab hujus furni cuspide turris D. tripedalis in altum evehenda est, cujus interior pars sit pedalis capacitatis. Atq; ita exstructi hujus furni proceritas erit sex pedum, vel trium cubitorum. Duo autem ostiola in pariete anteriore sunt relinquenda: unum E. in conisterio, continens tertiam cubiti partem in latum, & sextam in longum, cineribus eximendis, aëriq; attrahendo aptum; alterum F. in foco sesquialterum quadrantem cubiti habens. Intra hæc ostiola craticula ferrea ponitur, & supra illam terrea aliqua lamina, cui tegula fornicata vel pyxis cæmentatoria super imponi possit, collocatur. Tegulam hanc fornicatam vel pyxidem cæmentatoriam carbones è turri recta prolabentes tegunt, & igniunt. Præterea quatuor foramina, in quolibet nempè pariete unum G. G. ventilabra dicta, in devexitate sunt constituenda, ut carbones unco ferreo moveri per illa queant. Habeat & turris foramen H. in supremo ad auricularis digiti amplitudinem. Hoc foramen nunquam ferè clauditur, sed, ut ignis foventem aërem ad se attrahat, apertum relinquitur. Reliqua ostiola & foramina suis obturamentis probè clauduntur, ut furnus secundum operis exigentiam ignem accensum, viginti quatuor horarum spacio continuum ritè fovere possit.

16. Ejusmodi fuit furnus cæmentatorius. Reverberatorius, numero 4. est, in quo imposita materia à reverberante flamma calcinatur. Hic sequenti modo exstruitur. Erigatur murus lateritius in forma oblongiori, altitudine unius pedis, pro conisterio A. In ejus pariete alterutro locus vacuus ad quatuor digitos latos, ostiolo, per quod cineres eximi possint, relinquatur sub litera B. Huic muro impone cratem transversè, quam litera C. demonstrat; & super illam murus D. adhuc pedalis fiat pro foco, qui suprà prædictum ostiolum etiam alterum, E. signatum, per quod ligna immittuntur, habeat. His ita compositis solarium F. supra

murum ex lateribus conficitur, quod posteriorem murum ad tres digitos latos non contingat, uti per istud foramen G. flamma permeare possit; & à sequente camera retenta in materiam reverberare cogatur. Porrò, relicto in pariete anteriori ostio mediocri H. supra illud solarium, ubi materia reverberanda imponi eximiè possit, reliquam furni partem, quæ altera reliquorum paulò humilior sit, concameratione firma I. occludimus, atq; tam posteriorem, quàm anteriorem furnum, relictis in facie digitis latis duobus supra prædictum superius ostium quatuor juxta se positis ventilabris, litera K. signatis, quibus ignis dextrè & convenienter dirigi, ejusq; calor augeri minuivé, pro arbitrio & exigente negotio, possit, muris lateritiis firmatum obturamus. Omnibus hunc in modum exstructis, cuilibet ostiolo suum conveniens obturamentum formamus, illiq; imponimus, furnumq; usui inservire jubemus.

17. *Hucusq; de furno calcinatorio. Dissolutorius est furnus simplex, cujus ope, subtile à crasso trajiciendo, res dissolvuntur. Estq; Ascensorius, aut Descensorius.*

18. *Furnus ascensorius est, quando ascendendo dissolvimus. Is siccus est, vel humidus.*

19. *Furnus siccus est, ubi vas materiam continens nulli aquæ imponitur, sed præter humorem externum dissolutionem promovet; quod fit in vesica & catino arenario.*

20. *Furnus vesicæ est, qui rei in vesica dissolvendæ inservit. Is numero 6. appositus ejusmodi est: Quatuor muri in quadrum pedalis altitudinis (ut tamen latitudo pro vesicæ capacitate variari possit) pro conisterio, quod litera A. designat, erigendi sunt. Sed ab uno latere in fundo duo fragmenta sufficiant ad angulos ita posita, quòd in medio illorum spacium inane cinerario ad sex digitos lato & alto B. notato, constituatur, & super illud reliquum ejusdem partis cæteris est coæquandum. Super hoc structum bacilli ferrei in modum craticulæ sunt collocandi. Ita conisterium exstructum erit. Super hoc pares pro foco conficiendo struendi sunt muri, altitudine sesquipedales, relicto ostiolo in medio furno litera C.*

ra C.signato,per quod carbones administrari possunt. Super hūc murum baculum ferreum,qui impositam vesicam, ne delabatur, retineat,ponimus. Hisce itaq, exstructis murus ad altitudinem vesicæ pro ergastulo conficiendo continnatur. Observandum tamen est,furnum tantæ capacitatis extruendum esse, ut inter illum & vesicam duorum digitorum spacium ad minimum intercedat, quo calor vesicam debitè circumdare possit. Imposita deniq, vesica D.furnus tegitur prominente nihilominus vesicæ orificio,quatuor item ventilabris E.relictis. Tandem cuilibet foramini suum obturamentum formatur,eiq, imponitur.

21. Sic fuit furnus vesicæ: catini furnus num.7.quo catini adminiculo res dissolvimus, eodem modo quo superior sese habet, nec quicquam ad structuram quod attinet,ab illo diversus est, nisi quòd loco vesicæ catinum,vel aliud vas materiam dissolvendam continens,imponimus, & furnum obseramus. Si autem præter catinum igne aperto aliquid per inclinationem aut latus dissolvere velimus, furnus aliquo in latere quatuor vel (pro re nata) sex digitis latis ad convenientem capacitatem vacuum locum habeat, necesse est, per quem vas promineat. Hic furnus maximi usus est in omnibus fermè dissolutionibus, sive per cineres, sive per arenam, sive per ferrum fiant, sive tandem per ignem nudum perficiantur.

22. Balnei furnus sequitur numero 8.signatus,ubi in aheno calidam continenti dissolvimus. Hic furnus eodem modo, quo superiores furni exstruebantur,erigitur,& loco vesicæ vel catini ahenum,ad id fabrefactum,æneum ipsi imponitur. Ast in roris balneo aheno aliud quoddam vas ex cupro cusum, sequentiq, modo formatum super imponitur. Fit vas rotundum duum aut trium pedum altitudinis,cujus imum literæ A. intra aheni sinum recipiatur, & commissuræ adeò quadrent, ut aptè concludi & constipari possint, ne tantillum auræ vel vaporis exspiret. Ex hujus vasis aliquo latere canalis vel epistomium prominet, qui labiis inferioribus ahenum petit, ut exigente id necessitate, per illum recens aqua suffundi possit. Proximè ab aheno hoc vas circum circa

plicam

plicam aliquam habet, cui lamina perforata B. quasi septum transversum, imposita vasa continens, accommodatur. Sæpenumerò etiam accidit, ut plura digerenda simul veniant, quàm unum ejusmodi vas capere possit, quocirca ad penuriam hanc supplendam alterum primo, vel etiam tertium, tempore necessitatis, & exigente digerendorum copiâ, secundo imponi potest. In summo vasis operculum cupreum, C. convenienter juncturas claudens, ne vapor inde exhalare queat, adaptamus. Quando autem per balneum roris abstrahere aliquid animus est, vasis hujus non egemus, sed cucurbita aheno profundiori imponitur, hac tamen cautione adhibita, ne aqua ad vitrum pertingat. Oportet enim ut tantùm vapor illud circumdet & calefaciat. Tandem operculo balneo inservienti, ut vapor exhalare nequeat; obseratur.

23. *Furni ascensorii hactenus sunt expositi: descensorius sequitur, cujus adminiculo humorem deorsum propellendo, rem dissolvimus. Eriguntur autem muri, ut apparet ex figura 9. ad conisterium literâ A. quod vas aliquod recipiens B. ab omni ignis violentia tutum contineat. Conisterio imponitur ejusmodi craticula, quæ in medio foramen rotundum habeat, per quod superioris vasis ocificium C. transeat. Muri porrò continuantur ad focum, ubi & ergasterium conficiendum, quod literâ E. signatum est, cui dictum vas D. inversum imponitur, & pro re nata observatis ignis gradibus dissolutio suscipitur.*

24. *Enumeratis furnis simplicibus, ad compositos, ubi uno igne plures furni foventur, descendimus: ii sunt Athannor & Acediæ furnus.*

25. *Athanor, qui & philosophicus & arcanus dicitur, est furnus compositus arcano philosophorum lapidi elaborando calorem, ubi ignis ad vas non pertingit, convenientem tribuens. Multi multos ejusmodi furnos exstruendi modos sibi imaginati sunt, unum tamen nostri inventi, sub numer. 5. qualis omnibus tam ob ignis contiguitatem, quàm ejusdem temperantiam præstat, huc apponere visum est. Ex lateribus rotundis murus erigitur pedalis, qui in alterutra facie spacium inane*

ostiolo

ostiolo B. relictum habeat, cineribus eximendis dicatum. Super hoc structum craticula ferrea collocatur. Super hanc craticulam murum instar turriculæ pro cujuslibet arbitrio in proceritatem elevatum (relicto super craticulam alio aliquo ostiolo C. per quod carbones ferro commoveri possunt) latiorem inferius quàm superius, erigimus; quam D. demonstramus. Turrim hanc in proceritatem eo modo evectam, quando ad summum carbonibus est impleta, terreo cooperculo E. occludimus. Attamen in posteriore muro, proximè à craticula foramen F. apertum relinquimus, per quod calor athannor subintrare possit, idq; spatula vel obice ferreo G. vel numero 43. (nonnulli registrum vocant) qui sublevari ac deprimi potest, claudimus. Hic etiam in summa turri quinq; digitos latos sub operculo parvum foramen H. per quod auricularis digitus vix permeare queat, constituimus, quò ignis aerem, tanquam fomentum ad se trahere possit. Huic turri eo pacto exstructæ furnus collateralis, sive ipsum Athannor annectitur. Erigitur pariter murus rotundus altitudinis sesquipedalis, qui prædictæ turris posterius orificium tecta labris suis contingat, litera I. signatus. Ab hoc muro furnum concameramus K. relicto in summo concamerationis aliquo foramine L in modum thaleri Imperialis, per quod calor in hac parte ob concamerationem aliquo modo sese reverberans, ad proximè sequentem ascendere possit. Jam murum, à quo concamerationem cœperamus, rursus sesquipedalem erigimus M. eamq; camerâ N. obducimus, relicto pariter parvo foramine O. in summo fornice, simili inferiori. Necesse tamen est, ut in hujus mediæ partis facie aliqua locus, per quem materia imponi, eximiq; queat, vacuus relinquatur. Nam hac media in parte ergasterium est, ubi materia in suo vase super tripode collocata elaboratur. Loco vacuo complendo & obserando obturamentum aliquod ritè claudens, ne quid aëris inde concipiatur, formatur, eiq; applicatur. Quatuor digitis latis super hanc secundam concamerationem furnum relictis in basi illius quatuor respiramentis P. P. cum suis obturamentis, quibus calor augeri minuiq; possit, tertiâ camerâ Q. obducimus.

26. Restat acedia sive incuriæ furnus numero 10. ubi uno igne & parvo labore diversi furni foventur. Nomen trahit à pigritia, unde & à Germanis, Ein fauler Heintze / *vel piger Henricus appellatur. Erigitur turris rotunda vel quadrata, modo superiori, & supra craticulam foramina calorem ad laterales furnos transvehentia tria, quatuor vel quinq;, pro furnorum exstruẽdorum copiâ aperta relinquimus, quibus pessuli objiciuntur ferrei, ad immittendum vel detrahendum calorem. Singulis hisce foraminibus alius furnus arctè agglutinatur. Necesse tamen est, ut quilibet furnus & suum peculiare cinerarium A. & pyreterium B. craticulâ discreta habeat, nec non fumaria C. contineat. Horum siquidem adjumento acediorum usum ad res quaslibet accommodare possumus.*

27. Hæc de furnis dicta sufficiant; sequitur vas, quod est locus rem chymicè tractandam proxime continens.

28. Vasorum aliud igni admovetur, aliud igni non admovetur.

29. Igni admovendum vel ex una aliqua certa materia est formatum, vel ad arbitrium artificis electâ factum.

30. Vas ex una aliqua certa materia factum, est quod ex nulla alia, quàm ex ista fieri convenit. Hujusmodi aliud est vitreum, minerale aliud.

31. Vitreum, quod tantùm ex vitro conflatur, est phiala & circulatorium.

32. Phiala numero 11. signata, est vas vitreum ex ventre in modum sphæræ rotundo gracilem canalem in proceritatem emittens. Ejus usus frequens in solutionibus & coagulationibus.

33. Circulatorium est vas vitreum, ubi infusus liquor ascendendo & descendendo, quasi in circulo rotatur. Usus ejus in subtiliationibus & circulationibus positus est. Varia hujus generis vasa à variis ingeniis sunt excogitata, ex quorum numero duo duntaxat magni momenti & usus nobis placent, Pelecanus nimirum & Dyota.

34. Pelecanus numero 12. est vas circulatorium, à figura Pele-

cani

cani pectus suum rostro fodientis, pullosq; suos refarcientis nuncupatum, amplo ventre sensim in angustius collum vergente, quod retortum & curvatum os rursus in ventrem immittit. Hoc vas in fundo canalem, per quem liquor infunditur, habet, qui liquore infuso Hermetico sigillo occluditur, & calori admovetur.

35. *Dyota numero 13. est vas circulatorium à duabus auribus, vel viro utrumq; brachium lateribus applicatum habente, dictum. Hujus inferior pars est in modum cucurbitæ, cui impositus est alembicus in summo canalem, qui liquori infundendo inserviet, habens; in loco autem conveniente duobus rostris incurvatis, & in cucurbitam à capitello humorem condensatam devehentibus, præditum.*

36. *Ad vasa circulatoria refertur ovum philosophicum seu Hermetis, numero 14. quod oviforme philosophicis operationibus inservit.*

37. *Minerale vas, ex materia minerali factum, est vel metallicum, vel terreum.*

38. *Vas metallicum ex metallo factum inservit subtiliationi vel infusioni. Subtiliationi inserviens, est ahenum & vesica.*

39. *Ahenum, numero 15. est vas metallicum ex cupro aut ferro duûm pedum altitudinis, ejusdemq; fermè latitudinis, cusum. Hujus fastigio cooperculum, sequentem in modum formatum, illiusq; limites ritè claudens, imponendum est. Fit lamina cuprea ad aheni capacitatem (nonnulli rei familiari consulentes pro cupro ligneum asserem assumũt) rotunda, cujus in centro (quando uni cucurbitæ inservire debet) ad amplitudinem imponendi vasis, foramen excavatu:, ut vas per illud prominere possit. A latere verò alterutro propè aheni finem aliud parvum foramen, per quod calida suffunditur, & defectus exspiratæ aquæ suppletur, perforatur. Usus hujus aheni cum operculo in Balneis frequentissimus est.*

40. *Vesica, numero 16. est vas metallicum ex cupro in forma vesicæ vel ovi, duûm aut trium pedum altitudinis, convenientisq; latitu-*

 dinis,

dinis, formatum, & circa fastigium apertum, ut intra sinum suum convenientem alembicum recipere possit, qui adeò cum orificio vesicæ quadrare debet, ut tam aptè invicem concludi possint, ne minimum inde exspirare queat. Impositum capitellum è suo vertice canalem duûm aut trium pedum altitudinis emittere debet, qui in summitate aliud capitellum ab aheno aliquo semper frigidam continente, quâ spiritus in alembicum elevati, refrigesieri & condensari possint, circumdatum sustinet. Ex hoc capitello epistomium seu canalis procedit, qui vapores condensatos guttatim in vas suppositum deducit. Hujus vesicæ usus in vegetabilibus dissolvendis non est negligendus.

41. *Quæ fusioni inserviunt sunt vasa quæ liquata & effusa mineralia recipiunt: ut, infundibulum & pyramis.*

42. *Infundibulum numero 20. est vas metallicum oblongum cum manubrio, interius excavatum, liquata metalla recipiens, & in virgas vel baculos conformans, Germanis* ein Einguß *dicitur.*

43. *Pyramis numero 21. (aliis catinus coniformis, vel* ein Gieß-buckel*) est vas metallicum in modum pyramidis excavatum, ut pars ejus superior lata, inferior autem in acutum vergens, pro liquatis mineralibus in regulum formandis, accommodari possit.*

44. *Terrea vasa ex terra facta, alia materiam ipsam continent, reliqua capiunt alia vasa.*

45. *Quæ materiam ipsam capiunt, sunt fusoria aut non fusoria.*

46. *Fusoria sunt vasa materiam ipsam capientia, quorum administra ope mineralia funduntur: ut catillus cinereus & crucibulum.*

47. *Catillus cinereus numero 17. est vas fusorium ex cinerum de levi ligno elixatorum, & ab omnibus carbonibus aliisq; spurcitiis defecatorum partibus duabus, nec non cinerum de ossibus medullâ carentibus (ne tamen de porcis, quæ summum dispendium inferunt, desumpta sint) optimè tritorum parte una, cum cerevisia bona ad massam madefactis, & probè invicem commixtis in suo mortariolo paratum. Cineribus si-*

bus siquidem madefactis hoc mortariolum impletur, & pistillum (vulgò monachus dictum) pulsibus tribus ligneo malleo factis in illud cuditur, ac tandem inspersis cribro setaceo cineribus de capitibus vituli, aut cornu cervi unus atq; alter pulsus super additur, atq; ut arefiat eximitur. Fit & in majori forma catillus cinereus, qui in annulo ferreo formatur. Hic numero 18 signatus est.

48. Crucibulum est vas fusorium ex terra igni contumacissima factũ, acutiore basi & tereti in ampliorem capacitatem forma triangulari vel rotunda desinentem, ad fundenda & eliquanda mineralia & metalla formatum. Fit etiam crucibuli species, quæ vulgò testa (treibscherbe) *appellatur, fundendis metallis adæquatum.*

49. Non fusoria sunt, quibus nihil funditur, ut pyxis cæmentatoria. Est autem pyxis cæmentatoria, vas terreum, ex terra igni contumaci in modum pyxidis suum operculum aptè recipiens formatum. Hanc pyxidem numerus 22 indicat.

50. Hæc sunt vasa ipsam materiam capientia: quæ alia vasa accipiunt, sunt catinus arenarius & tegula fornicata.

51. Catinus arenarius numero 23. (vulgò ein Sand Capell) *est vas terreum in modum pilei rotundi, cum margine trium aut quatuor digitorum ex terra tenaci factum.*

52. Tegula fornicata, numero 24. (ein Muffel) *est vas terreum ventilabris & ostio pervium, oblongum, ad tegendum catillos, ne operæ polluantur favillis, utq; calor eò temperatius materiam elaborare possit, formatum. Quidam hanc tegulam cum fundo connectunt, alii fundum ab illo segregatum faciunt, id quod in cujuslibet positum est arbitrio.*

53. Huc referendus est tripes ferreus, numero 33. qui est vas, aliud vas materiam calefaciendam continens, recipiens, ex ferro fabrefactum.

54. Ad vasa ex materia pro artificis arbitrio electa facta nos accingamus, quæ è terra, vitro, metallis, pro re nata, formata sunt. Hæc sunt superiora & inferiora.

55. *Superiora sunt alembicus sive capitellum* (ein Helm) *quod vasis inferioribus ad vapores recipiendos imponitur.*

56. *Est autem alembicus alius rostratus, numero 25 qui humores resolutos per canalem aut rostrum ad vas recipiens dimittit: alius cæcus, hoc est, sine rostro, sublimationibus inserviens. Hic in sublimationibus nonnunquam in vertice perforatus aliquantulum est; humores ascendentes, inde emittens.*

57. *Inferiora sunt cucurbita & retorta.*

58. *Cucurbita* (ein Kolben) *est vas plerumq; turbinatum, in cucurbitæ vel pyri formam utero turgescens.*

59. *Cucurbita alia fundo globoso numero 27. prædita est, alia lato.*

60. *Retorta est vas globosum, cujus collum paulatim à ventre procedit, ac sensim in oblongum canalem reflexum transit. Vide numerum 28.*

61. *Hactenus vasa igni applicanda: vasa quæ igni non applicantur sunt continentia vel transmittentia.*

62. *Continentia, quæ materiam continent, sunt receptaculum & concha.*

63. *Receptaculum numero 29. est vas amplum & globosum, destillantes humores recipiens. Vulgò* ein Vorlage *appellatur. Sed receptaculum pro rei destillandæ ratione variat. Nam si res vaporosæ, flatulentæ ac spiritales dissolvuntur, amplum esse debet; alioqui à spirituum vi magna, magno bombo ac crepitu, nec sine astantis periculo rumpitur, atq; in frusta dissilit. Si verò res calidæ tenuesq; fuerint, collo longo formatum esse debet. Sin autem res mediæ fuerint, medium receptaculum requiritur.*

64. *Concha numero 30.* (ein Glaßschale) *vel alveolus vitreus, est vas plerumq; vitreum in modum alvei formatum cum ore & manubrio.*

65. *Transmittentia vasa sunt tritorium & separatorium.*

66. Tri-

66. *Tritorium (vulgò infundibulum,* ein Trechter) *numero 31. est vas transmittens, in superficie latum, & paulatim acuatum, cum manubrio annexo formatum.*

67. *Separatorium numero 32. est vas transmittens, quodammodo oviforme, oblongum, orificio ad capacitatem auricularis digiti aperto, cui materia infunditur, & fundo in modum acus acuato, materiam rursum emittendi gratia præditum cum annexis ansis duabus, liquoribus invicem separandis accommodatum.*

68. *Hactenus locus: Causa adjuvans est quæ artifici suo inservit ministerio: talis est instrumentum manuarium, & calor ignis.*

69. *Instrumentum manuarium est, cujus applicatione & motione artifex suam actionem perficit.*

70. *Instrumentum aliud igni admovetur, aliud igni non admovetur.*

71. *Quod igni admovetur, aut semper, aut pro artificis arbitrio admovetur.*

72. *Semper admotum est gracile vel latum.*

73. *Gracile est instrumentum oblongum, semper igni inserviens; ut craticula & baculus ferreus.*

74. *Craticula est instrumentum ex bacillis ferreis quadratis, & digitalis crassitudinis juxta se in acutum ita positis, ut semidigitale spacium inter illos intersit, factum, focis conficiendis, carbonibusq; sustentandis inserviens.*

75. *Baculus ferreus est instrumentum ad sustinenda imposita vasa, cusum.*

76. *Latum instrumentum, vel spatula, obex numero 43. est in modum spatulæ factum, quod furnis compositis ad augendum minuendúmve calorem inservit.*

77. *Pro artificis arbitrio igni inserviunt, forfex, rutabulum, cochleare & circulus.*

78. *Forfex* (ein Klufft) *est instrumentum oblongum, & biceps,* quod

quod manibus facilè comprimi dilatariq; potest, igni imponendis, dirigendisq; prunis atq; vasis aptum: numero 38. Est & alia forficum species, quibus vasa tantum ex igne sustollimus, numero 39. quæ instar forcipis complicatur.

79. *Rutabulum vel uncus* (Rührhacke) *numero 42. est instrumentum ex ferro oblongum, & in fine curvatum, quo ignis, vel materia in igne contenta proruitur & commovetur.*

80. *Cochleare, numero 41. est baculus ferreus longus, in altera parte cochlear, in altera radulām habens docimasticis operationibus inserviens.*

81. *Circulus est instrumentum rotundum vitris abscindendis ex ferro factum: numero 40. Perfringuntur autem hoc modo: Circulus candefactus vitro applicatur, illudq; tamdiu stringit, donec fervefiat & incalescat, cumq; adhuc fervet frigidâ guttâ immissa, aut frigidi halitus affluxu dissilit atq; disrumpitur.*

82. *Hæc sunt instrumenta quæ igni admoventur: quæ verò non admoventur, eorum aliud est ligneum, metallica reliqua.*

83. *Ligneum instrumentum est asserculus perforatus, seu dyoptra, numero 36. quæ est tabula lignea manubriata, circa medium in latum fissa, ut per eam faciei prætenta absq; oculorum injuria ignis atq; operis modum contemplari possimus.*

84. *Metallica instrumenta sunt tabula ferrea & mortariolum.*

85. *Tabula ferrea est instrumentum aliquot scrobibus hæmisphæricis seu acetabulis compuncta, ad excipiendum probationum effusiones: numero 37.*

86. *Mortariolum est modiolus catillorum cinereorum formandorum in lati circuli modum (numero 34.) vel pertusi catini ex orichalco plerumq; factus. Hoc mortariolum comitatur pila, (vulgò monachus) quæ est pistillum cum tubere rotundo ex basi lata media prominente, cujus incussu catilli fovea formatur. Sed ad catillos majores, hoc est, majorem materiæ copiam capientes, formandos utimur circulo ferreo, numero*

mero

mero 35. & convenientẽ pila foveam procudimus. Hæc dẽ instrumentis.

87. Jam ad ignis calorem deveniamus, qui est causa adjuvans, *sua ope res tractandas accelerans & fovens: estq; naturalis, aut artificialis.*

88. *Calor naturalis est, quando radii solares vel per se materiam sibi applicatam excoquunt, vel in speculo concavo collecti rei applicantur. Hujus ignis suus usus est apud artifices. Possumus enim hoc dissolvere & calcinare; imò nonnulli illum in lapidis philosophici præparatione adhibendum esse autumant: quam opinionem suis autoribus relinquentes, cum tamen non negligendum esse censemus.*

89. *Artificialis calor dicitur, qui ad artificis nutum accendi, dirigi & administrari potest. Calor hic simplex est aut mixtus.*

90. *Simplex est, qui uni duntaxat operationi, sive illa sit digestionis, sive separationis, inservit.*

91. *Calor digerens est, quo materia dissolvenda digeritur, id quod in athannore aut fimo perficitur.*

92. *Digestio in athannore fit, quando turri athannoris carbonibus ad summũ usq; impleta ignem in foco accendimus, & ferrea spatula vel registro pro nostro arbitrio ostiolum, calorem ad athannor transmittens dilatamus. Quomodo autem calor ille dirigi, hoc est, quando remissior aut intensior esse debeat, discors est philosophorum opinio. Quidam enim naturæ operationem (ut ajũnt) æmulantes continuum, eundemq; à principio actionis usq; ad finem, calorem requiri contendunt. Alii in gradus dispescunt, ut principio nimirum ad albedinem usq; primus gradus, inde ad flavedinem secundus, ad finem autem, qui est uberrimæ rubedinis, tertius adhibeatur. Cui sententiæ & nos plurimis tam autoritatibus quàm rationibus inducti, adstipulamur, alteram suis autoribus opinionem reliquentes.*

93. *Calor fimi est, quando vase in fimo posito, materiamq; continente digestio fit. Hic calor multi usus est apud artifices in infundendis,*

digerendis, & putrefaciendis rebus. Adhibetur interdum fimus equinus, in quo vas sepelitur, aliquando vas ligneum fœno vel stramine impletum, cui vapor è fervente aqua applicatur, fimi in locum adhibetur.

94. *Sequitur calor separans, cujus ope subtile à spisso abstrahitur. Estq; lenis aut fortis.*

95. *Lenis est calor separans lento calore humorem eliciendum propellens. Est autem ille vesicæ aut cinerum.*

96. *Vesicæ est calor lenis, quo ex materia vesicæ imposita, applicato alembico substantia humida prolicitur.*

97. *Cinerum calor est, quando partes fixiores per cineres eliciuntur. Hic medius est inter balnei & arenæ calorem: proinde illius ope non modò subtiliores, & ad naturam aqueitatis simplicis approximantes substantiæ propelluntur, sed etiam colores & fixiores partes eliciuntur.*

98. *Fortis calor est, quando igne intensiore & auctiore res separantur. Estq; impeditus, aut liber.*

99. *Calor impeditus est, quando ignis à materia vel vase, ne illud proximè tangat, ab alio vase impeditur. Estq; arena, vel scobis ferri.*

100. *Arenæ calor, medius inter cinerum & scobis ferri est, quando vas materiam continens in catino arenario arenâ circumdatum substantiam fixiorem & tenaciorem, quam cineres propellere nequibant, protrudit. Vbi advertendum est, arenam subtilem non adeò violentum calorem præbere, quàm grossam.*

101. *Scobis aut scoriæ ferri calor superiore intensior, & aperto vicinior est, quando ex scobe vel scoria ferri res propelluntur.*

102. *Calor liber est; qui proximè materiam, aut vas materiam continens tangit. Hoc calore proliciuntur, quæ contumaciùs liquorem emittunt, sive id fiat ob siccitatem & paucitatem, sive quòd ob viscositatem & homogeneitatem ille terreis partibus pertinaciùs adhæreat: taceo quòd calcinationi, fusioni, & aliis operationibus inserviat. Estq; carbonum vel flammarum.*

103. *Calor carbonum est, quando calor prunarum flagrantium mate-*

materiam vel vas proximè tangit. Hujus usus est in fusionibus, cæmentationibus, probationibus, calcinationibus & dissolutionibus.

104. Calor flammarum est, quando adhibito conveniente alimento flammæ materiam attingunt. Hic calor vocatur ignis vivus, quo reverberantur & calcinantur omnium metallorum corpora, nec non spiritus tandem propelluntur.

105. Tandem ad mixtum calorem, qui tam digestioni quàm separationi inservit, descendendum est. Hic calor balneum appellatur, quando nimirum vas aquæ calidæ, aut vapori imponitur.

106. Balneum aliud est maris, roris aliud.

107. Balneum maris vel Mariæ est, quando res dissolvenda in conveniente vase aquæ calidæ in suo aheno contentæ imponitur, inibiq; operatio perficitur.

108. Balneum roris est, quando vas aquam non tangit, sed à vapore ascendente calefit, resq; imposita dissolvitur.

109. Hactenus illa quæ operationi inserviunt pertractavimus: jam ad operationem ipsam ut progrediamur ordo exigit.

110. Partes itaq; operationis Chymicæ duæ sunt, solutio nimirum & coagulatio.

111. Solutio est prior Chymicæ praxeos pars, qua rerum coagulatarum compages solvitur & attenuatur. Estq; calcinatio & dissolutio.

112. Calcinatio est rerum coagulatarum in calcem solutio.

113. Calx in Chymica significatione est pulvis quilibet per ablationem superfluæ humiditatis in partes tenuissimas & quasi inpalpabiles comminutus.

114. Calcinatio est corrosionis, aut ignitionis.

115. Corrosio est calcinatio res coagulatas per corrodentes spiritus in calcem reducens. Estq; vaporosa vel immersiva.

116. Vaporosa corrosio est, quando corpora metallica in tenues laminas redacta per acrem corrodentemq; fumum calcinantur. Sed diversi sunt vaporosæ calcinationis modi. Aliquando enim corpora lami-

nata super aquis fortibus, aliquando super aceto vel recrementis uvarum expressarum suspenduntur: aliquando, præsertim nobiliora metalla, plumbi fusi, vel argenti vivi afflatu fragilia redduntur & comminuuntur: aliquando alii, quos hic recensere singulos longum foret, modi adhibentur. Verbigratia: Chalybem in crocum subtilem per vaporosam corrosionem redigere gestiens, ita procedo: Primùm paro aquam fortem ex salis petræ & vitrioli ad albedinem calcinati partibus æqualibus, eãq; in cucurbitam vitream fundo, pòst in cucurbitæ superiore parte laminas chalybis suspendo, lutoq; orificium vasis obduco, ne spiritus aquæ fortis ullo modo exhalare queant, ac viginti quatuor horas in arena calidæ vaporare permitto. Deinde aperto vase laminas eximo, quibus crocus vel pulvis subtilissimus adhæret, quem lagopode detergo. Porrò laminas iterum in dicto vase suspendo, & superiori modo procedo, idq; tantisper, donec nullus crocus ulterius à spiritibus extrahitur, aut in laminis reperitur. Sic plumbum super aceto suspensum calcinatur in cerussam, sic cuprum super recrementis uvarum; atq; ita reliqua metalla vaporibus corroduntur.

117. *Immersiva corrosio est, quando corpora aliis rebus immersa in calcem rediguntur. Estq; humida vel sicca.*

118. *Humida est, quando corpus liquori alicui corrodenti immergitur, indeq; calcinatur: perficiturq; amalgamatione, aut præcipitatione.*

119. *Amalgamatio est calcinatio metalli per argentum vivum: & fit, quando metallum in tenues bractas vel laminas ductum, cum sex, novem, aut duodecim argenti vivi partibus commiscetur & coadunatur, ut fiat massa undiq; sui similis; atq; ita metallum discontinuatur & calcinatur. Argento enim vivo per evaporationem super igne lento ablato, metallum instar tenuis calcis relinquitur.*

120. *Præcipitatio est, quando corpora per aquas corrodentes corrosa, & in aquam soluta, vel aquæ corrodentis abstractione, vel alio encheremate in aliquam calcem repercutiuntur. Sic argentum in aqua forti*

forti dissolutum cupro, sale communi, aut ammonico injecto, præcipitatur. Sic & aurum in aqua regia solutum, adhibito pauculo argento vivo repercutitur, cui si parumper florum sulphuris admixtum, idq; clauso vase ad ignem positum fuerit, ut argentum vivum & sulphur evaporare & discedere possint, calx subtilissima relinquetur. Simile judicium & de aliis esto. Sed quò magis corpora dissolvuntur, tantò etiam magis subtiliusq; calcinantur.

121. Sicca corrosio est, quando corporibus calcinandis non humor, sed ejus in locum corrodentes materiæ siccæ adjunguntur, quibus calcinantur. Estq; cæmentum & commixtio.

122. Cæmentum est corrosio sicca, qua corpus aliquod metallicum cum salibus corrodentibus, aliisq; rebus exsiccantibus stratificatum confringitur & calcinatur. Fit autem cæmentatio hoc modo: Corpus cæmentandum in tenues laminas redigitur, & in frustula forcipe scinditur; species autem corrodentes pulverisantur, & aceto, urina, vel aqua forti madefiunt, ut fiant instar pulticulæ (nonnulli illis siccis utuntur:) Deinde hujus pulticulæ vel pulveris aliqua portiò pyxidi cæmentatoriæ inditur, illiq; lamina superponitur, & laminæ alia pulveris portio aspergitur (quod stratificatio, & facere stratum super stratum dicitur) hanc alia lamina subsequitur, idq; tantisper, donec pyxis impleta, aut nihil laminarum residuum est, & tandem pulvere superposito clauditur, lutoq; aliquo tenaci juncturæ pyxidis munitæ obturantur, atq; igni, vel (quod satius est) suo furno imponitur, & secundum gradus cæmentatur quatuor, sex, octo, duodecim, vel viginti quatuor horis, imò etiam aliquot diebus (pro re nata) inibi conservatur. Tandem pyxide infrigidata, eximitur, laminæq; à pulvere separantur, quæ tota confracta ac calcinatæ inveniuntur. Verbi gratia: Animus est præparare crocum Martis seu chalybis, idq; per cæmentationem, tunc accipio Calcis vivæ recentis, quantum opus est, eamq; urinâ aliquantisper virili madefacio, ut fiat instar pulpæ. Postea hac pulpa pyxidis cæmentatoriæ fundum ad digiti lati crassitudinem tego, eiq; laminas chalybis superaddo, & vas (uti superius

dictum est) impleo, ac luto obfirmo. Omnibus ritè paratis pyxidem in furno nostro cæmentatorio pono, ignemq́; tertii gradus ad quartum usq; viginti quatuor horis continuum administro. Tandem exempto vase materiam in illo contentam in mortario probè contundo; & per setacium pello, ut fiat pulvis subtilissimus; ubi calcem à chalybe omnem calidâ abluo, residuumq́; arefacio, & accipio crocum Martis præstantissimum. Eo modo fit & crocus Veneris, qui multis operationibus inservire potest.

123. Commixtio est, quando corpori calcinando species quædam, utpote sulphur, sal petræ, sal commune, vel alia commiscentur ac conteruntur, quibus igni admotis corpus in calcem redigitur. Exemplo res clarior evadet: Sumo stibii, salis petræ, & salis communis partes analogas, easq; minutissimè tritas & commixtas in tigillo, optimo luto munito, ita tamen, ut in superficiei medio aliquod foramen parvulum relinquatur, per quod arsenicales & venenati spiritus exhalare queant, in furnum venti pono, ignemq́; fusorium accendo, & si libet follis etiam ministerium adhibeo, ut in tigillo sufficienter fluant. Hîc autem studio animadvertendum est, quamdiu fumus per foramen illud in superficie relictum ascendat. Ille siquidem adhuc evaporans, materiam non satis calcinatam esse subindicat. Sed quando omnes ejusmodi spiritus fumantes evanuerunt, ignem propè ad vivum adaugeo ad quadrantem horæ, ac tandem crucibulum eximo, infrigidatumq́; aperio, nec nō materiam extraho, ubi antimonium in fundo à salibus sicuti regulum à scoriis, separatum invenio. Hoc antimonium à salibus malleo aliquo detrunco, atq; in pulverem tero, qui instar cinabrii rubicundissimus, & in re medica nonnullis medicamentis præstantissimis conficiendis accommodatissimus est. Atq; ut hic optimus, ita & celerrimus est antimonium calcinandi modus, cum quod intra dimidiæ horæ spacium perfici possit, tùm quòd nihil salium secum retineat, sed à se protrudat.

124. Ignitio sequitur, quæ est calcinatio corpora ignis violentia in calcem reducens, Estq; combustio & reverberatio.

125. Com-

125. Combustio est ignitio corpora comburendo in calcem redigens. Hæc est incineratio vel vitrificatio.

126. Incineratio est ignitio corpora vehementiore igne in cineres convertens. Incinerantur autem vegetabilia & animalia: mineralia autem (Chymico more loquendo) propriè non in cineres, sed in calcem redigi dicuntur.

127. Vitrificatio est combustio, calces & cineres in transparens vitrum convertens. Esto exemplum ab argento vivo & argento conjunctis. Capio oleum vitrioli rubeum secundum artem factum & rectificatum, in hoc argentum vivum per sublimationem, aut per sal & acetum lotum & depuratum resolvo, idq; continuò in calore tandiu foveo, donec nullus omninò Mercurius neq; vivus neq; præcipitatus amplius apparet, sed totus in oleo formâ liquidâ latet. Quo facto oleum hoc Mercurium continens in retortam vitream, & quantitati materiæ convenientem fundo, ponoq; in catino arenario, atq; accenso igne oleum à Mercurio in appositum vas recipiens propello. Atq; ita Mercurius per præcipitationem in calcem erit redactus. Hujus præcipitati accipio uncias duas, calcis argenti, & salis armoniaci ana unciam unam, eaq; invicem trita & commixta, nec non in phiala posita ad sublimationem accommodo, ubi salarmoniacum ascendit, & Mercurius cum luna, etiam servato pondere in fundo manent in modum auri purissimi. Postea in vitro forti aut crucibulo devitreato in furnum venti ad fluendum pono, adauctoq; igne in fixum transparensq; vitrum, quod de colore aureo ad pallidiorem descendisse videtur, abit. Vitrum hoc infinitarum virtutum est, quas singulas hoc loco recensere neq; instituti, neq; æquitatis est: sed demonstrato conficiendi modo, solerti Chymiatriæ indagatori committimus.

128. Reverberatio est ignitio, corpora igne vivo reverberante & repercutiente in calcem subtiliorem reducens: & est clausa vel aperta.

129. Re-

129. Reverberatio clausa est, quando corpora reverberanda in furno reverberii clauso calcinantur. Hac reverberatione ignis gradus ad amussim administrari possunt, ut calor intendi remittiq; possit, quod in vulgaribus non accidit. Verbo hanc reverberationem aperiam. Theophrastus Paracelsus in Chirurgiæ magnæ libro 2. tract. 3. cap. 5. ubi tincturæ antimonii, quam adeò commendat, præparationem docere gestit, modum ita obscurum & devium tradit, ut Oedipo aliquo ad illum intelligendum opus sit, quod & ipse ultrò fatetur. Hujus tincturæ præparationem experientia freti in medium producemus, nostramq; clausam reverberationem eâ declarabimus. Accipiuntur antimonii & salis armoniaci partes æquales, & in retorta positæ, igne forti propelluntur; ibi antimonium omne transit, nec quicquam, nisi faeces turbulentæ in retortæ vase, remanet. Antimonium hoc modo per retortam dissolutum à sale armoniaco frequenti ablutione separo, ut dulce nulla salsedine infectum, relinquatur. Hoc exsiccatum minutissimè tero, & in alcohol converto, nostroq; reverberatorio impono, & accenso flammarum igne unum duntaxat fumarium aperio tantisper, donec nostrum antimonium, quod rubeum fuit, in albedinem convertatur. Quando album factum est, secundum fumarium aperio, quousq; ignis auctior albedinem ipsi exuat, & flavedine ipsum decoret. Amplius apparente flavedine, tertio fumario aperto ad citrinum colorem illud promoveo, atq; quarto ad perfectam rubedinem perduco. Huic antinomio rubeo spiritum vini, ex vino factum affundo rectificatum, essentiamq; sive tincturam clauso vase extraho. Quando spiritus vini amplius non tingitur colore rubeo, eum à tinctura abstraho. Hæc vera est antimonii tincturæ, cujus Theophrastus mentionem facit, præparatio.

130. Reverberatio aperta est, quando materia in reverberatorio furno omnibus foraminibus apertis calcinatur. Hæc reverberatio valdè vehemens est, & utimur ea in corporibus duris & pertinacibus resolvendis.

131. Hæc de calcinatione in præsentiarum dicta sufficiant: restat

restat dissolutio, quando corpora dissolvuntur. Estq́; subtiliatio vel fusio.

132. *Subtiliatio est dissolutio, partes subtiliores à grossis separans. Subtiliatio est μικροχρονικὴ aut μακροχρονικὴ.*

133. *Subtiliatio μικροχρονικὴ est, quando corpora brevi temporis spacio dissolvuntur. Estq́; elevatio vel descensio.*

134. *Elevatio est subtiliatio μικροχρονικὴ, quando partes spirituales à corporeis, subtiles à grossis, non fixæ à fixis instar fumi vi ignis elevantur, & in summitate capitelli condensantur. Et est sicca aut humida.*

135. *Elevatio sicca (vulgò sublimatio) est, qua partes siccæ subtiliores elevantur, cum adhærentia sui vasis. Hæc sequente modo peragitur. Accipio materiam aliquam sublimandam, eamq́; vel solam, vel aliis admixtam materiebus vasi alicui vitreo aut terreo inferius lato vel rotundo includo, ita ut duabus partibus vacuis tertia impleta sit. Vasi huic sive cucurbitæ alembicum cæcum in vertice parvo foramine perforatum impono, luto obduco, & ne spiritus aut partes sublimatæ exhalare possint, obfirmo. Deinde in catinũ arenarium, tribus digitis à fundo & parietibus intercedente arenâ, vel in ignem liberum pono, caloremq́; per gradus augeo. Primo autem gradu omnis humiditas abeat, necesse est, quod impositâ vitro laminâ aliquâ ferreâ lævigata facilè exploro. Cùm enim humiditas aliqua adhuc residua est, lamina illa adhæret, sed quando omnis humiditas discessit, spiritus sicci ascendunt, & tunc alembici foramen, superstrato aliquo vitro adæquato luto bono, ne spiritus exspirent, claudo. Tandem ignẽ tantisper foveo, donec omnis materia sublimanda elevata est. Nonnulli loco cucurbitæ scutella vel conchâ aliquâ terreâ materiã continente, cum vitreo cono, parietibus vasis inferioris ritè accommodato, utuntur, verbi gratia: Accipio sulphuris citrini optimè purgati libras duas, salis commmunis, & vitrioli Vngarici parum calcinati ana libram semis, pulverisata singula, & invicem mixta pono in cucurbitam, impositoq́; alembico cæco in vertice perforato, accendo ignem primi gradus, donec humiditas evanuit; tum clauso orificio gra-*

M datim

datim procedo, quousq; omne sulphur subtilius ascendit. Hoc sulphur (flores sulphuris à Chymicis dictum) ex alembico exemptum, secunda vel etiam tertia vice, semper addendo quartam partem salis, & vitrioli per sublimationem redintegratam rectifico, & accipio flores sulphuris pulcherrimos, pluribusq; affectibus resistentes.

136. *Elevatio humida (vulgò communiori nomine destillatio dicta) est partium humidarum in halitus extenuatarum, à siccis & grossis subtiliatio. Estq; recta vel obliqua.*

137. *Recta est, qua partes humidæ subtiliores in æthera elevatæ, & frigidis alembici cameris adhærentes in humorem condensantur, atq; per ejusdem canalem guttatim in appositum vas destillant ac dilabuntur. Fit autem illa hoc pacto: Materia destillanda inditur cucurbitæ non nimis altæ, sed satis amplæ (altitudo enim vasis artificem detinet, quem amplitudo juvat) & imponitur alembicus magnus, qui spiritus ascendentes facilius capiat, & in humorem resolvat. Postea pro ratione rei elevandæ ad calorem adæquatum ponitur, apposito receptaculo humorem dilabentem accipiente, omnibusq; juncturis probè clausis ignis accensus secundùm gradus adhibetur eò usq;, quò omnis humiditas alembicum transcenderit. Exemplum à vegetabilibus desumptum producemus. Rosis recentibus impleo cucurbitam ad tertiam partem, illamq; in balneo maris pono, aquâ adhuc frigidâ; postea alembicum rosarum rubearum foliis, quibus aculei lutei decerpti sunt, compleo, cucurbitæq; impono, & apposito receptaculo, juncturisq; lutatis ignem accendo. Tunc humor ascendens alembicum occupat, atq; ex rosis tincturam extrahit, condensatusq; in aqua in receptaculum destillat roseus. Animadvertendum autem est, quòd si aculei non decerperentur, aquam tincturam purè rubeam extrahere non posse. Tamdiu verò continuato calore pergo, donec nulla aqua transcendat amplius, & rosæ in alembico albescant. Hoc adduxi propter artificium tincturam ex rosis, sua ipsius aqua, extrahendi. Hic elevationis modus admodum frequentis usus est. Utimur enim illo, quando aliquid per vesicam elicimus,*

mus, tum etiam cùm per alembicum cucurbitæ annexum aliquid elevamus.

138. Elevatio humida obliqua est, quando vase obliquè jacente humor elevatur. Fit autem hoc vel per latus, vel per retortam.

139. Elevatio per latus est, quando humor ex vase in latus inclinato prolicitur.

140. Elevatio per retortam est, quando humor ex retorta propellitur. Vterq; hic modus in rebus graviores & tenaciores spiritus referentibus usum suum habet.

141. Descensio sequitur, quando partes subtiliores descendunt. Illa est calida vel frigida.

142. Descensio calida (vulgò destillatio per descensum) est liquoris è corporibus dissoluti inverso vase destillatio. Dissolvuntur autem inprimis hac descensione omnis generis ligna, ossa, & alia, quorum liquor propter gravitatem ascendere nequit. Et fit hoc modo: Accipio cucurbitam terream, eiq; dissolvendorum fragmenta impono, eaq;, ne inversâ cucurbita decidant, nonnulli majoribus fragmentis vel bacillis transversè juxta se positis tego. His peractis, aliam cucurbitam, in qua parum aquæ sit, huic inversæ applico, ita ut superior exactè cum inferioris orificio conveniat, sed inter utramq; laminam aliquam satis fortem ferream instar lancis concavam & perforatam collocatam esse decet, quæ decidentia fragmenta, ne in suppositum vas dilabantur, detineat. Tandem optimo luto clausuras obfirmatas arefacio, vasq; in sua fornace pono, & vas recipiens in arena vel cineribus colloco, ut ab ignis violentia tutum humorem depressum eò faciliùs recipiat.

143. Descensio frigida est, quando liquor dissolutus in frigido descendit. Estq; deliquium vel filtratio.

144. Deliquium est descensio frigida, quando corpora coagulata cellæ, aëri, puteo aut alii frigido & humido loco super marmore, tabula vitrea, vel in manicam Hippocratis (ut vocant) exposita, externæ humiditatis hisce corporibus sese adjungentis adjuvamine, in liquorem

resolvuntur, & in subjectum vas defluunt atq; destillant. Resolvuntur autem in frigido potissimùm pulveres calcinati, salia & ejusmodi alia corpora salium naturam redolentia. Sed omnia, quæ in frigido resolvuntur, in calido rursus coagulantur.

145. *Filtratio est descensio frigida humores aquosos per filtrum, seu chartam bibulam convolutam vel complicatam in modum infundibuli, relictis in filtro facibus dimittens. Sed pro filtro etiam alia adhibentur, utpote manica Hippocratis, pannus laneus, lineus, seraceus, &c.*

146. *Hæc fuit subtiliatio μακροχρονικὴ: μακροχρονικὴ est, quæ tempore longiore res dissolvit. Estq; exaltatio & digestio.*

147. *Exaltatio est subtiliatio μακροχρονικὴ res sensim dissolvendo in puriorem ac majorem virtutis suæ gradum transponens: & fit circulatione aut ablutione.*

148. *Circulatio est exaltatio res exaltandas in vase circulatorio circumvolutas, abjectis impuritatibus (quæ alioqui à puro separari nequibant) in gradum præstantiorem convertens. Et fit ita: Accipio rem exaltandam, ponoq; in vase circulatorio, idq; Hermeticè claudo, ac in arena vel balneo colloco, & eò usq; in eo detineo, donec meram suam assecuta est, verbi gratia: Multum operæ & studii in vera spiritus vini extractione impenditur, ut ille sine omni phlegmate haberi possit. Quotiescunq; enim elevatus fuerit, semper aliquid phlegmatis secum ducit. Proinde circulationis modum hujus exemplo demonstrabimus. Sumitur vinum generosissimum, quod ad manum esse potest, illudq; in capaci circulatorio funditur, sigillataq; orificio in balneo maris ad quatuordecim dies ponitur, ut continuè aqua ferveat. Postea eximitur, & in phialam funditur, calidumq; hyemis tempore in frigida nivali aqua, apposito & agglutinato alembico cum receptaculo, æstate autem in cella, vasi conchas glaciales continenti imponitur, & spiritus purus, atq; ab omni phlegmate liber alembicum transcendet, & in receptaculum dilabetur. Quando nihil amplius ascendit, receptaculum amovetur, phialaq; eximitur cum vino, quod nullum verum spiritum, sed tantùm vi-*

num

num adustam (ut vocat Theophrastus Paracelsus) continet. Spiritus hic vini adhuc in circulatorio positus, tamdiu rotatur, donec amplius de vitro in vitrum fundi nequit, sed per destillationem seu humidam elevationem promovendus est. Quando autem materia, in quam agere debet, receptaculo imponitur, facilè illam amplectitur, & fugam relinquit. Modus hic albo calculo (ut ajunt) notandus est.

149. Ablutio est exaltatio crebris infusionibus res immundas abluens, & ad puritatem reducens. Estq; imbibitio & cohobatio.

150. Imbibitio est ablutio, quando liquor corpori adjunctus elevatur, & exitum non inveniens in corpus recidit, idq; crebris humectationibus tantisper abluit, donec cum illo puro coagulatus, amplius ascendere nequit, sed totus fixus manet. Hæc planè philosophica est operatio, nec ad vulgares sese dimittit.

151. Hinc oritur Ceratio, quam Geber. 1. Summæ Perfectionis c. 54. definit, esse mollificationem rei duræ vel succi non fusibilis ad liquefactionem. Dicitur autem hic modus ceratio, quòd medicinam philosophicam instar ceræ igni admotæ facilè liquescentem reddat. Quando enim philosophi argentum vivum in aurum aut argentum convertere volunt, necesse est, ut habeant medicinam fluentem, quæ subitò (ut Gebri verbis utar) ante fugam ejus in perfundo illi adhæreat, ipsiq; per minima conjungatur; & illud inspisset, atq; sua fixione in igni conservet, quo usq; adveniat illi majoris ignis tolerantia, ejus humiditatem consumentis, & convertat illud per hoc artificium in momento in Solificum & Lunificum verum, secundum illud ad quod medicina fuerit præparata. Fit autem Ceratio, quando corpus siccum & durum suo humore, reiterata frequenti imbibitione, perfunditur. Signum perfectæ cerationis nobis Arnoldus in 2. magni Rosarii c. 27. describit, si videlicet super laminam ignitam medicina projecta velocissimè sicut cera sine fumo se resolverit. Sed illam philosophis committo.

152. Cohobatio est liquoris corpori sæpiùs affusi frequens abstractio. Unde cohobare, vel per cohob affundere dicimus. Hæc de exaltatione.

153. *Sequitur digestio, quæ est subtiliatio* μαχχειρικῶ*, res crudas in calore digestivo dissolvens. Estq́; putrefactio vel extractio.*

154. *Putrefactio est digestio, substantiam rei ex vaporum retentione, calidiq́; externi accessione, ad rem præstantiorem generandam dissolvens. Est autem putrefactioni proprium, veterem naturam rerum consumere, novam introducere, & nonnunquam producere fructum alterius generationis. Spiritus etiam corrosivi per eam dulcescunt atq; mitescunt, omnes colores in alios immutantur, item purum ab impuro (impuro subsidente deorsum) separatur. Fit verò quando materia in vase collocata, vas in fimum ponitur, fimiq́; calor ad tempus præfixum conservatur. Satius autem est vas in balneum roris collocari.*

155. *Extractio est digestio è corporea concretione partes subtiliores ac puriores ab affuso aliquo menstruo apprehensas, relictis fæcibus, dissolvens. Verbi gratia: Sumo Rhabarbari quantum volo, illiq́; pulverisato tantum spiritus vini infundo, ut quatuor digitis illi supernatet, clausoq́; vase per quatriduum, ad digestionem in balneum colloco, postea aperto vase per inclinationem spiritum coloratum à radice separo, affusoq́; alio spiritu vas clausum rursus ad digestionem pono, idq́; tantisper, donec spiritus non amplius coloratur. Tunc enim omnis tinctura & essentia e Rhabarbara extracta est. Porrò confusis omnibus extractionibus, spiritum in balneo Mariæ abstraho, residuamq́; essentiam in vitreo vase ad usum reservo, quæ in evacuanda bile & aliis affectibus plurimum potest.*

156. *Enucleata subtiliatione, ad liquefactionem tendimus, quæ est corporis mineralis vi ignis majoris dissolutio. Estq́; simplex vel probatoria.*

157. *Liquefactio simplex est, quando corpus nullum alium in finem, quàm ut fundatur, liquefit.*

158. *Liquefactio probatoria est, quando corpus liquatum probatur, imperfectumq́; à perfecto separatur; idq́; per cineritium, aut per antimonium.*

159. Pro-

159. Probatio per cineritium est quando metallum per plumbum fulminatur & probatur. Sumitur itaq; catillus cinereus, & sub tegulam fornitatam in furno probatorio collocatur, quo carbonibus ad summum impleto, prunis quibusdam vivis in capite ignis accenditur, & continuatur. Vt autem eò celerius catillus candefiat (antea enim metallum non est imponendum) orificia & respiracula aperta sint. Postquam igitur interposità hora una atq; altera probè incanduerit, imponatur portio, ad rationem materiæ probandæ proportionata plumbi, eaq; sensim: qua liquefactà metallum imponitur, & pro re nata omnia orificia clauduntur, ignisq; artificiosè regitur. Hoc regimen necesse est ab experienti demonstrari ad oculum. Variat enim pro materiæ ratione. Ita tandem fiet, ut cum plumbo metalla imperfecta exurantur, atq; in fumum abeant, scoriamq; ad extrema propellant, relictis metallis perfectis solis in medio catilli. Si autem fortassis contigerit, ut plumbum cum metallo probando induresc at, neq; igne ad fluxum permoveri possit, paululum antimonii in cochleari additur, & in momento in pristinum statum redibit. Hoc arcanum artifices docimastici pro secreto magno habent. Tandem forcipe exempto catillo metallum adhuc calidum cultello separatur.

160. Sequitur fusio per antimonium, qua verum aurum non modò à metallis imperfectis, sed etiam ab ipso argento separamus, & fit hoc modo. Accipio aurum aliis metallis mixtum, ipsiq; tres partes antimonii pulverisati commisceo, & in crucibulo igni contumaci in furnum ventosum pono. Postea juvante (si placet) folle probè liquefactum, in pyramidem calefactam sevoq; illitam transfundo, ubi labris malleo concussis regulus aurum continens in apice residebit, quem malleo detrunco. Antimonium porrò residuum rursus in tigillo igni ad tertiam etiam vicem impono, & prædicto modo procedo, ut omne aurum ex antimonio protrudatur. Tandem regulos hosce singulos in catillo terreo propè follem pono, carbonibusq; superpositis in modum fornicis ignem accendo, tamdiuq; flammam superinduco, quousq; omni anti-

antimonio evaporato aurum purum putumq́ residet, quod statim coagulatur.

161. *Hactenus solutio fuit; sequitur coagulatio.*

162. *Est autem coagulatio secunda pars chymiæ, res liquorosas & molles ad solidam massam per humiditatis privationem reducens. Estq́ frigida vel calida.*

163. *Coagulatio frigida est quando res in calido resolutæ in frigido coagulantur.*

164. *Coagulatio calida est quando calore conveniente res dissolutæ coagulantur.*

165. *Ad coagulationem refertur fermentatio, sicuti & fixatio.*

166. *Fermentatio est fermenti cum re fermentanda incorporatio. Dicitur autem fermentum à simili. Sicuti enim parum fermenti pastæ multam farinam in suam naturam & pastam convertere potest: ita etiam fermentum chymicum fermentandum, cui adjunctum est, sibi assimilat. Quale itaq; fermentum, tale & fermentatum. Intelligunt autem philosophi per fermentum verum corpus & veram materiam, quæ proprio suo mercurio conjuncta, illam in suam naturam convertit. Deinde etiam lapidem ipsum volunt esse fermentum corporis perfecti. Cùm enim lapis adeò subtilis sit (ut philosophi asserunt) ut super corpus imperfectum projectum in modum olei supernatet, neq; cum illo permisceatur, opus est corpore aliquo primam illius affinitatem redolente, quod illum recipiat, atq; in alia corpora introducat. Nam, quàmprimum corpus illud lapide infectum & fermentatum est, statim in tincturam abit. Sed de his passim consulendi sunt philosophi.*

167. *Fixatio, est rei ignem fugientis, ut eum amplius non fugiat, sed in eo fixa permaneat, per ignem assuefactio, sive ea fiat per calcinationem, sive per decoctionem lentam & diuturnam, sive per crebram sublimationem, sive per crebrò reiteratam solutionem & coagulationem, sive tandem per rei fixæ additionem perficiatur.*

168. *Hæc sunt, quæ hoc tempore in medium producere voluimus.*

Hic

Hic enim omnes operationes Chymiæ necessariæ satis superq́; sunt enucleatæ, nec quicquam restat, quod non abundè sit declaratum. Sed opus est ut manualis operatio accedat, sine qua nihil solidi, nihil perfecti Chymia polliceri potest. Tantum nimirum situm est in laboriosa exercitatione.

Deo Ter Optimo Maximo sit laus & gloria in æternum.

VIII.

DISPUTATIO INAUGURALIS.

CONTRADICTIONES APPARENTES QUATUOR, in quibus præcipuæ utriusq́; Medicinæ, Dogmaticæ nempe, & Hermeticæ hypotheses, & rationes breviter recensentur, excutiuntur, & conciliantur.

AUTORE

M. HENRICO PETRÆO SCHMALCALDENSI Hesso, Medicinæ in almâ Mauritianâ P.P. Ord.

ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΕΣ Ι, ΥΓΙΕΙΝΟΝ.

MEDICI. *Vitæ termini arte medicâ possunt prorogari.*
THEOLOGI. *Vitæ termini arte medicâ non possunt prorogari.*

PROBATIO THESEOS.

1. QVod potest causas sanitatis, & vitæ productrices, & conservatrices procurare, & validiores reddere: causas verò corrumpentes declinare & propulsare, illud ipsum eo ipso vitam producere, mortemq́; differre potest. Medicina hoc potest. E. vitæ terminos prorogare potest. Minor probatur particulatim. 2. Principia vitam procreantia & conservantia sunt caloris nativi humido radicali suffulti ubertas, & bonitas; & eucrasia, bona temperies, seu qualitatum agentium, & patientium symmetria. Vtrumq́; conservat Medicina. E. 3. Humidum primigenium restaurat alimentis boni, multiq́; nutrimenti, nec simile

N

mile tantùm reponit, sed idem: destructorem microcosmi inhibet, quò minùs, absumto vitali sulphure pabulo suo, & glutine, animal ad siccitatem, & frigiditatem deducat, inq; senium, & mortem præcipitet: calorem vicillantem balsami interni, seu liquoris salis interioris, seu mumiæ corpus à putrefactione præservantis balsamicis medicamentis è macrocosmo petitis, calorem Solis, & Lunæ participantibus in integrum restituit, imò auctiorem, & vegetiorem reddit: atq; ita teste Gal. 1. de san. tuendâ vigorem, hoc est, juventæ, seu florentis ætatis tenorem quàm diutissimè conservat. 4. Medicina omnes omnium morborum, mortisq; causas potest præcavere, avertere, & propulsare. Causæ, ob quas morimur, sunt interiores, quæ naturalem: & exteriores, quæ sæpe violentam mortem inferunt. Vtrarumq; injurias ars Medica declinat. E. 5. Causæ intestinæ fatalis nostri interitus propinquæ tres sunt: 1. naturalis siccitas, & frigiditas, quæ contingit humoris radicalis depastione, & caloris innati exolutione. 2. triplicis substantiæ, ex quâ constamus, partium, humorum, & spirituum indesinens effluvium. 3. τῶν περιττωμάτων, sive excrementorum necessarius proventus. Omnium horum, & singulorum actum, progressum, & violentiam præpedire, retardare, & abarcere potest ars tuendæ bonæ valetudinis. 6. Naturali siccitati, & frigiditati resistere potest alimentis, & medicamentis leniter humectantibus, & calefacientibus, vino, quiete, somno, balneis, &c. 7. Præstat enim majus, ac difficilius: temperamentum frigidum & siccum in calidum, & humidum convertit, senectutem differt, tabem, & marasmum regeneratione philosophicâ curat. 8. Triplicis substantiæ jacturam resarcit, quod partibus decessit, cibo, quod humoribus, potu, quod spiritibus, salubris aëris inspiratione, & arteriarum perspiratione, nec non odoribus, & spiritibus homogeneis reparat. Major quippe mundus minorem, ceu filium ex se, & juxta se conditum, omniaq; patris bona, & dona possidentem sustinet, alit, persanat. 9. Recrementorum verò abundantiam alimentis euchymis, eupeptis, minimumq; excrementitiis prohibet. Quod si spagyrus internus spiritibus mechanicis invalidis impuritates

altio-

altioribus radicibus adhærescentes prorsus separare, & per emunctoria expellere nequit, potest ignis digestionis excitari, & succendi, possunt feces eccoproticis, vel catharticis cuilibet humori destinatis exturbari, superfluitates frictionibus, exercitiis, inediis absumi. 10. Externæ causæ vitæ infestæ sunt vel evitabiles, ut vulnus, casus, ictus, morsus, ferarum occursus, & alia infinita, de quibus evitandis ars certa constitui nequit, non autem sunt necessariæ, & ubi acciderunt, arte pertractantur: vel sunt inevitabiles, & ad vitam necessariæ, ea quæ vel assumenda sunt, ut aër inspiratus, cibus, potus, medicamenta: vel admovenda, ut aër ambiens, topica, balnea: vel facienda, motus, & quies, somnus, & vigilia, animi pathemata: vel educenda, sive excreta, & retenta, inter quæ Venus. Vocantur res non naturales, quando enim modum excesserint, sanitatem affligunt, in mediocritate persistentes conservant. Docet igitur ὑγιεινὴ moderamine sex rerum indifferentium sanum vitæ statum quàm longissimè conservare. 11. Θεραπευτικὴ verò morborum omnium infestissimorum vitæ hostium insultus propulsat, sive id fiat viâ universali, seu tinctura philosophicâ, quæ omnes omnium morborum languores aufert, sive viâ particulari per universalia emunctoria, & remedia appropriata seu specifica. Sic Epilepsiam curat per leonem viridem, podagram per fugitivum, hydropem per alcahest, lepram per alfabax. Si summè exaltatos, & cardinales, etiam inferiores; Nulla enim est remediorum penuria, sed nostra turpis eorum ignorantia. 12. Siquidem Deus, qui Medicum, & medium, seu medicinam in sui honorem creavit, & ob id propter necessitatem honorari postulat, nullum justo suo judicio peccatoribus imposuit morbum, quin eidem misericordiâ suâ opposuerit remedium. ἰατρὸς γὰρ ἀπὸ τοῦ θεοῦ, & medicamenta auxiliares Dei manus sunt, baculus vitæ, & pars panis quotidiani. 13. Sed assertionem nostram ἀναμφισβήτητον reddit communis experientia. Nullâ calamitate, vel ærumnâ premetur, qui vitæ fundamentum jecerit temperantiam. Una enim temperantia totius est jucundæ, salubrisq́; vitæ moderatrix. Contra intemperantia morborum mater, Medicorum

nutrix. Qui enim gulæ, ac voluptatibus vitæ pestibus indulgent, gravissimis morbis implicantur (quod Galenus in seipso adhuc juvene expertus est, atq; utinã non plerîq; experiremur magno nostro damno) vel citò è medio sublati naturalem terminum non attingunt. Nullum enim dubium est, quin plures crapulâ, ac luxu, quàm naturali morte pereant, imò vix ullus naturæ debitum, quomodo, & quando debet, exolvit. Sic veluti αὐτόχειρες *nosmetipsos occidimus, & quam benigna parens natura satis longam ad benè agendum dedit vitam, brevissimam facimus. 14. Ita multos videre est temperatissimos ob intemperantiam ocyssimè interire. Contra Heroticus valetudinarius in centesimum annum adminiculo artis vitam extendit. Senes, & mulieres, licet infirmiores sint pueris, abstinentiâ suâ paucioribus morbis conflictantur. 15. Heluones nonnulli vivendi regulas adunco naso suspendentes ad multos annos perveniunt, sed id bonitati naturæ ascribendum est, quam si sequerentur ducem ad longè plures sine molestiis & morbis pervenirent. Rustici diætam fusq; deq; habentes vivacissimi ut plurimum sunt, sed inscii ipsi summa diætæ præcepta observant, genio non indulgent, nec variis cibis implentur (quot enim fercula, tot morbi) & impigri sunt ad laborandum. 16. Patriarchæ olim præter singularem Dei benedictionem & revelationem, frugalitate ac notitia arcanorum medicinæ (quæ etiam brutis nonnullis revelavit natura) tot annnorum centurias suaviter, & salubriter exegêrunt, maximè cum omnia exordiis suis viciniora essent puriora nondum mutuis elementorum transmutationibus confusa. Et credibile est eos magisterii illius magni & admirandi possessores fuisse, quod Adamum in familiâ suâ habuisse testatur Lactantius. 17. Artephius ope sapientiæ suæ mille annos vixisse scribitur, velut alii quidam primo mundi seculo. Usus verò fuit creberrimè post essentiam auri tincturâ ferri in morbis extremis, & deploratis, & lâdano, quod secretum suum singulare vocavit. 18. In Floridâ, seu Taprobanâ, hodie Summatrâ, & Arabiæ felicis urbe Reamâ, nec non Onor insulâ, homines ob regionis temperiem, & cœli perpetuam clementiam sanissimi sunt, &*

panes-

μακροβιώτατοι evadunt, testibus Lud. Romano, & Vesputio in navig. De Cyrniis Corsicæ incolis melle victitantibus, de Æthiopibus, Seribus, & qui in monte Atho Achrotum oppidum incolunt, admodum longævis, vid. Plin. & Solin. Ægyptii nullas aëris injurias sentiunt, hinc quando male habent, triduanis jejuniis se curant. 19. Pollio Romanus centesimum annum jam excedens, Augusto percontanti, quibus præsidiis tantum animi & corporis robur ad tantam senectutem custodisset? respondit: intus musso, foris oleo. 20. Democritus consilium sanitatis tuendæ rogatus, interna melle, extima oleo rigare jussit. Idem ne Thesmophoria funere suo contristaret, odore mellis (alii panum calentium) dies aliquot vitam sibi protraxisse dicitur. Sed obruimur exemplorum multitudine, nec ubi rerum quotidiana adsunt testimonia, multis verbis, & operosis probationibus opus est. Concludimus igitur: Vitæ humanæ terminos artis Medicæ subsidiis produci posse.

CONFIRMATIO ANTITHESEOS.

1. Vitæ humanæ terminos nullo ingenio, nullâ industriâ produci posse, statuunt Theologi. Ipsorum fundamentum hoc est: Cujus rei fixi, & stati sunt termini, illius rei termini nullâ arte possunt produci. Vitæ humanæ stati & definiti sunt termini. E. Assumtum stabilitur oraculis sacræ Scripturæ, & legibus naturæ. 2. Statutum est omni homini semel mori, dicit scriptura, vox veritatis: quocunq; die comederis ex arbore sciëtiæ boni, & mali, morte morieris, & subtrahetur tibi lignum vitæ, ne vivas in sempiternum. Iam verò homo relapsus est à Monade ad binarium, à Deo ad seipsum, & nihilum suum. Stipendium autem peccati mors est. Iustitiæ divinæ decretum immutabile, & ἀμεταμέλητον est. Ego Dominus, & non mutor. Quod agnoscit patiens Iobus cap. 14. Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est, constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. 3. Vita Dei donum est, ut Plutarchus etiam fatetur, & depositum seu talentum hominum usuræ commissum, quod deputato puncto reposcit. Si itaq; vitæ largiter vitam à se

datam certis ſpaciis limitavit, & propriis cancellis incluſit, quis illos dilatare, quis mutuum detinere auſit? 4. Naturæ verò prædefinitæ leges, πεπρωμένη Hippoc. εἱμαρμένη Stoic. inviolabiles ſunt, omniaq́; ejus opera neceſſarium ordinem, tempus, menſuram, & numerum adepta evitari nullâ artis ope poſſunt, aſtruente id ipſum Gal. lib. de maraſmo. 5. Moriendi porrò naturalem neceſſitatem manifeſta evincunt argumenta deſumta partim ab efficientibus, partim à materialibus principiis. 6. Efficiens duplex eſt, remotum, ſive univerſale, & propinquum, ſive particulare. 7. Efficiens remotum eſt cœlum, in quo Deus duos continuos, & oppoſitos motus ab ortu ad occaſum, & ab occaſu ad ortum poſuit, & partibus diſcrepantibus diſcrepantes motus indidit, unde ad conſimilem poſitum haud unquam redeunt, eum in finem, ut revolutione cœleſtium corporum per σύγκρισιν & διάκρισιν elementorum perpetua rerum circulatio, & generationis, & corruptionis viciſſitudo exiſteret. 8. Quicquid igitur in mundo hoc ſublunari exiſtit propter duplicis iſtius, & oppoſiti motus impreſſiones, variis mutationibus obnoxium eſt. Nam ut ſæpè Platonem legentibus occurrit, & Metaph ſcitum eſt, φιλότης conſervationis, & perpetuationis, ἀπεχθῆς ſeditionis, & deſtructionis cauſa eſt. 9. Efficiens propinquum ſive conjunctum eſt internum, vel externum. Internum eſt calor nativus actionum omnium, quarum unio & communio vita dicitur, fons, & origo. Qui cùm agens ſit phyſicum virtutis finitæ in agendo repatitur, longoq́; uſu atteritur, & langueſcit, atq; ex alimentis impuritate ſcatentibus in locum deperditi minus, & deterius, ac ſiccius, proq; aëreo aqueum ſufficit, tandemq́; prorſus marceſcit. Adde, quòd refrigerio privatus (oſſibus enim, & cartilaginibus ſenio ſicceſcentibus, partibusq́; concidentibus thorax liberè moveri nequit) ſuffocatur, & extinguitur. Sic hoſtem in ſinu fovemus, & naſcentes incipimus mori, imò ſingulis momentis, cum vita ſit in perpetuo fluxu, mors eſt ultima clauſula, & terminus ad quem, meritoq́; à Biante riſus fuit, qui mortem ultrò venientem invocaret. 10. Externa efficientia ſunt, quæ amicâ familiaritate vitam noſtram defendunt, vel inimicâ

quali-

qualitate, quantitate, vel modo eandem offendunt, in quorum delectu & usu plurimum inest difficultatis. Vix enim aëre spirituum, potu humorum, cibo partium effluxum redintegrabimus, cùm hæc sint naturæ opera, quâ fatiscente, irrita sunt omnia. Aëris, verbi gratia, quem singulis momentis haurimus in intimos cordis recessus tanta est substantiæ & qualitatum permutatio, ut nullis viribus omnia ejus incommoda averti & corrigi possint. 11. Materia rursus est prima, & secunda. Materia prima, ex qua omnia constant, adjunctam sibi habens privationem, principium est κατὰ τοῦ, subjectum, & causa omnis transmutationis. 12. Materia secunda sunt elementa contrariis instructa qualitatibus invicem agentibus, & patientibus, ex quarum exuperantiâ vel deficientiâ oritur mixti dissolutio, destructis, quæ contrariorum invicem pugnantium actiones sustinent, substantiis. Quicquid igitur ex elementis est compositum, in eadem resolvitur. 13. Atq; ita non experientia solùm, sed irrefragabilibus argumentis ostendimus hominem æternæ legis immutabili decreto, & naturæ necessitate mori. Concludimus igitur: Vitæ humanæ terminos beneficio artis Medicæ promoveri minimè posse.

CONCILIATIO.

1. Utraq; propositio vera est, nec verè contradicunt. Non enim iidem utrobiq; termini, & mortes eodem respectu & modo intelliguntur. 2. Sunt enim termini quidam hyperphysici à Deo, cui omnia sua opera nota sunt, & capilli capitis nostri denumerati cuilibet homini, imo minutissimis animalculis, & creatis omnibus præstituti, quos transferre, aut procrastinare simpliciter impossibile est. Divina namq; providentia, quæ universaliter non solùm genera singulorum, sed etiam singula generum concernit, falli & mutari non potest. Id quod Theologis libenter concedunt Medici, ut Nic. Florentinus, & Petrus de Apono Conciliator abundè testatum faciunt. 3. Sunt alii termini naturales præfixi à naturâ tam universali, quàm particulari, & domesticâ semini insi-

insitâ pro cujusq; temperamento, corporis structura, & principiis vitæ firmioribus vel infirmioribus discrepantes, in quibus ut abrumpendis libido voluntatis humanæ, ita dilatandis & propagandis artis prudentia plurimùm valet. 4. Sunt etiam termini accidentarii, seu decurtati, quos abbreviatos vocat Avic. qui tamen divinâ providentiâ, quæ fortunam omnem excludit, & quandoq; humano arbitrio reguntur. 5. Atq; ita thesis loquitur de terminis vitæ naturalibus, & mortem considerat philosophicè, consumtionem illam humidi & calidi primigenii. Antithesis intelligenda est de supernaturalibus, & mortem accipit theologicè pro fatali illo termino, qui est pœna peccati. Illi termini possunt breviores vel longiores reddi, hi verò immoti perstant. 6. Huc facit illud Paracelsi effatum: mors ex Iliadi resolutione per industriam Medici impediri potest, at illa quæ ex ente, minimè. 7. Necessariò igitur moritur homo respectu divinæ voluntatis, quæ tamen necessitas non est omni modo absoluta, multò minùs coactionis, sed immutabilitatis, & consequentiæ. 8. Necessariò item aliquando moritur necessitate physicâ, non autem determinatè. Mors enim certa, hôra verò incerta est. 9. Contingenter idem moritur respectu causarum secundarum. Prima enim causa secundarum in agendo libertatem neutiquam tollit, Deiq; prævisio non separat media à fine, sed cum mediis vitæ & mortis est connexa. 10. Sic Regem Iudæ Ezechiam lethali morbo liberat, & vitam ad quindecim annos prolongat, nihilò tamen minùs imponi mandat buboni pestilenti emplastrum ex ficubus maturativum, 2. Reg. 20.16. 11. Sic ipse Salvator ægros ad convalescendum Medico indigere asserit, Matth. 8.12. Mediis igitur utendum, sed non nitendum, quod in Aza rege culpat sacra pagina, 2. Chron. 16.12. 12. Cœlum etiam licet motu, lumine, & influxu hæc inferiora moveat, voluntatem tamen hominis, quæ sui juris est, non cogit, & quantumvis inclinet, tamen non necessitat. 13. Obstat quinetiam materiæ hypothetica necessitas, quia cœlestia non agunt, nisi adsit materia capax, à quâ variè determinantur astrorum impressiones. 14. Præterea qui in specie unicuiq; animanti statutus est vitæ

est vitæ terminus, præteriri non potest, in individuis tamen & singulis potest seorsim ob varia temperamenta, & variam vitæ rationem, maximè terminus propriæ corruptionis. Sic differri potest mors, quæ vi morborum, non quæ sponte naturæ accidit, & nemo nisi tum fato, & suo die, satúq; senex moritur. 15. *Atq; hac ratione fatum, quod oraculo olim responsum fuit, retardari, sed non impediri potest. Verùm ipsi disquisitioni nonnulla dubia relinquenda sunt, ne tela ante pugnam extorsisse videamur.*

ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΈΣ ΙΙ. ΦΥΣΙΟΛΟΓΙΚΌΝ.

GALENICI. *Omnia mixta constant ex quatuor elementis suis qualitatibus instructis.*

PARACELSICI. *Omnia mixta constant ex tribus principiis suis potestatibus instructis.*

EVOLUTIO ELEMENTORUM.

1. *SI est generatio, & corruptio, necessariò danda sunt elementa. Atqui est. E.* 2. *Assumtum φανερὸν, & sensibus obvium. Connexum probatur. In omni transmutatione requiritur subjectum in quo, & ex quo. Ex nihilo enim nihil fit, & in nihilum nihil corrumpitur, sed unius corruptio connexam sibi habet alterius generationem. Requiritur etiam contrarietas. Omnis enim actio est à contrario, & in contrarium.* 3. *Iam verò materiam prabent corporibus mistis corpora illa simplicia, quæ ob id elementa dicuntur, quibus substernitur communis illa materia prima, subjectum omnis mutationis primum.* 4. *Sunt igitur elementa corpora simplicia, prima, & communia, in aliam speciem indivisibilia, ex quibus inexistentibus corpora reliqua primò componuntur, & in quæ, cum insint, ultimò resolvuntur.* 5. *Ideóq; plura sunt, numero finita, magnitudine dividua, & naturâ sua patibilia.* 6. *Ex contrarietate argumentatur Aristoteles 2. de ortu c. 8. γενέσεις εἰσὶν ἐκ τῶν ἐναντίων. Si*

igitur terra & aqua inest, etiam contraria horum ignis & aër inerunt. 7. Item ex nutritione: ἅπαντα τρέφεται τοῖς αὐτοῖς, ἐξ ὧνπερ ἐστίν. Omnia verò pluribus nutriuntur. E. 8. 3. de cœlo probat per ἔκκρισιν. Segregantur ex mistis quatuor. Tot igitur insunt. 9. Numerum etiam ostendit ex motu gravium, & levium. Simplici corpori simplex motus convenit. Iam ignis simpliciter levis à medio sursum semper tendit. Tertia absolutè gravis ad medium seu centrum deorsum tanquam ad locum proprium, & perfectivum decumbit. 10. Cum verò ab extremo ad extremum per medium in quovis motu fiat transitus, & ubi natura conatur referre unitatem, extrema interventu mediorum miro artificio connectat, duplex interposuit medium, quod partim imminere, partim subesse debeat, aërem qui ad naturam ignis, & aquam, quæ ad naturam terræ propius accederet: 11. Numerum juxta, & naturam elementorum evincunt συζυγίαι quatuor qualitatum alterativarum, caliditatis, & frigiditatis, activarum: humiditatis, & siccitatis, passivarum, quæ tamen post majoris resistentiæ sunt. 12. Hæ verò qualitates non sunt ipsæ Elementorum formæ. Formæ enim horum (ut Scaliger inquit) actus materiæ quæq; suæ sunt, quæ materiæ, quia ad operosiorē compositionem à naturâ destinatæ sunt, factum est, ut sicut & ipsæ, ita & formæ earum commisceri queant. 14. Quia tamen formæ nos latent, & qualitates sunt præviæ alterationes, & præparationes pro singulis elementorum formis educendis, quarum vi & actione ac passione mutuâ permiscentur, principia, & instrumenta mixtionis statuuntur. 15. Quodlibet autem elementum duas obtinet qualitates, intensas quidem secundùm omnem latitudinem, sed non secundùm omnem agendi efficaciam, ast alteram in gradu remisso, alteram in summo, cùm in quolibet genere reperiatur unum, seu primum, quod cæterorum sit mensura. 16. Ignis est calidissimus, ideoq; actuosissimus, & maximè formalis, qui homogenea congregat, heterogenea segregat, cujus calor cum aëreo mixtus totam massam permeat, miscet, concoquit, definit. 17. Aqua est frigidissima homogenea & heterogenea in unum cogens, calorem contemperans,

terræ ſiccitatem continens, eamq́; friabilem reddens. 18. Aer humidiſſimus calorem primùm, deinde frigus obtundit, tenuitate ſuâ maſſam penetrat, aperit, fermentat. 19. Terra ſicciſſima calorem & frigus acuit, & corporibus determinationem addit. 20. Hæc ſi viribus imparia concurrant, validius imbecillius in ſuam naturam convertit, orituŕq́; elementorum tranſmutatio. 21. Si viribus quodammodo paria in ſe mutuo contactu agant, totaq́; totis contemperentur, & qualitatibus confundantur, fit mixtio, quæ eſt τῶν μικτῶν ἀλλοιωθέντων ἕνωσις. *22. In qua unitione formæ elementorum actu ſuo perfecto non remanent, ſed, ut eleganter ſubtilis Scaliger, inter ſe ſuis domitæ qualitatibus priſtinum naturæ rigorem ſub unius potioris (ex miſtione nempe reſultantis) imperio deponunt. Formæ itaq́; miſti ſubſerviunt, & conditionum materialium tantùm rationem obtinent. 23. Cùm autem qualitates primæ nequeant per ſe in agendo ſervare modum, cauſa aliqua ſuperior & præſtantior requiritur, quæ inſtar opificis actionem earum gubernet, & ad certum finem dirigat. Talis in cæteris eſt ſua cujuslibet forma, in animantibus ipſa anima, ſeu calor plaſticus in ſemine. 24. Duplicem enim calorem in animalibus ipſe agnoſcit Ariſt. cæleſtem, in ſpumoſo corpore ſpiritum, proportione elemento ſtellarum reſpondentem, efficientis, & formæ vices obeuntem, & elementarem materialem. 25. Hinc nonnulli duplex faciunt animalis temperamentum: alind miſti, concordiam quatuor qualitatum: alind viventis, humoris primigenii, & caloris nativi æqualem mixtionem. Illud vocant temperamentum qualitatum, quod facilè mutabile eſt: hoc verò formæ, quod eſt conſtantius. 26. Quam diſtinctionem ſi adduxiſſet Fernelius, illi tanquam fundamento ſolidiori decretum ſuum de morbis formæ ſuperſtruere potuiſſet. 27. Et quia finis miſtionis eſt perpetua individuorum ad ſpeciei conſervationem ſucceſſio, & renovatio, cauſam habebit perpetuam perpetuo motu præditam, qualis circularis eſt cæleſtibus corporibus competens. Cœlum igitur omnia continens, ceu forma elementorum, continuæ viciſſitudinis inferiorũ cauſa eſt, & contrariis ſuis motibus contrarias mutationes,*

 ortus,

ortus, & interitus efficit. 28. Sicut verò appositione substantiarum, & unione qualitatum elementarium fit mistio, ita unione, & harmoniâ qualitatum fit crasis, sive temperamentum necessarium omnium misti actionum instrumentum. 29. Etsi enim forma sit causa actionum princeps, sine temperie tamen non agit. Nam in corpore animato opus à functione pendet, functio à facultate, facultas à formâ mediante partis temperamento, ceu dispositione necessariâ. Quod Gal. 7. meth. c. 3. innuit, ubi actionem partis propriam ab alterius ita differre dicit, quemadmodum temperamentum à temperamento, & ibidem, conservare temperamentum esse conservare actionem, & formam. 30. Hinc Medicis, quibus actionum integritas curæ est, forma, quâ pars agit, vel patitur, est ipsum temperamentum, cui sanitatis, & morborum causas assignant, & remedia adhibent. 31. Symmetria enim, sive proportio quatuor elementorum, sive quod perinde est humorum, quæ proxima nostri corporis sunt elementa prioribus exactè correspondentia sanitatem: ἀμετρία sive intemperies, hoc est, excessus, vel defectus, vel translatio morbum efficit. 32. Intemperies illa vel est cum affluxu materiæ, vel sine materiâ, & partibus similaribus propriè tribuitur, quarum forma est temperamentum, & à quibus actiones incoantur. 33. A dissimilaribus autem perficiuntur, quarum morbus est mala compositio in conformatione, numero, magnitudine, consensu, & situ: utrisq; communis est solutio continui. 34. Morbi cognoscuntur signis suis diagnosticis, & prognosticis, communibus, & pathognomonicis, sive inseparabilibus. 35. Locum affectum indicant actio læsa, excreta, situs, doloris proprietas, accidentia propria, &c. 36. Ipsa morbi species manifestatur ex propriis symptomatibus, excretis, loci natura, doloris proprietate, morbi accidentibus, &c. Inter signa verò pulsus & urina excellunt. 37. Curantur autem remediis contrariis, quorum temperamenta qualitatibus æstimantur, primis nempe, ex quibus secunda & tertia deducuntur, quibus primæ investigantur, & virtutes medicamentorum deprehenduntur, maximè saporibus. 38. Sunt tamen nonnulla quæ ab ipsâ formâ specificâ

cificâ immediatè promanant, unde tota substantia, & qualitates occultæ vocantur solâ experientiâ noscendæ. 39. Conjungenda igitur ratio cum experientia, hæc namq; sine illa temeraria est, & fallax, illa verò sine hac difficilis, & incerta. 40. Iubet itaq; Gal. exercitatione uti in particularibus, & methodo in universalibus, quæ quidem perficitur indicationibus, quibus actio medici dirigitur, ut sciat quid, quibus remediis, quantum, quo modo, quo tempore, quo ordine & viâ sit agendum. 41. Desumuntur autem ab ipsa rei naturâ, seu contemplatione scoporum, & intentionum, nempe à morbo, ejusq; causis & symptomatibus, à temperamento totius, & idiosyncrasiâ, à parte affectâ, viribus, aëre, ætate, consuetudine, sexu, vitæ genere, morbi longitudine, temporibus, & paroxysmis, naturæ functionibus, remediorum viribus, sideribus, & similibus, quæ omnia rationalis Medicus prudenter examinat prius, quàm manum adhibeat, quo discursu ab imperito & temerario Empiricorum vulgo differt.

EVOLUTIO PRINCIPIORUM.

1. PRincipiorum necessitas iisdem ferè rationum momentis, quibus elementorum, demonstratur: evidentiùs tamen αὐτοψία *analyseos spagyricæ. In quod enim quidq; resolvitur, ex eodem compositum constat. Omnia mixta resolvuntur in tria. E. 2. Propositio luce suâ radiat, & philosophorum calculis munita est. Assumtio confirmatur sensuum suffragio irrefragabili. Ignis artium magister, arcanorum inventor, & examinator naturâ suâ simplex,* τὰ ὁμόφυλα συγκρίνων, κ᾽ ἐξαιρῶν τὰ ἀλλότρια *è mixtis diversissimis artifice nihil tale moliente, tria corpora sub eâdem semper formâ in lucem profert, duo liquida, aquosum, quod flammam plenè aversatur, & in lignis viridibus in fumum abiens, si colligatur, in aquam coagulatur: & oleaginosum, seu bituminosum flammam avidè concipiẽs, quod in vapores resolutum si cohibeatur in oleum convertitur, illud Mercurii, hoc Sulphuris nomine Paracelsus insignivit: tertium est siccum, & terrestre, quod in cineribus remanens aqua-*

 rum

rum lixiviis eluitur, inq; humido, & frigore solvitur, calore concrescit, omnes veri salis proprietates possidens, ideoq; Sal appellatur. 3. Quantum enim individua illa in suo genere, minerali nempe, homogeneo, & naturæ unitati maximè consentaneo essentiis, proprietatibus, & actionibus inter se differunt, tantum etiam hæc in reliquis. 4. Hermes Trismegistus philosophorum pater spiritus, animæ & corporis vocabulis usus est. Vt enim anima medium tenet inter spiritum & corpus, conjungens duo extrema: sic inter Mercurium volatilem, & salem fixum medium intercedit sulphur, & de utroq; participans salis siccitatem, & Mercurii liquiditatem suâ viscositate, salis densitatem, & Mercurii permeabilitatem molli suâ fluiditate, salis amaritudinem, & Mercurii aciditatem dulcedine suâ contemperat. Contraria namq; sunt, nec sine medio glutine coëunt, quod quidem unũ est, non geminum, ut sacer constet ternarius. 5. Siquidem omnia à primo, summo, veroq; principio trinuno condita sunt unitrina. 6. Nomina ex mineralium familiâ libertate philosophicâ traduxit mysteriarcha, quoniam in his & metallis ipso actu insunt, & simplici separationis modo segregantur, in vegetabilibus, & animalibus analogicè magis. Sed & ipsa elementa δυνάμει inesse perhibentur. 7. Salis principii substantifici propria est vis ὁριστική, coagulum enim præbet, rebusq; corpulentiam, soliditatem, ac determinationem superaddit, nascendi vigorem exacuit, mirabiles penetrandi, dissolvendi, detergendi, evacuandi virtutes obtinet, corpora à putrefactione præservat, saporum differentias exhibet, in hepatis officinâ sedem fixam habet, indeq; cum sanguine per venas, ceu aquæductus diffusus totam corporis provinciam instar vivifici nectaris irrigat. 8. Sulphur est balsamum vitale primarium vegetationis, accretionis, & transmutationis organum, quod benignâ commixtione sal & Mercurium in unam corporis substantiam compingit, odores ex se spargit, quod in corde caloris foco, vitæq; fonte concentratum, exindeq; per arterias ceu tubulos in omnes corporis regiones disseminatum, insitum partium calorem exsuscitat, refocillat, conservat, vitamq; afflat. 9. Mercurius purissimus,

ſimus, & æthereus ille ſpiritus ſenſum motumq; omnibus elargitur, inſtar elixiris vires arcanas rebus ingenerat, & aſſiduo beati roris influxu duo priora actionum frequentiâ ad ſiccitatem, & ſenium in horas feſtinantia ſuſtinet, ac fluidâ & labili ſubſtantiâ mixtionem omnium faciliorem reddit, ſale ſuo volatili coadjutus colores omnigenos producit, refertq; primam cerebri naturam, ex quo ceu Palladis arce per medullam vicariam, & ex eâ propagatos nervos ceu funiculos delapſus ſubjecta membra omnia cœleſti irradiatione fovet, & movet. 10. Adde quòd in nutricationibus primas hîc obtineat, ſale, & ſulphure ſaltem adminiculantibus, quæ poſtea maximam partem in excrementa degenerantia per emunctoria vel ſimul, vel ſeorſim ab Archæo innato expelluntur. Quemadmodum enim ex principiis hiſce generati ſumus, ita iiſdemmet conſervamur, nutrimur, augemur. Sic vegetabilia ſpiritibus balſamicis mineralibus ex ventre terræ attractis, animalia vegetabilibus, & mineralibus, homo, qui ex omnibus eſt coagmentatus, in quo ut in centro colligata ſunt omnia, propter quem ceu finem facta ſunt omnia, animalibus, vegetabilibus, & mineralibus ſuſtentatur. 11. Ex quo fundamento microcoſmi nomine à priſcis philoſophis honoratus fuit, non ob ſuperficialem quandam ſimilitudinem, ſed quòd reipſa, & ſecundùm ſpeciem (internam puta, & inviſibile corpus in viſibili concluſum) omnia & ſingula in ſe complectatur, quæcunq; viſibili formâ in triplici illo regno, totiuſq; mundi amphitheatro explicata continentur. 12. Porrò principia illa ex ſe qualitatum corporearum ſunt expertia, poſſunt tamen ſingula cum ſingulis aptè combinari, ita tamen, ut Mercurius elemento aquæ comparatus frigidus magis, & humidus, & in generatione materiæ paſſibilitatem ratione corporis formabilis æmulari à nonnullis cenſeatur: ſulphur licèt dici queat calidum, frigidum, humidum, & ſiccum, igni tamen collatum, cujus activitatem imitatur, calidum & ſiccum judicetur: ſal verò terræ terminabilitatem exprimens calidus & ſiccus, prout ipſa terra omnis generis ſemina in matrice ſuâ beneficio caloris fovens,

ſtatua-

statuatur: aër verò per spiritum repræsentatur, qui tamen ad Mercurium reducitur, nec separatim capitur. 13. Suntq́; hæc principia corpora quidem, quia corporeorum, sed planè spiritualia cœlestium seminum influxu imprægnata: sunt spiritus, sed corporei, atq; ita inter utramq; naturam ambigentia, æquali favore utriusq; proprietates ostendunt, & in quâlibet mixti particulâ minutissimâ, & ad sensum similari sine confusione inviolatas custodiunt, neutrius tamen conditiones exquisitè referunt. Et quandoquidem proprietatibus cherioniis, fixisq́; actionum impressionibus destinata sunt, corpusq́; non trimetrũ modò, sed activum reddunt, omnes omnium actionum causæ per se proximè illis assignantur, meritòq́; suo formalia, astralia, & cœlestia dicuntur, tanquam exordiis suis, & vitalibus principiis viciniora, & virtutibus horum fœcunda. 14. Non enim sunt à seipsis, nec à seipsis tantas facultates habent, sed ab astris, radicibus, & seminibus in se contentis, quorum etiam rationes, & soboles definiuntur. 15. Siquidem in ipsis seminibus astralibus tanquam in vitalibus potentiis incomprehensibili sapientiâ decoratis totius naturæ opulentissimæ thesauri, mixtionum, generationum, transplantationum, & corruptionum lithurgiæ, motuum leges, temporum definitæ leges, universæ speciei tincturæ, complexiones, proprietates, omnia corporum ornamenta, omnesq́; dispositiones mechanicæ, scientiæ, dona, artes continentur, totiusq́; naturæ visibilis, & invisibilis, superioris, & inferioris sympathia & antipathia custoditur. 16. Sola enim semina corpora ad infinitatem, & hoc quod nihil nobis esse videtur, magno impetu singulis momentis labentia stabili virtute retinent, & quandiu corporibus insident, vitæ functiones exequuntur, lucisq́; imaginem repræsentant, quorum vigore destituta tenebris obducuntur, ipsa verò individuorum renovatione, & indesinenti suffectione specierum perpetuitatem custodiunt. 17. His autem tanquam receptacula substernuntur communissima naturæ fundamenta, elementa spiritualia; & incorruptibilia illa vitali, validâq́; potestate munitissima, in quorum sinu & matricibus semina cœlestia, aerea, aquatica, terrestria foventur, quorum fœcun-

fœcunditate digestis temporibus suscitantur, ad maturitatem promoventur, & emerita in pristina diversoria, & paternam familiam immutabili quiete beatam benignè recipiuntur. 18. Nam ad explicandam unitam multitudinem naturæ potestate vitalis & immortalis Scientiæ, in universitate hac vigentis, vi verbi omnipotentis, crescite, & multiplicamini, semina generationi consecrata ex orco & nocte in lucem, ex abyssis suis in hanc mundanam scenam ab Archæo, seu communi illo naturæ Oeconomo protruduntur, qui magnum illud mysterium, sive Iliasten, chaos, & materiam primam omnium matrem in tria, nempe in sal, sulphur, & Mercurium disponit, indeq; res omnes in proxima genera dispescit, ex quibus Ares alter naturæ dispensator species, & individua producit. 19. Dominatur enim in natura invisibilis ille vivificus ignis, sine quo calor non exercet calorem, frigus frigore privatur: anima illa mundi, quæ omnia animat: spiritus ille Hermetis, quo movetur omnis in orbe spiritus: balsamum illud Paracelsi, vitale, & incombustibile sulphur, benedicta viriditas faciens res omnes germinare, natura seminum rationibus fœcunda, quorum fluxus, & progressio (non quidem à non ente ad ens, sed ab invisibili ad visibile, & corporeum, pollent enim vitâ, potestate, & essentiâ unitâ) generatio, refluxus, corruptio dicitur, cum deposito corpore in abyssum se recondunt. Nam dum fluunt semina nobis augeri, dum refluunt, minui videntur, & quod per corruptionem deformatum fuit, per generationem, seu potiùs regenerationem reformatur. 20. Semina à fonte unitatis progressa in alio fundari necesse fuit. Vitale igitur principium ex elementis sibi similia, & domestica, suisq; officiis consentanea corporum principia fabricat mediantibus spiritibus, qui cùm contrarii inter se sint, pugnas excitant, veramq; mixtionem à penetrationis dimensionum periculis expeditam constituunt. 21. Cumq; requiratur natura aliqua, quæ divisibili proprietate temporũ, locorum, & dimensionum omnium necessarias explicationes admittat, & vitalibus potentiis terminos constituat, adeoq; universæ naturæ fores claudat, semina, horumq; vicaria principia nobiscum negotiatura ex

elementis corporea indumenta sibi assumunt. Nuda enim in conspectum mortalium non prodeunt. Et quia seminum imagines peregrinari oportuit, elementorum quoq; consentaneam imaginibus naturam comitari aquum fuit. Quæ tria mixtionis instrumento arctissimè colligata unitatem suorum exemplarium quantum possunt æmulantur, unamq; in misto parilem substantiam sensibus objiciunt. 22. Quæ quidem elementorum corpora in ἀναστοιχειώσει spagyricâ duplicia apparent, siccum unum, cinis elotus, vel terra absurda arenosa, sive damnata; caput mortuum dicta, nullam vim nisi siccantem & emplasticam habens: alterum phlegma insipidum, quod tantùm humectat citra aliam energiam, aut activitatem medicam. Corpora enim isthæc principiorum velamenta longiùs à seminibus processêre, ideoq; nullam habent δύναμιν Hippoc. nec in ea astra aliquid firmiter imprimere possunt, cùm steriles solummodò signaturas, & qualitates mobiles, infirmas, crudas, impuras, & corruptibiles obtinuerint: ideoq; per se mortua sunt, & effœta, actusq; formarum secundos remorantur, & cum excrementis corporum morborum, & mortis anatomiam in se continent, nisi benignâ felicioris balsami permixtione fruentia cohæreant, & in unam anatomiam conspirent, cujus merito effectus quandoq; naturæ suæ limites haud parum excedentes edunt. 23. Non enim prorsus contingenter, ut nonnullis videtur, & per errorem naturæ accessêre, licet post prævaricationem universali illa transplantatione peregrinæ tincturæ, & impuritates morbificæ supervenerint, quibus levioribus individuæ naturæ proprietates; validioribus specierum signaturæ transplantatæ novæ familiæ insignia sæpe demonstrant. 24. Eadem verò transplantationis, quæ generationis astra sunt, ideoq; principiis suprà positis omnia bona vel mala, generatio, corruptio, sanitas, morbus accepta referenda sunt. 25. Si enim hæc tria in unum coëant, planèq; conspirent, sanitatem: si rupto fœdere divortium faciant, & ex genuino statu in alienum transeant, quod fit, quando ab astro in malum vergente virilia redduntur, seu exaltantur, morbos pariunt. 26. Astra autem, seu causas morborũ effectrices, quas entia vocat

Para-

Paracelſ. (oportet enim ut ſint reale quid ſolidâ radice conſtans) juxta eundem quintuplicia ſunt, ens aſtrale, naturale, ens veneni, ens ſpiritale, & deale. Tria tamen priora Phyſico Chriſtiano Medico ſufficere poſſent. 27. Exaltatur ſal, cùm reſolvitur, coagulatur, calcinatur, reverberatur; alcoliſatur, unde ulcera, ſcabies, dyſenteriæ, colicæ, calculi, arthridites. Sulphur, ubi accenditur, coagulatur, reſolvitur, &c. inflammationes, febres, varioſq; affectus narcoticos inducit. Mercurius quando calore digeſtivæ virtutis accidentalis deſtillatur, mortem ſubitaneam, apoplexiam, ſeu guttam, & ejus ſpecies: quando calore exercitationis ſublimatur, maniam, phreneſin, omnesq; amentiæ ſpecies: quando calore aſtrorum, vel etiam frigore de ſuo gradu deturbatur, & præcipitatur, catarrhos, podagram, chiragram, alioſq; morbos articulares gignit, concurrente tartaro, quòd ex eſculentis, & potulentis gignitur. 28. Fructus enim elementorũ, quibus victitamus, impuritates plurimas conjunctas habent, quæ, niſi ab archæo ventriculi communis, vel propria cujuslibet partis ſynoviâ ſeparentur, & expellantur, balſamum coinquinant, tumq; ſal rei, & ſal naturæ infirmius conjugium ineunt, & continuâ nutricatione incrementum ſumunt, digeſtaq; maturitatis tempora conſecuta fructus radicibus & floribus ſimiles proferunt, & naturâ gravatâ obluctante manifeſtos paroxyſmos exhibent. 29. Quæ quidem materia vocatur tartarea ex cibo & potu prognatâ, hæc tamen eſt ſubtilior; ſicut illa, quæ ex internis principiis oritur, materia cruoris. Tartarus verò cibi duplex exiſtit, viſcoſus, ex leguminibus, oleribus, fructibus: & bolaris ex carnibus, & piſcibus. Vterq; vel coagulatus eſt, vel reſolutus. 30. Humorum in hepate generatio, indeq; deducta morborum origo, & curandi indicatio imaginaria eſt. In ſanguine enim, tanquam elemento, innumerabilia ſemina ſunt proprietatibus trium principiorum, ſeu mineralium; maximè verò ſalium ſignaturis ornata, quibus adhærent excrementa, ipſis verò humoribus nec cõſtamus, nec nutrimur, nec in mundanâ Anatomiâ vivâ uſpiã reperiuntur, tamq; multiplex eſt eorum miſtio, ut uni alicui morbus attribui nequeat. 31. Qualitates nudæ ſunt accidentia, &

 ſympto-

symptomata morborum, ac signa, nec ullam cum astris morborum confluentiam, nec ad curationem efficaciam habent, unde nec cognitio morborum, nec curatio lubrico huic fundamento superstruenda erit. 31. Vera autem indicatio non solùm remedii, sed & quantitatis, & modi utendi è naturâ seminum, seu astris internis & principiis petitur, nec solis saporibus à sale profectis remediorum investigatio; & æstimatio concedenda est, cùm odores etiam & colores ex sulphure & Mercurio magnarum virtutum principiis emergentes suas sibi partes vendicent. 32. Quærenda sunt remedia similia similibus cum parte affectâ signaturis prædita, naturæ amica, ex eâdem anatomiâ depromta, hosti tamen, seu proprietatibus astrorum directè opposita. Sic in generatione tartari spiritus salis coagulationis causa vincendus, & impediendus est, quò minùs ulteriùs coagulare queat, & quod coagulatum jam est, reducendum, & expellendum per spiritum salis resolventem. A spiritibus enim actiones, in spiritibus morbus, à spiritibus medela. 33. Qualia medicamina suppeditat nobis ars signata, seu anatomia illa physiognomonica, essentialis, & formalis, quâ ipsa res nobiscum colloquuntur, quod cum Euripide Fernelius exoptat, suamq́; indolem nobis explicant, ut verè possimus dicere, hunc morbum esse illius remedii, & illud remedium esse hujus morbi. 34. Nullus enim affectus, inquit Fernel. subsistere potest in nobis, cui non pariter contrarium quiddam tanquam remedium natura protulerit. Sicut autem unum unius morbi est remedium, sic unum est morbi & remedii signum proprium & reciprocum, sic pulmones, & tussilago eandem signaturam gerunt, unde tussilago est obstructionis pulmonum, & obstructiones pulmonum sunt tussilaginis, & quicquid matrici prodest, ejus signaturâ præditum est, omniaq́; corporis humani membra in animalibus, vegetabilibus, mineralibus, & metallis partim figurâ, partim proprietatibus spagyrica corporũ sectione noscendis inveniuntur. 35. Plerumq́; tamen syndrome signorum ad constituendum medium est cogenda, & conjungẽda est anatomia gemina morborum, & remediorum. Ex illa enim hominem morbi, ut Parac. vocat, sive ipsam morbi speciem, ex hac

ex hac fœminam morbi, sive remedium appropriatum perdiscimus. 36. Monet igitur Paracel. à remediis discēdos esse morbos, & juxta remedia distinguendos, & denominandos, & docendum esse quid in homine sit, non ex ipso homine, sed ex majore mundo, ex quo, & secundum quem est conditus, in quo, & à quo sustentatur, & spiritualiter, seu potentiâ in se habet omnia quæ major actu, & realiter, unde βοηθήματα ex majore in minorem naturæ συμπάσχοντα, morbisq; ἀντιπάσχοντα cōportanda sunt, quæ cùm sint naturæ invicem magneticæ, nullis indigent directoriis, sed spontè ex formâ insita ad membrum affectum festinant, quod affinitate substantiæ corroborant, impuritates verò morbificas destructivâ contrarietate averruncando, liberam spiritui vitæ circulationem & transitum restituunt, idq; tincturis arcanis, non per solas evacuationes, quæ tollunt tantùm excrementa, vel iis quæ symptomata mitigant, morborum verò causis adulantur, sed quæ radicem funditus extirpant, excrementa tamen priùs educenda, ne virtus specificorum colluvie istorum obtundatur. 37. Et quoniam in omnibus rebus est venenum, partesq; inutiles, excrementitiæ, noxiæ, & obstantes à verâ medicinâ sunt sequestrandæ, cruditates maturandæ, corporea à compedibus liberanda, spiritualia, & astralia reddenda, qualitates infestæ mitigandæ, & auferendæ illæsis virtutibus morborum curatricibus. 38. In quibus præstandis ars Chymica præcellit unica Medicinæ naturalis lux, & dux, docens invenire tres primas substantias, cujus sint naturæ, proprietatis, & conditionis in omnibus creaturis, & hinc propter concordantiam in homine microcosmo creaturarum compendio, cujus solius naturæ cognitio, præparatio, & administratio medicam constituit scientiam, & triumphum nominis sui, nempe Naturæ-consulti Medici meretur.

COLLATIO.

1. UTraq; doctrina suis stabilita rationibus locum habere potest, nec se mutuò evertunt, licet in nonnullis differant. Si enim cùm aliquibus dicamus elementa esse principia remota, hæc verò propinqua, vel

artis chymicæ propria, sublata erit omnis contradictio. Non enim omnia proximè constant ex elementis, aliâs non essent tot heterogenea composita, & principia generationis nostræ immediata sunt semen, & maternus sanguis potestate elementa in se continentia. Sic Galen. ipse cum partes similares vocat elementa corporis nostri propria, & proxima, & humores in animalibus sanguine præditis eandem rationem habere, quàm Elementa ad reliqua asseverat, non negat elementa prima & simplicia. 2. Neutri etiam Arist. repugnant, qui materiam, formam, & privationem astruit rerum naturalium principia, hæc enim omnibus prædictis sunt priora, & notionalia potius, seu cognitionis, & demonstrationis sunt principia. 3. Pulcrè etiam cum elementis comparari possunt principia Chymica, si sali attribuamus terram, sulphuri ignem, Mercurio aquam, & aërem, quæ sublimatione sola, & πάθει videntur differre. Ita spiritibus respondet sulphur, humoribus Mercurius, partibus sal. 4. Nec absolutè elementa rejicit Paracel. nam in lib. de sep. elem. ex quolibet corpore quatuor substantias separare docet, maximè appropinquantes ad naturam cujusq; elementi particularis. 5. Nec ὁμοίως eodem modo elementa considerat. Galen. enim considerat elementa relatè in respectu ad mixtionem, quatenus omnibus mistis materiam præbent, ideoq; concretè, quo sensu Hipp. vocabulis calidi, frigidi, &c. usus est: Paracel. verò absolutè elementa simplicissima, impermiscibilia, incorporea, formalia, neq; ex his tanquam materiâ res componuntur, sed è matricibus fœcundis pullulascunt, & elementa inferiora omnia per hæc vires suas exercent, & accipiunt. Ideoq; longè diversâ ratione elementa exponit Paracel. quibus tamen posteriora corporum elementa in mechanico generationum processu necessariò adjungit, quæ prioribus subalternantur, quòd istorum singula quatuor illa contineant, & generaliora sint. 6. Elementa Galenicis ultrò fatentibus materialia sunt, & passiva, & per se sola nihil generant: principia verò Paracel. formalia, & activa sunt, naturæq; rationem obtinent. 7. Præsupponunt Galen. cum Perip. materiam primam formarum omnium successivè capacem, & appetentem,

tem, ceu matricem communem, locum, & receptaculum. 8. Præmittunt naturam, quæ est principium internum catholicum, omnis motus, & quietis, generationis, & corruptionis: quæ rebus naturalibus omnibus essentiam largitur, materiam novis subinde formis induit, & exornat, nihilq; patitur corrumpi, quod non è vestigio novâ formâ instauret. Quæ natura quid aliud est, quàm universalis quædam forma, sive anima mundi, quæ formas particulares confert, easq; sustentat, & pereuntibus singulis novas subinde suscitat ad specierum propagationem. Vt enim omnia communi essentiâ participant, sic etiam formâ, quæ est λόγος τῆς οὐσίας. Hæc igitur est natura illa vegetabilis, hoc lumen, & numen naturæ, vis lucida sulphuris, ignis, & anima mediæ naturæ, hæc insignia vivæ formæ, hæc linea viridis ubiq; gyrans omnium colorum particeps, hæc arcana vis numinis, ordinaria nempe Dei potestas, ministra Dei, jussus, & vox Dei natura. 9. Concedunt πανσπερμίαν, & divina benedictione rebus fœcunda implantata esse semina, in quibus est natura, qua possunt se in infinitum multiplicare: credunt cum Arist. semen cujusq; fœcunditatis suæ causam continere, & calorē plasticum non esse igneum omnia consumentem, spiritumq; qui in spumoso corpore continetur corporis architectum proportione elemento stellarum respondere, & propriam cujusq; rationem & essentiam nequaquam ex elementis emergere. 10. Quinetiam influxum Solis, Lunæ, & reliquorum corporum cœlestium admittunt, & confluentiam, seu conspirationem superiorum haud gravatè recipiunt, ut verum maneat Aristot. dictum: Sol & homo generant hominem. Cœlum enim, ceu quinta essentia, seu quintum formale, & essentiale elementum crassiorum elementorum corpora pigra & mortua movet, exacuit, animat: semina sua in ventrem terræ vento suo importat, nunquam cessat, nunquam exhauritur, nec imminutionem facultatum patitur, unde à nonnullis natura universalis, & anima mundi appellatur. Si igitur agit in hæc inferiora, similem sibi substantiā in iisdem producet. 11. Agnoscunt Galenici actionum vires elementorum superantiū evidentia adducti divinius in natura principium,

cipium, quale in animatis dicunt esse ipsam animam, cujus instrumentum est humidum primigenium insito calore & spiritu perfusum, quod omnia ab initio conformavit, auxit, & tãquam omnium operum naturalium causa nutrivit: in reliquis formam appellant, sive actum, & ἐντελέχειαν principem actionum compositi causam. 12. Sunt enim duplices actiones, quædam κατ᾽ ἐντελέχειαν, quæ immediatè sine ullâ, vel manifestâ qualitate à formâ per essentialem proprietatem procedunt, quæ ἰδιότης consubstantialis, sive δύναμις ὑπώδης ab ipsis qualitas occulta, vel tota substantia nuncupatur, quædam verò sunt ὁμοειδεῖς, quæ à formâ quidem, sed mediante temperamento, seu crasi elementarium sensibilium qualitatum proficiscuntur. 13. Plurimas igitur actiones manifestis qualitatibus attribuunt, nonnullas tamen formæ specificæ assignare coguntur. Siquidem purgantium, venenorum, pestis, morbi gallici, auræ venenatæ Epilepsiæ, specificorum medicamentorum vires, & agendi modi ex crasi elementari minimè deduci possunt. 14. Qualitates etiam & subjecta harum non ita commodè semper, sicuti principia, ostendi queunt, tamq; vastus est graduum in qualitatibus labyrinthus, ut ratio mixturarum & idiosyncrasiæ vix constet. 15. Qualitates tamen non planè excludit Parac. cùm in actionibus concurrant, licet non ut causæ principales, tamen ut instrumentales, adjuvantes, & sine quibus non, formisq; ceu legatorum comites in functionibus assistunt, & multi sunt morbi elementares ex cursu quatuor qualitatum suborti, qui elementaribus, seu alimentariis remediis, & levibus alterationibus, quæ per qualitates fiunt, ab ipso Paracel. profligantur. 16. Quod verò humores non prorsus repudiet, manifestum est ex archid. aliisq; ejus scriptis, in quibus pharmaca præscribit, quæ bilem utramq;, & pituitatem evacuent. 17. Largiuntur Gal. Par. in alimentis esse quippiam naturæ nostræ familiare, quod hi balsamum appellant, sed negant in alimentis omnia actu inesse, quæ ex illis oriuntur, & non per transmutationem substantiæ gigni, sed tantùm actione caloris nativi separari, & manifestari. Negant humores ideò non dari, cùm sensus ipse convincat ex alimentis sanguinem,

nem, non sulphur, sal, aut Mercurium generari, & sectâ venâ substantiis, coloribus, saporibus, & qualitatibus diversum sanguinem effundi, eoq; corpus nostrum nutriri, & excrementa separari. 18. Cumq; de humoribus & elementis loquuntur, etsi qualitatum vocabula sapius in ore habent, tamen subintelligunt, & connotant formas incognitas, & substantias elementorum, & humorum, & corpora proprietatibus instructa, ac qualitates in partibus determinatas unâ cum spiritu insito, & influente innuunt, atq; ita accidens cum suo subjecto complicant, & nominato hospitio hospitem unâ indigitant. Sic febris est calor non simplex, sed talis, id est, febrilis in parte restrictus, & pellitur frigore non simplici, sed febrifugo, acido nimirum & putredinem arcente proportionato. 19. Quod si elementa sumantur unâ cum suis astris & essentiis quintis, tolerari potest, quod aliqui principia elementorum quator molimenta seu rudimenta esse volunt. 20. Chymici verò non contenti fallacibus sensuum in exteriore cortice harentium arbitriis, omnia ad vivum magis resecant, & artificiosâ resolutione in sanguine tria principia ὑφαντά apertius demonstrant, matrices rerum aperiunt, earumq; naturam, & procreatorum affectiones, & differentias ostendunt, ipsos actus eruunt, formasq; beneficio subtiliorum corporum oculis quasi subjiciunt, & à quâ parte ceu fonte actiones promanent, edocent. 21. Multò etiam explicatiùs, distinctiùs, & natura conveniientiùs loquuntur, ac in morbis causas ὁμογόνους, hoc est, tres primas substantias qualitatum causas substernunt. Non enim antecedens tantùm attributi, sive accidens, & qualitas aliqua, sed etiam consequens partis, sive substantia aliqua ad conficiendum demonstrationis Medica medium est adhibendum. 22. Rectiùs itaq; ad reddendas omnes actionum & lasionum causas nonnulli duplex temperamentum substantia & qualitatum facere videntur. Licet enim forma propriè sibi contraria non esse perhibeantur, sunt tamen principia ad actiones contrarias perpetrandas, & fundamenta actionum, in quibus ratio contrarietatis fundata est. 23. Quare ut concludamus, omnem vim qualita-

tibus evidentibus adimere, & ad specifica & arcana ceu sacram ancoram, & asylon ignorantiæ semper confugere est non modò sensibus repugnare, & Pyrrhoniorum more fluctuare, sed etiam citra necessitatem plerumq; ignotum per ignotius declarare. 24. Contra, omnia manifestis qualitatibus metiri velle est ipsi naturæ summâ impudentiâ bellum inferre, instrumenta pro opifice arripere, qualitatibus eam vim obtrudere, quæ ultra naturam earum est, & soli formæ essentiali debetur, cùm nihil ultra vires & speciem suam agat, & effectum non nisi proportionalem in materiam inducat. 25. Vna igitur proprietatū cognitio, sententiâ Fernelii, res ipsas exercet, reliquæ omnes vix aliud quàm verba. Qualitates tamen & humores non sunt excludendi, cùm suas habeant operationes, & multum de naturâ principiorum, & seminum, quibus copulati sunt, retineant. Medium igitur est tenendum, & in morbis astralibus & occultioribus vires specificæ seminali tincturâ præditæ operosâ elaboratione in actum deductæ expetendæ sunt, in apparentibus à causis evidentibus introductis crassiora & rudiora medicamina sufficiunt. 26. Methodus verò medendi, quâ Galenici excellunt, summasq; laudes consequuntur, unicè rationali Medico est amplectenda, quam etiam Parac. in legitimo usu non respuit, ut ex chirurgicis ejus cumprimis apparet. Scripta enim Hipp. & Gal. diligenter legit, & ponderavit, multaq; in illis explicuit, & illustravit, mutatis de industriâ nominibus: quam nominum multiplicationem non probamus, cùm aliâs Medica schola nominum multitudine, obscuritate, & ambiguitate laboret: sed licuit fortasse illi ad celanda improbos nova Chymiæ inventa ὀνοματοποιεῖν, & negligenda est Medicis nominum cura, modò de rebus ipsis conveniat. 27. Indicationum apud P. major est latitudo, fundatq; eas in proprietatibus mineralium, vegetabiliū & animalium, quæ doctrina quia veram majoris & minoris mundi harmoniam nobis proponit, priori sedulò est conjungenda. 28. Mineralibus utitur frequentiùs, quia spiritus habent potentissimos in homogeneo balsamo vigentes, & impressiones astrorum feliciùs recipiunt, & retinent. 29. An verò similia similibus

libus rectè curet, quæstione tertiâ: an necessitate aliquâ compulsus medicamenta exactius præparet, quæstione quartâ explicabimus.

ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΈΣ III. ΘΕΡΑΠΕΥΤΙΚΌΝ.

HIPPOCRATICI. *Contraria contrariis curantur.*
HERMETICI. *Similia similibus curantur.*

EXPOSITIO CONTRARIETATIS.

1. NOn Apollinis magis verum est, atq; hoc divini senis responsum in l. de flat. & 2. aph. 22. τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰήματα: *repletionis inanitio, inanitionis repletio, calidi frigidum, frigidi calidum, crassi attenuans, &c. Hoc dictatoris oraculum Galenus alter Medicinæ coryphæus, & cum eo tota* χαιρέτων *prosapia, ceu immotum, & immutabile artis medendi fundamentum unanimi consensu amplectuntur, & mordicus defensitant. 2. Firmissimâ enim nititur ratione ex ipsis naturæ rerum visceribus erutâ, quam nemo sanæ mentis in dubiū vocare ausit. Quicquid enim morbum è corpore ceu hostem expellit, non potest ei simile esse, sed adversum. 3.* Τὸ γὰρ ὅμοιον ὁμοίῳ αὐξητικὸν, *simile simile auget, & conservat, nec agit in simile, ut immutet; sed omnis actio est à contrario in contrariū, & agens eo fine agit, ut patiens sibi assimilet, ubi simile reddidit, ab actione cessat. 4.* Τὰ δ' ἐναντία φθαρτικὰ τῶν ἀλλήλων: *contraria sunt corrumpentis naturæ, seq; mutuò è subjecto pellunt. Sic medicamentum opponitur morbo, ut eum è subjecto corpore ejiciat, & sanitatem introducat. Non enim possunt in eodem subsistere. Contrarium ergo. 5. Morbus est intemperies, ad temperiem igitur reducendus non per similis additionem: omne enim tale additum suo tali facit illud magis tale: sed per alterationem, quæ fit à contrariis qualitatibus. 6. Quam assertionem ipse sensus, quem nemo nisi sensu privatus abnegaverit, liquidissimè comprobat. Persentiscimus enim calorem & siccitatem hypocausti*

pellere frigus, & humiditatem. Sed cùm hæc ſententia adeò uſu recepta ſit, ut balneatoribus nota, & aniculis, ac barbitonſoribus aliiſq; medicaſtris in ore ſit, alteram minùs tritam, ſed non minùs veram & proficuam pluribus deducemus, ac corroborabimus.

DILUCIDATIO SIMILITUDINIS.

1. Similia ſimilium eſſe remedia ex lumine naturæ, ſeu concordantiâ gradariâ, & concatenatâ majoris & minoris mundi Philoſophi Medici Hermetis diſcipuli expiſcati ſunt. Medicina enim, ut uno verbo omnem artis vim comprehendamus, eſt προσθαφαίρεσις, *ſeu* πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις: *Appoſitio, vel adjectio deficientium, & abſtractio, ſive ablatio redundantium, optimuſq; Medicus eſt* προσθαφαιρετικός, *qui duo iſthæc optimè præſtat. 2. Ex quo fonte emergunt duo generaliſſimi curationum ſcopi, impuritatum ſuperfluarum, ſeu morbificarum averruncatio, ſive evacuatio, & virium refectio, ſive balſami interni, & humidi primigenii reſtauratio. 3. Utrumq; attingemus, & conſequemur ſimilibus, ſive purgemus, ſive confortemus. Purgantia totius ſubſtantiæ ſimilitudine, ſeu formâ ſpecificâ humores ſibi familiares attrahere à Medicorum universâ turba ſtatuuntur. 4. Quod Hipp. plantarum ſimili peculiares ſuccos, acidum, amarum, dulcem,* καὶ παντοῖον *ex terrâ attrahentium declarat l. de nat. hum. 5. Eandem vim attractricem, & magneticam Gal. catharcticis indulget l. 1. de conſt. art. 3. de ſimpl. fac. c. 2. Quidam ſimilitudine ſubſtantiæ humores augeri putant. 6. Naturæ confortatio fit per alimenta, & analeptica ſimilia, vel, ut Hipp. ait, expetita. 7. Contraria autem non appetuntur, nec ſe recipiunt, aut fovent,* τὰ γὰρ ἀνόμοια σαπάζει. *Corpus igitur ægrum contrariis affligere qualitatibus eſt morbum irritare, & naturæ bello inteſtino penè oppreſſæ extrinſecum & internecinum movere, adeoq; morbum addere morbo, & ipſamet elementa exturbare velle. 8. Simile verò libentiſſimè it ad ſimile, & à naturâ avidiſſimè arripitur, & obſeſſi ſpiritus, cùm ſentiunt puros ac defecatos ſibi in ſubſidium occurrentes, congaudentes iis promtiſſimè arctiſſimeq;*

meq; adhærescunt, & eorum puritate suam infectionem emundare, seq; in temperiem revocare & erigere satagunt, non secus ac semina in terræ gremio congenere novorum spirituum satellitio stipata renascuntur, & uberrimis messibus luxuriantur. 9. Sicut igitur in republicâ obortâ seditione parti debiliori auxiliariæ copiæ sunt mittēdæ: ita in pugnâ principiorum corporis dissidentium imbecillius suo compari est adjuvandū, & balsamus debilitatus cibo suo, nempe balsamo medicinali resocillandus. 10. Natura enim animalium servatrix viribus suis redintegrata, & commeatu instructa infesta omnia à globis vitalium elementorum repellit, & tyrannos extrà mœnia, & ditionem proscribit, & extrudit, omniaq; sibi subdita in officio continet, & in statu tranquillo integra tuetur. αἱ γὰρ φύσιες τῶν νόσων ἰητροί. *Natura est verus, summus, & solus morborum omnium archiatros. Natura sibi sufficiens plurimos morbos per se sola curat: hæc in morbis coctiones & pepasmos efficit: hæc morbos plurimos, maximè universales, & acutos per crisin terminat: hæc continui solutiones per mumiam suam unit, si per similia sustentetur, & intus ac foris à symptomatibus defendatur: hæc omnes in universum morbos igne digestionis succenso per boni sanguinis generationem abigit. 11. Quare præcipuus Gal. scopus est, qui à virtute sumitur, jubetq; medicum eò imprimis animum intendere, ut conservetur illud à quo agendi facultas, utq; ad naturalem statum reducat. 12. Quandoquidem Medicus naturalis est naturæ minister, qui integrè judicanti, & in luctâ cum morbo triumphanti velut otiosus spectator totum permittit, & applaudit. Quando verò præ imbecillitate finem operi imponere non potest, & opem Medici implorat, tum Medicus, quod deficit, supplet, naturam labefactatam reficit, sopitam, & adversus morbum insurgere non aggredientem, excitat, classicum canit, impedimenta submovet, & victoriam expeditiorem, certioremq; reddit. 12.* Τῆς δὲ φύσιος ἀντιπρηττούσης, *cùm natura reluctatur, aut fatiscit, & à morbo plurimùm superata certare amplius recusat,* κενεὰ πάντα, *vana, & frustranea sunt omnia. Auxilia nempe per se causas neutiquam extirpant, nec efficientibus ad-*

versantur, sed effectis, & ubiq; naturæ adminiculum postulant, & fermè solum motum naturæ injiciunt, quæ per se postea totum opus præfinito tempore absolvit. 13. Consuetudo etiam, quæ est altera natura, similia poscit & indicat remedia. Quam respiciens Hippoc. pueris temperamento humidis, & aliis, qui sic vitam instituerunt febre putridâ affectis, diætas humidas putredini concipiendæ idoneas ad robur nativum præservandum, custodiendum, & reparandum utiles esse scribit. 14. In l. de morbo sacro, morborum plerosq; ex iis curari, ex quibus nascuntur. Iam verò demonstratum est à Chymic. ægrotare nos ex trium dissidio principiorum in quatuor elementorum matricibus delitescentium. Morbus igitur sulphureus non curabitur Mercurio, aqua enim oleo non miscebitur. Pestis ex elemento ignis, seu firmamento, non habebit antidotum ex elemento terræ, ita enim cœlum terræ miscebitur: morbus mineralis non pelletur remedio planè vegetabili: morbus astralis non tolletur auxilio elementari: spiritus exhausti non satiabuntur syrupis, sed spiritualibus essentiis, non enim cùm filius flagitat panem offerendus est ipsi lapis, aut scorpius. 15. Quinimò similia dici merentur pharmaca, quoniam similibus, & iisdem signaturis, imaginibus, & formis insignita sunt, in quibus ad partes, morbosq; collatis vera & vitalis eorum anatomia sita est, ostendens conjungere, quæ sunt conjungenda secundum naturam. Ita perforata, hypericum, androsæmon, radix gentianellæ ictibus & vulneribus conducunt, sanguinem enim trita profundunt, & puncturas exhibent. Lapidosa ferè omnia calculum frangunt, cardui puncturas mitigant. 16. His accedit, quòd in ipsâmet contrarietate semper concurrat aliqua similitudo. Si enim indicans, & indicatum, remedium, & id cui medemur, sunt contraria, utiq; erunt sub eodem genere. Contraria enim sunt, quæ sub uno & eodem genere posita plurimum inter se differunt, & velut è regione perpetuò adversantur, & unius contrarii una est contrarietas genere conveniens. Sin autem communi generis essentiâ participant, quis neget esse similia, cùm eadem sint genere? 17. Hinc Galen. accuratè præcipit divisionem indicantium in eodem

genere

generere fieri debere, nullo unquam transitu de morbis in causas commisso, sed à generalissimis ad subalternas, ab his ad specificas indicationes descendere jubet. Et Arist. nihil inveniri posse arbitratur, nisi facta divisione in eodem genere. 18: Oportet insuper ut remedia morbo contrariè opposita gradu sint æqualia. 19. Sed & ipse Hipp. & Gal. medicorum antesignani similibus in morborum curatione usi sunt. Hipp. l. de loc. in hom. id fieri posse testatur, præmissa enim contrarietate subjungit per similia morbum oriri, & per similia oblata ex morbis sanari, quod declarat exemplis stranguriæ, tussis, febris à tumefactione ortæ, fluxus alvi, vomitus. L. de flat. famem dicit esse morbum: torquet enim hominem: quare medicamẽtum ejus erit alimentum, quia famem sedat, quod quidem defectui, quem restituit, est contrarium, substantiæ tamen deperditæ simile; & quodammodo idem, ut & humor desideratus cum siti. 20. Juvenem ὠσωμον tetano detentum affusione aquæ frigidæ sanavit, aph. 5. lib. 25. Ophtalmian balneo, fomentatione, & vini usu curavit, nec admittere voluit collyrium narcoticum, aph 31. l. 6. 21. Cui calculum adjicit commentator Gal. & ipse phlegmonen gutturis simili medicamento excalefaciente & siccante curari posse, historica experientia doctus scribit, & 11. meth. scorpionis morsum scorpione curari asserit. 22. Medicamenta quæ similitudine totius substantiæ agunt, omnibusq; intemperaturis, veluti media extremis obsistunt, haud gravatè admittit. L. 8. de comp. m. s. l. cor corde, cerebrum cerebro, pulmonem pulmonibus juvari: 13 meth. c. 16. lieneni, & jecur similia medicamenta & alimenta postulare ait, & 11. meth. missa contrarietate κυρίως sic dicta ad opposita provocat. 23. Argenterius verò in leviori diversitate, seu rationis etiam discrepantia acquiescit. 24. Fernelius morbos quosdam similibus remediis, licet per accidens, depelli concedit. 25. Medicamentum cum dolore operans sæpè causam prioris tollit, vel materiam distrahit, vehementior dolor minorem obscurat, &c. 26. Ex quibus luce meridiana clariùs apparet, morbos similibus curari, imò sæpiùs, & prudentem medicum quandoq; similia, quandoq; contraria usurpare,

cùm jux. Hipp. l. de loc. in hom. medicina nunc, & paulò post non idem faciat, & sibiipsis contraria faciat, eaq; sibiipsis contraria. Fines enim actiones variant.

DISCORS CONCORDIA.

1. Utriusq; sectæ sententiæ verbis potiùs quàm rebus ipsis dissident, & diversæ sunt, non adversæ, nec sibi contradicunt, cùm non intelligantur eadem sine ambiguitate contraria & similia secundum idem, ad idem, & eodem modo. 2. Contraria dicuntur remedia, quoniam defectus resarciunt, desideria amicâ saturitate explent, spiritus & impuritates consentaneas deliniunt, & earum consumtiones & ablationes procurant. Similia dicuntur, quoniam ex eâdem naturæ familiâ hauriuntur, eandem anatomiam, similesq; signaturas, tincturas, radices, virtutes, & proprietates continent. Hoc pacto definitis similibus Hermetis asseclæ curas morborum perficiunt, non quòd velint corpus calefactum supercalefieri, aut quod morbum procreavit, foveri debere, nunquam hoc illis in mentem venit, sed contrariis hoc pacto acceptis contraria abigunt. 4. Non autem intelligunt contraria continuò elementa, aut contrarias qualitates, nec eas sive primas, sive secundas in generatione & curatione morborum respiciunt: quippe tam parum de iis sunt soliciti, ut cum Hipp. omnem eis δύναμιν detrahant, nec eis resistant, nisi quatenus impedimento sunt veræ curationis progressui, sterilesq; signaturas, & accidentia solius corporis medicamenti gratia innata appellitant, & nullam prorsus cum astris tum generationis, tum transplantationis morborum confluentiam habere asseverant. 5. Sed ipsis substantiis in corpore contentis qualitatum excessivarum causis, radicibus & subjectis remedia applicant, eaq; substantialibus virtutibus, & vi seminali instructa, quæ proprietate essentiali & specifica impuritates balsamo adhærentes separare, & dissipare, balsamumq; in flore & vigore perpetuare, & in integrum restituere valeant. 6. In curationibus enim cumprimis ad causam morbi continentem, maximeq; materialem respiciendum

ciendum esse commonent, quo respectu Paracelf. plerumq. compendium quærens morbum causæ nomine indigitat, ejus siquidem ablatio morbi est curatio, & sanitatis restitutio, cùm immediato & necessario nexu cohæreant. 7. Qualitatibus tamen aliquem relinquit locum, ut videre est in l. de grad. & compos. recept. sed rarissimè in morbis evidentibus, & superficiariis. 8. Committuntur ergò contra leges oppositionis non eadem extrema, sed elementa, qualitates, temperamenta contraria opponuntur balsamo, principiis; potestatibus similibus. 9. Verùm enimverò hac similitudinis assertione ἐναντιώσις Hippocratica tantùm abest, ut subvertatur, ut maximè etiam stabiliatur. Quantumvis enim Herm. similibus se curare perhibeant, contrarietatem tamen non excludunt, sed magnoperè inculcant. Nam licet in genere sint similia, in specie tamen manifestò contrariantur. Calculus à sale coagulato genitus curatur quidem sale, sed resolvente. Vlcus à sale corrosivo curatur sale, sed consolidante, & incarnativo: arthritis à salibus acribus lenitivis, &c. Sulphur inflammatum febrem excitans, sistitur sulphure, sed acido, vitriolato, refrigerante, & ferocientes spiritus coagulante, atq. ita sulphur medicum expugnat, & expellit morbificum. 10. Vtut etiam remedium simile sit ei, quod secundùm naturam est, actio tamen naturæ in id, quod præter & contra ipsam est, agentis, nempe in morbum, est contraria. 11. Potest unum idemq. remedium diverso respectu simile & contrarium nuncupari. Medicamenta naturæ sunt similia, siquidem eam confortant, adversus hostem adversum adjuvant, & sanitatem reddunt. Sunt item similia membro affecto, eandem enim naturam habent externam, quàm illud internam: morbo verò sunt contraria, ipsum enim tanquam adversarium profligant, & naturæ imperium restituunt. 12. Etsi aliquando contingit morbis esse similia, causis tamen sunt contraria: sic rhabarbarum calidum febrem biliosam solvit, quia materiam educit, & obstructiones expedit. 13. Postremò multiplex est contrariorum acceptio, non enim tantùm sunt contraria in qualitate, verùm etiam ex mente Hippoc. in quantitate, quæ Arist. oppositis annumerat: quædam

sunt simpliciter contraria, quædam privativè: quædam manifestis qualitatibus, quædam occultis facultatibus, & formis specifitis. Sunt præterea alia actu contraria, alia potentiâ, alia per se, alia verò ex accidenti, quod tamen in propulsandis morbis parum interest. 14. *Concludamus igitur ex mente Hippoc. contraria contrariis curari propter antipathiam remedii cum morbo, vel causa ejusdem: & similia similibus curari juxta mentem Herme. & Paracelsi, propter sympathiam remedii cum naturâ morborum curatrice, parte, & principio affecto.* 15. *Ut autem fateamur, quid de utrâq; præmissâ controversiâ sentiamus, salvo aliorum rectius sentientium judicio (veritati enim rationibus monstratæ libenter manus cedemus) Paracelsi via in investigatione morborum & remediorum mihi videtur compendiosior, certior, jucundior, & ægrotantibus utilior. Unum afferam exemplum: mucilaginem illam acrem, pungitivam, & corrosivam, vel etiam aluminosam, acidam, stypticam, quæ in corpore ex alimẽtis relinquitur, & à succo suo separata juxta varium naturæ motum definito tempore locis ad recipiendum idoneis à superveniente spiritu salis coagulatur, & colligitur, tartarum vocat, ductâ similitudine ab adhæsione tartari in vino, quæ sensibus omnium obvia est: quo nomine audito statim percipio, quæ causa, qui modi generationis, quod sit remedium. Collatio tamen utriusq; opinionis mirum afferet jucunditatem, majorem utilitatem, facilitatem, & certitudinem.*

ΕΝΑΝΤΙΟΦΑΝΕΣ IV. ΦΑΡΜΑΚΕΥΤΙΚΟ͂Ν.

MISOCHYMICI. *Medicina potest carere Chymiâ.*
CHYMIATRI. *Medicina non potest carere Chymiâ.*

ACCUSATIO.

1. *Medicinam carere posse Chymiâ, pertinaciter contendunt Misochymici. Quandoquidem Hippocrates & Galenus duo lumina &*

na & nûmina Medicinæ eâ caruerunt: caruerunt eâ tot retrò seculis celeberrimi Medici, nec minùs veram, imò feliciorem medicinam habuerunt. Primus Paracelsus Eremita, homo ebriosus, magus, maledicus, linguarum, artium methodiq́ ignarus & contemtor, ausu quodam temerario, & humano generi perniciosissimo eam in lucem produxit. 2. Is rejectis veterum rationibus, principiis, & causis evidentissimis nova principia, novasq́ causas ex suo cerebro excogitavit, antiquissimæ, & verissimæ Medicinæ & Philosophiæ ex diametro oppositas: pollicetur specierum transmutationem, formæ à materiâ separationem, quintæ essentiæ, quæ in sublunaribus nulla est, cùm cœlum sit ἀσύμβλητον, extractionem, elementaris crassitici in elementatis sequestrationem, cùm tamen ipsius magisteria, tincturæ, sales, olea nihil plus sint, quàm portiones materiæ: spondet compactissimorum corporum, & ipsius auri solutionem: gloriatur de perfectione rerum naturalium, cùm omnia ab ipso Deo perfectissimè creata, & usibus humanis convenientissimè à naturâ mixta sint, quã nulla artis industria assequi potest. 3. Imò Paracelsus, & ipsius complices vitam vegetabilium destruunt, humidum primigenium absorbent, mixtionis concentum, & crasin, à quâ purgandi vis, omnesq́ actiones dependent, diruunt, & multa, quæ integra sunt salutaria, solutione pestifera reddunt. 4. Mineralibus quin etiam, & metallicis utuntur naturæ humanæ prorsus infestis, imò venenosis, quæ sine delectu præparata ignis violentiâ calidiora, aëriora, caustica, corrosiva magis effecta sine ullâ correctione minimâ etiam dosi exhibita, nimiâ activitate corpus totum pervadentia subitò conturbant, ac debilitant, nec electivè purgant, sed promiscuè quosvis obvios humores exturbant, caloris nativi, & spirituum influentium irreparabilem jacturam faciunt, partibus principibus malã diathesin affricant, & innumerabiles delectertiâ quadam violentia præproperè è medio tollunt. 5. Quamvis etiam desperatos nonnullos natura irritata causam morbi expellente pristinæ sanitati restituere videantur, malignitas tamen medicamenti in corpore restagnans facit, ut paulò post vitam cum morte commutare cogantur. 6. Adhæc

medicamenta chymica breviorem in ventriculo moram trahunt, quàm morbi necessitas requirit, sed essentiæ acumine & pernicitate statim avolant, & supervacuâ digestione vires amittunt, quandoq; etiam contrariam naturam induunt. 7. Requirit insuper Chymia labores, molestias, vigilias, sumtusq; intolerabiles, & vaporibus pestilentibus corpus inficiens, vitam abbreviat, ac remedia maximi precii procudens rempublicam exhaurit, ac depauperat. 8. Nec verò absoluta Medicinæ perfectio in vario instrumentorum apparatu, sed potius in dignotione morborum consistit. Si enim sufficerit Medicus ad cognoscendum, sufficerit etiam ad sanandum, Hipp. de arte med. 9. Adde, quòd indignum sit personâ & majestate Medici cinislonem agere, manus carbonibus, & argillâ deturpare, & in pulvere isto Vulcanico noctes diesq; circumvolitantibus favillis desudare, quo fit, ut mechanicis præpeditus liberalioribus meditationibus, lectionibus, & ægrorum visitationibus vacare, manibusq; callo obductis pulsus ritè dijudicare, & decenti habitu ευσχημοσύνην *medicam servare minimè queat. 10. Præterea Medici operarii falcem in alienam messem immittunt, cùm ipsorum proprium munus sit præscribere, pharmacopæorum autem, qui illorum veluti servi sunt, & coqui, componere, & operari, quæ duo officia, nisi distincta maneant, utriq; liberum erit, quid pro quo offerendo ægrotos impunè occidere, & errores admissos terrâ contegere. 11. Nos verò (inquiunt Dogmatici) venerandæ antiquitatis vestigiis constanter insistentes rationibus, sensibus, longo usu, communi omnium rectè medicantium consensu approbatissimis, ordinariis, tutis, mitioribus, ac fixis, manifestis qualitatibus, primis, secundis, & tertiis novatiis istis potioribus, totamq; temperiem retinentibus in digerendis, evacuandis, alterandis, & discutiendis humoribus annos jam plurimos felicissimo successu utimur. Sentimus enim cum Rondeletio, satiùs esse remedia minùs efficacia habere, & longiori tempore curare, quàm periculosa exhibere, quia sat citò, si sat tutò. 12. Usurpamus autem utplurimùm vegetabilia, cumprimis intrinsecè, quæ eum in finem Deus è terrâ in hanc superficiem produxit, non perscru-*

ſcrutamur infernales abyſſos ad eruenda mineralia, & metalla naturæ noſtræ nullo pacto analoga. 13. Ea quandoq; adhibemus integra, quæ natura ipſa depuravit, ut ſacharum, & mel, quorumq; omnes partes ad eundem uſum conſpirant; in quibus hoc accedit commodi, quod ſubſtantiâ terreſtri ventriculum aſtringant, & corroborent, idq; eò conſultius nobis videtur, cùm ipſum calidum in nobis nativum corporeis pabulis reſtaurari geſtiat. 14. Quandoq; ubi ſeparatione purorum ab impuris opus eſt, multiplicibus præparationum modis & proceſſibus artificioſiſſimis innumeras ferè remediorum formulas tam humidas quàm ſiccas pro variis intentionibus, & ægri palato extundimus, & concinnamus. 15. Et ut ægros demulceamus, & gratificando obedientiam conciliemus ſacharo & melle pleraq; condimus, & edulcamus, ſyruposq; gratiſſimos conficimus, quibus majorem ineſſe vim ſtatuimus, quàm extractis, quæ nimiâ digeſtione vim purgandi amittunt, & in morbis acutis prorſus non conveniunt. Imò ſine ſacharo & melle etiam ſyrupos componere didicimus. 16. Decocta non cum vulgo aperto ſemper vaſe, ſed arctè clauſo, ne quicquam illis decedat, eoq; vitreo, aut vitreato, ne à cacabo malignam qualitatem metallicam contrahant, paramus. Cæterea verò omnia & ſingula tantâ dexteritate & circumſpectione elaboramus, ut vel ipſe Momus, vel Argus, quod meritò reprehendat, non inveniat. 17. Curationem ita moderamur, ne feſtinando nimium vehementioribus crebrius, & majori doſi exhibitis ægrum in vitæ diſcrimen adducamus, neq; morando nimiùm tenui diætâ, & digeſtivis immodicis vires exolvamus: neq; farragine medicaminum obruamus, neq; penuriâ deſtituamus: ne moroſitate nimia ad deſperationem, nec blandimentis ad ſecuritatem reducamus, ſed ut, quantum in nobis & arte poſitum eſt, ut citò, tutò, & jucundè: aut ſi non jucundè, citò tamen & tutò; ſi non citò, & jucundè, tutò ſaltem ad priſtinum ſanitatis ſtatum perducamus.

DEFENSIO.

1. MEdicinam carere posse Chymia pernegant Chymiatri. Sine quo enim Medicina finem suum assequi nequit, ut nempe appositè curet ad sanandum ἡδέως, ταχέως, ἀσφαλῶς, illud planè est necessarium, nec eo carere potest. Atqui vulgaribus medicamentis destituti Chymicis hoc consequi non possumus. Ergò Chymica ars perquàm est necessaria, nec γνήσιος Medicus ea carere potest. 2. Assumtum probatur. Quantumvis enim Galenica pharmacopolia pyxidibus deauratis, & variis colorum fucis oculos perstringentibus depictis terrestres videantur esse paradisi, nihil tamen aliud sunt, quàm vasa immunditiei scelta, cadavera, & stercora medicamentorum continentia. Siquidem vulgata isthæc crassa sunt, corporea, cruda, feculenta, emortua, & inania, nec afflictos sublevant, sed mole sua virtutes opprimunt. 3. Aquæ rudi modo destillatæ vix aliam quàm communis & elementaris habent efficaciam, levem enim ab igne alterationem nactæ odoris & saporis portiunculam à minima sulphuris & salis volatilis ascendentis parte sortiuntur, ideoq; cùm paucissimi assint spiritus, vitra ab hyberni frigoris inclementia, ne crepent, diligenter munienda sunt. 4. In decoctionibus, licet in diplomate fiant, subtilior pars evaporat, nares enim in altera platea, vel suprêma ædium contignatione feriunt, à cupreis vasis malignitatem asciscunt. 5. Aqua communis, quâ ceu menstruo, & clavi universali utuntur, spiritus attrahere potis non est, & ipsamet putrefactioni quàm maximè obnoxia est. Ejusdem farinæ sunt mel, saccarum, & oleum olivarum, unde pleraq; ipsorum medicamenta vix anni spacium durãdo vincunt, & conservæ ipsæ conservatione indigent. 6. Infusiones umbræ quædam sunt veræ præparationis extractiones spagyricas æmulatæ, eliciunt enim tincturam, odorem, & particulam saporis, ideoq; majori in precio habendæ, quia virtutem magis unitam custodiunt, totam tamen substantiam, vel partialem requisitam non obtinent, & plurimis redundant alienis impuritatibus. 7. Pilularum forma non omninò improbabilis

babilis est, sed pulveres, ex quibus confiunt, & crassiora à ventriculo in succos verti, & promtè in venas didi nequeunt, pauci saltem spiritus resolvuntur, unde sectis nonnullis in ventriculis massæ pilularum diu antea assumtarum concretæ repertæ fuerunt. 8. Sola autem vegetabilia imbecilliora sunt, quàm ut morbos firmis radicibus inhærentes extirpare, & evellere valeant, cùm ipsamet maximam partem sint fugacioris vitæ, nec stabile balsamum obtineant. Illa verò duntaxat à putredine diu præservant, quæ diu conservantur, & à naturâ vitam longiorem & temperatiorem sunt adepta. Licet verò Galeniatri gemmas aliquando tritas, & auri ipsorum suffragio cordialis excellentissimi laminas analepticis suis adjiciant, nullatenus tamen medio caloris & humoris naturalis recludi, vel affici, aut afficere possunt: nec enim struthiocameli stomachum, qui concoquat, aut aquas fortes sive regias offendunt, quæ arctissimam compagem dirimant, & spiritum intus latentem evocent. 9. Nec eccoprotica purgantia omne Augiæ stabulum in morbis expurgant, cùm non omnis morbifica colluvies in prima regione colligatur, sed plurima in secunda venosi generis, & tertia, seu totius corporis habitu stabuletur. 10. Minus tutò curant, quia partes inutiles, excrementitias, noxias, & venenatas unà ingerunt, quæ in corpore relictæ corrodunt, & exulcerant, ventriculi ἀτονίαν, aliosq; gravissimos morbos causantur, & valetudinarios efficiunt. 11. Curam etiam citiorem, juxta & tutiorem non permittunt substantiæ facultates & qualitates in uno eodemq; simplici contrariæ, quod ipse Galenus agnovit 13. de simpl. fac. excernendi, sistendi, incrassandi, attenuandi, calefaciendi, refrigerandi, exiccandi, humectandi, facultates in omnibus propemodum, licet sensu simplicibus apparere. Quas cùm ipsi divellere nesciant, quantum in uno proficiunt, tantum in altero deficiunt, & officiunt. Si enim laxandum est, quid opus est styptico? 12. Injucunda, & abominabilia sunt vulgaria, longa isthæc, apozemata, lutosæ alicujus aquæ libra una, vel duæ, tot digestiva, tot syrupi magistrales prolixa methodo exantlandi, qui vel ipsi Marti terrorem incuterent; tot pilulæ amaræ & fœtidæ

*fœtidæ in honorem Romæ septicollis sacro septenario, aut Musarum no-
venario, aut majori, sed impari ad irritationem deglutiendæ, aliaq́; ama-
ritudinis pocula exhaurienda, à quibus multi pejora, quàm ab ipso morbo
patiuntur, nauseam, tormina, flatus, hypercatharses, virium dissolutio-
nes, ut mortem etiam præ illis exoptent, & nonnulli sola imaginatione
nauseabundo ἄνω καὶ κάτω vomant, & dejiciant, quæ carnificina potiùs,
quàm medicina dici mereatur. Vnde non ineptè quidam Medicos expu-
gnationem morborum vulgaribus instrumentis aggredientes similes es-
se dicit fabrorum, qui ad secandum hebetem securim, vel fortè medio
confractam adhibent. 13. Chymica verò auxilia Medici expectationi,
& ægri spei citò, tutò, & jucunde satisfaciunt. Primò citò operationes suas
exequuntur, sunt enim compedibus corporeis exuta, ab omnibus remoris
absoluta, in actum reducta, viribus exaltata, formalia, spiriutalia, astra-
lia, quæ à spiritibus mechanicis sitientibus avidissimè attrahuntur, ac
libentissimè recipiuntur, nec opus habent, ut longiore temporis tractu ab
imbecillo ventriculo immutentur, sed naturam confestim immutant,
& spiritibus homogeneis sociati centrum morbi vi magnetica inqui-
runt, & magno impetu hostem adoriuntur. 14. Collaudant ipsi Miso-
chymi exemplo suo hæc juvandæ naturæ epicheiremata, dum in atrophia
cibos euchymos elixant, succos exprimunt, pinguedinem segregant, feces
abjiciunt, vinum ab omni spuma, fece, & tartaro depuratissimum offe-
runt. 15. Spagyrus verò, sive archæus internus cibos dentibus contusos,
probeq́; comminutos, & humore facilioris gratia coctionis dilutos, atq;
in ventriculi phiolam, seu retortam infusos recipit, vas suum occludit,
uvido calore digestionem, putrefactionem, concoctionem, & sequestra-
tionem substantiarum heterogenearum instituit; tincturam, succum
nempe purissimum & dulcissimum (licet varia varii saporis ingesta
sint, extrahunt, qui multis duplicis adhuc furni circulationibus rectif-
catus, vehiculo aquosæ humiditatis ad extremas corporis partes alimen-
tandas deducitur. Serum officio defunctum à renibus attrahitur, &
vesicam salis resoluti conceptaculum versus amandatur, sulphur fœti-
dum*

dum cum mucilagine tartareâ per intestina, reliquaq; supervacanea per emunctoria propria excluduntur. 16. Sunt enim alimenta semina, sed impuritatibus plenissima, igitur, ut in semine minutissima portiuncula inest, quæ λόγον σπερματικὸν habeat, reliquum est ϑορώδης ὑγρότης, & corpus, seu testam constituit: ita vix tricesima pars assumtorum in sanis etiam in alimentum utile vertitur, & agglutinatur. Quam ob causam Hipp. veteres ὠμοφάγους, seu crudis vescentes plurimis morbis conflictatos esse scribit, nec enim cruda coctis, quod Scaligeri paradoxon est, vitæ salubriter prolonganda magis idonea sunt. 17. Quod si in alimentis benignis, & naturæ familiaribus tam uber est excrementorum proventus, ut necessariò coquendi, despumandi, & condiendi sint, quantò majori necessitate medicamenta ad corpus ægrum alterandum apta nata defecare, balsamum à stercore, paleas à tritico, furfures à farinâ removere conveniet, cùm multæ in iis partes venenatæ sint, aliquæ deleteriæ, plures otiosæ, nullæ nisi per accidens salutiferæ. 18. Natura enim maledictione divinâ post lapsum in calamitosam sortem transplantata, & perpetuis cæli terræq; injuriis exposita non producit essentias puras, non offert mel sine aculeo, rosam sine spinis, nucleum sine cortice, sed qui vult edere nucleum, nucẽ frangat, oportet. Exempli gratia: In integrâ croci librâ decem reperiuntur veneni unciæ: in centum & viginti granis rhabarbari octoginta sunt otiosa: ex lib. unâ cinamomi vix elicitur olei unc. semis: ex unc. nuc. muscatæ drachma sem. vel ʃ. in quo tamen oleo tota vis aromatica consistit. 19. Quæ quidem vis κατὰ τὸ πρᾶγμα naturæ & artis operâ salvo corpore separari potest, quod tanquam ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης sine virtute vitali, odoris & saporis expers remanet. v.g. rhabarbaro, monente Mesue, infusionibus & macerationibus eximi potest vis purgatrix, & simili colore tingi, ut eadem forma, corpus & pondus restet. In cinamomo, aliisq; odoratis vis aromatica ita sæpè exhalat, ut oculi decipiantur, nisi gustu & olfactu bonitas exploretur. 20. Natura verò sola duos liquores separare novit, è simplicibus jam recens terrâ avulsis, aquosum, è siccis oleaginosum: non itidem viscosum, & glutinantem, qui terrestres

partes colligat, in quibus reperitur sal egregiis virtutibus dotatum, præcipuè in metallis, lapidibus & lignis. Non enim nisi sicco calore educitur, in ventriculo autem singulis momentis affluit humiditas, quas ob res excrementa nunquam in cineres redigi deprehendimus. 21. Spagyria itaq; Chymica in subsidium advocetur oportet, quæ singulari resolutionum, separationum & exaltationum technurgemate absconditas rerum naturas in apricum producit (collocavit enim Deus, ut ad philosophandum & laborandum homines incitaret, in occulto maxima, maximeq; admirabilia, in propatulo minima, vuliq; occultum fieri manifestum) vires & temperamenta rerum, actionumq; causas & origines indagat, inventas determinatè explicat, & mediante corpore quodam purissimo ipsas rerum species & formas quasi ob oculos ponit. 22. Infinita exempla sunt in promtu: opium statuitur frigidum, quia stupefactivum. Atqui amarum est. Ergò ex hypoth. Gal. calidum. Solvat Gordium hunc nodum è principiis suis Galenicus Chymicomastix. Anatomes Chymicæ tyroni aranearum telæ sunt. Sulphur opii, seu substantia oleaginosa, inflammabilis, dulcis, & respectu reliquarum exigua summè algida & narcotica est. Quamvis negem algori propriè narcosin esse tribuendam, cum calidis etiam competat. Sal verò sive substantia terrestris est amara & calida, partium videlicet tenuium, ita ut etiam sudores absq; ullo refrigerio provocet. Sic cichorea rosa amara sunt, & tamen refrigerant ob diversitatem partium. 23. Piper Vasconum experimento refrigerat, acrimonia tamen vehementer calidum esse dictitat. Sulphur ejus sive oleum temperatum est, & utilissimè exhibetur in tertianis & quartanis, purgato corpore gutt. 2. 3. vel plur. in syr. cydon. 2. hor. ante acceß. horrorem sistit, calorem vivificat. Potest verò hoc elici residuâ materiâ, seu substantiâ salinâ, quæ acris est & calida, ideoq; conquassatum piper frigidis ventriculis remedio est. 24. Quis porrò non videt, tutius & securius adhiberi Chymica sepositis omnibus qualitatibus nocivis, aut saltem felicius obtusis, quippe nec ullis fecibus tartareis ventriculum & partes gravant, etiamsi sæpiusculè reiterentur, nec diu partibus im-

bus impacta adhærent, aut ullam noxam inferunt. Sic e.g spiritus vini non lædit, & multi unâ vice plus bibunt, quàm ex tribus vini lib elicitur citra incommodum: phlegma verò apoplexian, paralyses, aliosq́ morbos frigidos inducit, & sal corrosivum partes pungit & lancinat, quod ut deliniatur, aqua infunditur. 25. Iucundiùs, libentiùs & faciliùs Chymica assumi, loquuntur ægri medicorum libri & testes, minimâ etenim dosi aliquot granulis vel scrupulis propinantur, nec odorum & saporum insuavitate nauseam movent, aut bilem in nares conciunt. 26. Dosis insuper in minoribus & simplicioribus, & effectus secuturi exquisitiùs æstimari possunt, quàm in prolixis antidotis. 27. Longè verò plus receptis istis tot ingredientibus constantibus operantur Chymica, quod enim quantitati deest, viribus compensant, & in acutis, ubi nullæ dantur induciæ, præsentaneam opem afferunt. 28. Deniq́ ex eo Chymicorum præstantia vel maximè elucet, quod iis empiriâ logicâ adhibitis priscis medicinæ antistitibus incurabiles, apopl. epilepsia, elephantiasis, hydrops, podagra, & quartana Medicorum opprobria profligantur, & à Galenicis derelicti & desperati, jamq́ animam agentes, pristino vigori restituuntur. 29. Credimus & concedimus, Hipp. plurimos in longævâ, & vegetiore illâ ætate feliciùs ac faciliùs sanâsse, sed longè plures citiùs, tutiùs & suaviùs Chymicis auxiliis servare potuisset, non enim dubium est plures obiisse medicaminum non legitimè præparatorum, ut etiámnum hodie, defectu. Omnia nunc cum senescente mundo in deterius vergunt, morbi plusquàm Herculei, novisq́ constellationibus suscitati insoliti & monstrosi, velut hydræ capita pullulascunt. Brassica olim panacea fuit ad fugandos omnes morbos, idem non facit hodie. 30. Regiones etiam & temperamenta differunt. Vulnera Germaniæ curatu sunt facilia, sed ob id Italia non potest carere chirurgia, quia vulnera ibi difficillimè coalescunt. Helleborus Anticyris salubriter bibitur, at non ubivis. 31. Multa scivit Medicinæ parens Hipp. & in scriptis posteritati reliquit, sed multa correxit & auxit Gal. nihil enim simul natum & perfectum: multa theoremata, & remedia adinvenerunt Græci,

Arabes ac Latini, & vehementioribus antiquatis mitiora priscis incognita substituerunt: plura etiámnum hodie inveniuntur salutaria, compendiosiora & splendidiora, quod botanicorum horti, & anatomicorum theatra ad ostentationem superstitiosè adaucta ostendunt. Crescunt enim scientiæ cum ingeniis, nec in unius Hippoc. & Gal. pectore Deus Medicinam clausit & terminavit, quin locupletior & ornatior evadat, imò nunquam idealem perfectionem attinget. Turpe verò est inventis frugibus, glandibus velle vesci, & ex intellectu omnium rerum domino alienæ libidinis mancipium facere. Imò si reviviscerent ipsi beatiores nos prædicarent ob divinum hoc donum languescenti mundo indultum, & optatissimam artem ambabus ulnis amplexarentur & exoscularentur. 32. Moriuntur multi utraq; medicinâ frustrà adhibitâ, quia terminus fatalis effluxit, vel Deus baculum medicinæ, nempe benedictionem subtrahit, vel quia seriùs opem Medici implorant ægri, vel quia immorigeri & incontinentes sunt, vel errore astantium, vel externorum, vel etiam ipsius Medici. Pharmaca namq; ab imperitis exhibita sunt venena, à prudentibus auxiliares Dei manus. Τὰ γὰρ τῆς τέχνης σφάλματα *tam invenientis, quàm utentis arti ipsi non sunt imputanda. 33. Postremò ad sui perfectionem & integrationem necessariò requirit Chymiam Medicina, cùm sit pars ejus integralis pharmaceuticæ, seu pharmacopœticæ subjecta, sine qua totum mutilum est, & mancum. Nec enim sola morbi cognitio, quam sæpè exactiorem habent ægri, Medicum facit, sed remedii inventio, & præparatio, nec præparatio sola, sed applicatio, ut actus sit omnibus partibus absolutus. Licet in aliquibus cognito morbo facilis sit remedii* εὐπορίστου *inventio, ut quando gangrænam amputamus, vel causum haustu frigidæ alteramus, aut hydrophobum in aquam præcipitamus. 34. Quæ verò in contrarium afferunt Misochymici, meræ sunt calumniæ, fallaciæ, nugæ. Vtimur frequentiùs mineralibus, & metallicis, quia mumiam obtinēt fixam, & familiarem, non distractam variis officiis, labores perfectiores sustinentem, spiritusq́; potentissimos, & corruptioni minimè obnoxios. Vsi sunt & veteres, etiam*

crudis,

crudis, nos ritè præparatis. 35. Agnoscunt usum eorum eximium in externis, intus venena esse clamitant. Cur non itidem vegetabilia ex eodem principio pronata? Cur conclamatos ad acidulas, & thermas, aliasq; aquas medicatas mineralium resolutionum scaturigines veluti sacram, & extremam salutis ancoram remittunt, cùm natura ad usum non perfectè illas miscuerit, nec simplicis, & unius qualitatis produxerit, plura enim metalla in mineris complicantur, unde plures nihil juvantur, sed magis affliguntur, aut moriuntur, ars verò defectum naturæ supplere, & quæ sunt ἀλλόφυλα separare novit. 36. Venenata sint cruda mineralia, & metalla: at non ideò in medicum usum non deducenda: ubi virus, ibi virtus, & quod uni venenum, aliis cibus est, & remedium. Seclude partes venenatas, reperies alexipharmaca, & gravissimorum morborum alexicaca & ῥιζοτόμους. Solæ enim purificationes veræ sunt correctiones, nec correctio omnis venenum arguit. 37. Quo verò privilegio ipsimet Galen. aurum ignitum, chalybem & gemmas comminutas ad emungendos ægros tantis præconiis efferunt? Cur ipsi cantharidas vesicæ infestas τοῖς λιθοτριβοῦσι vehiculi loco subdunt? Cur ex ipsis nonnulli tam avidè Chymicis inhiant, & clanculum tecto nomine usurpant? Cur Iul. Alexandrinus antimonium illud famosum ad pestem: Gesnerus ol. vitrioli ad omnes ferè morbos: Rondeletius pil. Barbarossæ Mercurio crudo suspectas ad luem veneream: Fallopius & Hector Nonius crocum martis ad icteros, aliiq; alia ad alios morbos tantoperè commendant? Experientia sanè certissimum κριτήριον veritatis confessionem ipsis extorsit. 38. In purgantibus venenatis mediantibus extractionibus & digestionibus spiritus malignus evanescit in auras, & vehementia fiunt mitissima, cùm multa, teste Galeno lib. de ther. ignis commercio fiant meliora, & latentem naturam edant. Multa tamen magis vel minus evadunt acria non ignis culpa, sed salium volatilium fuga, aut fixorum perseverantia. At pleraq; minus adustionis retinent, quia sulphur peregrinum diuturna combustione evanuit. 39. Nec tantoperè reformidanda sunt Chymica, quòd nonnulla sint caustica & corro-

 siva,

ſiva, cùm longè alia ſit eorum operatio in corpore vivo & ventriculo noxis humoribus referto, nec ſeorſim dentur, ſed aliis liquoribus mixta. Poteſt etiam auferri corroſio, aut refrænari, ut ſal tartari etiam aquas fortes & regias emollit, & oleo ſulphuris mixtum corroſivitatem deponit. 40. Nec ipſi ſeſe abſtinere poſſunt à corroſivis. Theriacam ingreditur chalcanthum, in quo ſal eſt fixum maximè corroſivum, Sal edule corpora humano longè ſolidiora erodit. Sic acetum, ſpiritus mellis, limonum & citronum ſuccus, & alia utiliter dantur, & multa forinſecus corrodentia intrinſecus proſunt, imò requiritur quandoq; corroſio. 41. Salia empyreuma redolent, ſed facilè eluitur: veteribus etiam in uſu fuerunt, concoctionem juvant, putredinem arcent, Venerem ſtimulant, nec ſola dulcia ægris conducunt. 42. Nullo modo partes principales malignâ diſpoſitione inquinant, cùm omnem depoſuerint: nec exceſſu caloris, qui igne non intenditur, ſed diſſipatur, ſeparatis menſtruis calidis, nativum calorem deſtruunt: nec nimia activitas venenoſitatem evincit, cùm vini ſpiritus, aromata, & alia in quotidiano uſu ſint actuoſiſſima, & venena quædam admodum lenta: nec minima doſis, qualis etiam eſt bezoardicorum, quin ſecuritatem facit, ſi augeretur, periculum minaretur. Imò tutiora ſunt Chymica κατ᾽ ἔνδειξιν *uſurpata pane & vino plurimas adhuc feces continentibus. 43. Nullam cum corpore ſimilitudinem habeant: idem dicendum de Galenicis: nec debent, ſunt enim antipathetica. 44. Miſtionis conceptus non ſemper, nec totus deſtruitur, nec eo fine laboratur, & quæ diſtracta ſunt, rurſus uniuntur, craſisq; perficitur, & certi ſunt mixtionis effectus poſt multas mutationes ſuperſtites. Quod ſi decocta, & ſyrupi igne violentiſſimo indifferenter ſubjecto temperiem ſervant, quidni Chymica igne blando innoxio, pyronomicè adminiſtrato, melius ſervabunt. 45. Decedat aliquid craſi, tota non requiritur, ſufficit ipſis ſua, & determinata craſis Medico deſiderata, quæ peremto corpore in aliud manat. Pereat craſis, manet vis ſpecifica. Tollatur vita vegetabilis, metallica & mineralis, quâ ſibiipſis vivunt, incipiet vita animalis & humana, quâ nobis vivunt, & in nobis actiones vi-*

nes vi-

nes vitales exerunt, quod effectus probant: extractum enim agarici non minus phlegmagogum est quàm ipse agaricus. 46. *Nec sophistica & blasphema est Chymia, quod rerũ perfectiones spondeat. Omnia quidem à Creatore perfecta sunt in materiâ prima, sed Chymicus naturam per naturam movens, amica conjungens, adversa disjungens, & agentia patientibus imitatione naturæ accommodans materiam secundam ad ultimam perfectionem deducit, & in se perfecta respectu artis occupatæ imperfecta operationis subjecta, quoad usum Medicum perficit.* 47. *Nec est nova hæc ars, sed à natura ipsa, quæ igne naturæ præparationes, coctiones, separationes celebrat, ingenerata, & prisci particulam, & rudimentum ejus habuerunt, multiq́; reges, principes, & sapientes omni ætate omnes nervos in ea intenderunt. Vtut etiam nova sit, cùm liquidè constet, eam ad Dei gloriam illustrandam, naturæ arcana revelanda, & proximi salutem procurandam τὸ ἐπιβάλλον μέρος, & momentum maximum conferre, nemo vir pius, probus, ac prudens eam aspernabitur, aut convitiabitur, sed amabit, colet, omniq́; studio & honore prosequetur.* 48. *Nec verò Medicum dedecet manum operi admovere, cùm priscos Medicinæ monarchas minimè puduerit. Ex hac enim praxi & αὐτοψίᾳ vera nascitur theoria, & scientia Medica, cùm tantum sciamus quantum operamur, & multorum structura non nisi usu addiscatur, in quo magna requiritur solertia, & dexteritas. Quomodo verò facienda præscribet, qui ipse facere nescit? quomodo scire poterit, quam dosin ingredientibus definiat, & quid, quantumq́; sint effectura, cùm præparatione vires nunc perdantur, nunc augeantur, & pondera eadem esse possint, quorum virtus est maximè dispar. Si igitur Medicus decipi non vult, suæq́; conscientiæ, & existimationi, & saluti ægri consultum cupit, non omnia imperitorum famulorum manibus concredat, & alienis oculis videat, sed ut perfectus sit Medicus ipse Pharmacopæum agat.* 49. *Difficiliora sunt paratu Chymica, quoniam pulcra: Dii vendunt sua bona laboribus, & sumtum facere oportet quærentem lucrum centuplo impensis & molestiis uberius futurum.* 50. *Nec subducta rectè*

ratione

ratione cariora sunt, & Reipublicæ oneri talia medicamenta, cùm perpaucis preciosissima sanitas brevi, quæ vix ac ne vix quidem vulgatis majoris precii compositionibus longo tempore recuperari potest, restituatur. Addamus, quòd crudiora illa in singulos annos pleraq; renovare magnis sumtibus oporteat, cùm nostra ad plurimas annorum decadas viribus integris perdurent. Sunt enim quintæ essentiæ è rebus quibuscunq; vitam habentibus extractæ, & ad summum subtilitatis gradum adductæ, spirituales, & incorruptibiles, in quibus materia binarius victus, & per ternarium, & quaternarium, hoc est, per abjectionem impuritatis, & confusionis quatuor elementorum ad monadis simplicitatem est reductus.

ΨΗΦΙΣΜΑ. SENTENTIA.

Dogmata non juro in Paracelsi, aut scita Galeni,
Vera utriusq; placent, falsa utriusq; jacent.

1. *AMicus Galenus, amicus Paracelsus, sed magis est amica veritas. Tandiu ab illorum partibus stabo, quandiu illi à veritatis: tandiu mihi cum illis conveniet, quandiu ipsis cum veritate, & seipsis. Galenus ipse Hippocrati non credit tanquā dictatori, sed demonstratori. Ratio præpolleat autoritatibus, nec quis dicat, sed quid dicatur, attēdamus valeat τὸ αὐτὸς ἔφα. 2. Schismata Medicorum ægrorum mors sunt, & nobilissimam artem risui plebis exponunt. Veritas una est: natura magistra nostra eadem, & immutabilis, nos ejus ministri factiones alimus, & nimium altercando veritatem amittimus. 3. Diversa sunt, fateor, inter Galenicos, & Paracelsicos nonnulla, pauca verò verè contraria aliis aliò intentis. Reducantur igitur in concordiam, cesset ambitio, invidia, odium, calumnia, persecutio, regnet candor, & φιλαδελφία medica. Sanitas populi suprema lex esto. 4. Carere potuit Hipp. medicina apparatu Chymico, nostro verò seculo ferreo malis nodis mali quærendi sunt cunei. Leviores, & superficiales morbi facilè mobiles communibus herbis, syrupis, decoctis, oleis profligantur: altiores & contumaciores exaltatis, ex-*

tractis,

tractis, & arcanorum tincturis exterminari desiderant. Extremis enim extrema. 5. Integra interdum sunt ex usu, cùm vis toti inhæret, separata eâdem privantur, & nociva evadunt: interdum soluta, cùm actiones à partibus discrepantibus procedunt. Nam utrumq; semper integris, nullis solutis, vel nullis prorsus integris uti, & ex omnibus essentias extrahere velle, vanitatis & dementiæ plenum est. Mediâ itaq; viâ tutissimè incedemus. 6. Simplicia quandoq; sufficiunt, & certiora, naturæq; convenientiora sunt. Quandoq; morborum, caussarum, & symptomatum συνδρομὴ, & complicatio; vel ipsa medicamenti substantia, quantitas, qualitas, & agendi modus compositionem suadent, nec compositio naturæ artis compositiones elidit. 7. Nonnunquam vulgaris herbula in nostro solo nata plus efficit, nonnunquam exotica & peregrina: aliquando vetera in usum revocamus, aliquando nova pro scoporum varietate præponimus. 8. Prudentis enim Medici est juxta indicationes, quæ pro naturâ morbi, antecedentium, concurrentium & consequentium, pro constitutione, & viribus ægri, aliisq; coincidentibus, lædentibus, aut juvantibus variant, indicata persequi legitimâ medicamentorum electione, præparatione, præscriptione & exhibitione. Quandoq; igitur decocta destillatis, infusa extractis, simplicia compositis, nostratia exoticis, vetera novis, leniora vehementibus, vulgaria Chymicis; aliquando verò maturo judicio hæc illis præfert, adeoq; suis quæq; usibus circumspectè accommodat. 9. Fatentur ipsi Chymiatri, non in omni morbo utendum esse mineralibus, & eodem gradu exaltatis: quod enim potest fieri per pauciora, non debet fieri per plura: utuntur ipsi Galenicis, tanquam vehiculis, & hisce sua acuminis ergò imponunt. 10. Fatentur ipsi Dogmatici, Chymiam portionem medicamentosam ab omni terrenâ fece, impuris, & alienis separatam, in unum cogere, & insigne decus, & felicitatem Medicæ arti conciliare; permittunt ex antidotis suis fieri extracta, vel è simplicibus, admittunt salia, olea, essentias, &c. iisq; πάλα λόγον utuntur, & in officinis instructioribus non pauca Chymica publicè prostant. Multi etiam sum-

ma cum laude praeclaram Chymiae operam navarunt, & etiamnum navant. Sed hanc Medicinae ceu servam Dominae, partem toti subjiciunt, quae scilicet non rationē, & leges caeteris praescribat, sed sua omnia secundum constitutionem illarum praeparet ac dirigat. 11. Quamvis ipsa ex naturae suae essentiâ Domina sit, quatenus singulari artificio naturas, proprietates, litem, & amicitiam rerum indagat, & actionum fontes recludit, quae quidem scientia acroamatibus omnibus certior & praestantior est: secundario verò & ex accidenti varii generis medicamenta fabricat & expolit, eaq; Medico omnia ad humani corporis incolumitatem referenti utenda tradit. 12. Nullâ tamen ratione negari potest Chymiam solidae Philosophiae fontem, clavem sapientiae, animam, medullam & obrussam Physicae, dum omnia, quae sunt in mundo majore ignis examine probat & rimatur, Medicum in contemplatione rerum naturalium, cognitione, dignotione, praenotione, & curatione morborum plurimum juvare, multoq; certiorem reddere. 13. Quoniam autem Hermetica theoria rerum tam naturalium, quàm non naturalium, & praeternaturalium nondum satis explicata, & methodicè digesta, variisq; nominum involucris, & opinionum perplexitatibus, ceu vepretis obvallata est, medendi methodum ab Hippocrate, Galeno, & reliquis dogmaticis traditam amplectamur, aptiorem verò medicamentorum praeparationem à Paracelso, & Chymicis excusso veterno impigrè addiscamus, & utriusq; jucundissimâ, & utilissimâ συζυγίᾳ sociatis ad Dei gloriam, & proximi salutem salubriter utamur. 14. Si quae tamen micae reconditae Philosophiae de mensis magnorum artificum decidentes nobis famelicis communicentur, avidissimè easdem excipiamus, & in succum, sanguinemq; nostrum, ceu ambrosiam aliquam convertamus. Quod si fecerimus, nullum est dubium, quin evasuri simus ισόθεοι, θαυμαστοί, ὅλως δ' ἀντάξιοι ἄλλων.

Πάντα δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε.

Omnia probate, quod bonum est, tenete.

ΕΠΙΘΕΜΑΤΑ.

1. FOeminas in viros mutari posse fabulosum non est.

2. Viperam caput maris abscindere, & genituram per os immitti, catulosq; corrosis lateribus erumpentes matrem interimere, falsum est.

3. Vipera morborum causa una, eademq; salutis
Viva necem, vitam ritè necatâ parit.

4. Jouberti paradoxon est: posse ἀσίτως per multos annos vivere: ἐνδοξότερον mihi videtur, posse id ἀπότως: imò potum non esse necessarium, penè dixerim.

5. Somnus meridianus non est insalubris.

6. Regum, principum, & magnatum vita salubrior est & longior, quàm plebejorum.

7. Calor primigenius non modò cœlesti analogus, sed etiam origine & essentiâ cœlestis est.

8. Venena nullâ qualitate manifestâ nocent, sed totâ substantiâ calorem nativum cordis corrumpunt: singulis autem sua sunt alexipharmaca, possuntq; ita præparari, ut certo tempore, vel prorsus non interimant.

9. Nicotianæ usus tantoperè Belgis, Anglis, Hispanis, & Indis frequentatus an conveniat? D.

10. Amor morbus est, & amantes iisdem curantur remediis, quibus amentes, sæpiùs quidem per similia, & naturæ amica, quandoq; verò per contraria & adversa.

11. Sanguinis missio in peste non modò supervacanea & periculosa, sed pestilens est.

12. Immeritò Gal. 10. simpl. reprehendit Xenocr. quòd frequentiùs remedia ex animalium excrementis usurparet: nam & hæc non sunt destituta arcanis.

13. Perpetuum mobile Cornelii Drebbel Batavi, quod

in Angliâ visitur, sempiternos siderum motus, temporumq; vicissitudines, & Oceani reciprocationes ad momenta & puncta in ævum repræsentans: ut & organum ejusdem Musicum cœlo sereno suavissimam harmoniam nullo digitulo tactum edens, nubilo silens, ab Animâ mundi, seu spiritu universi, âstrali & insensibili in sphæram & instrumentum illud artificio Chymico magnetica vi attracto, infuso, & concluso moveri, rotari, & continuari vero consentaneum est.

14. Metallorum transmutatio est possibilis.

15. Duæ tantùm sunt complexiones, calida & frigida.

Παντοκράτορι τῷ πατρὶ, υἱῷ, καὶ πνεύματι ἁγίῳ
Δόξ' ἑνὶ πᾶσι Θεῷ ἐν φαέεσσι τρισίν.

IX.

HYPOTYPOSIS UNIVERSÆ THERAPEUTICES NATURÆ ΕΝΔΕΙΞΕΙ AD

Archetypum Panaceæ & Hygieiæ conformata, & pro redimendâ Laureâ Apollinari publicæ disquisitioni subjecta

à

MATTHÆO VECHNERO FRAUSTADIENSI Silesio.

THESIS I.

UT *sublimium naturæ eventuum ex cæcitate mentis profecta admiratio Philosophiam peperit;* Plato in Thæet. & Arist. 1. Metaph. 2. *Sic valetudinis iniquæ, quæ subinde propter Balsamicæ Mumiæ labem homines adfligebat, tædium ad medicinæ cultum majores nostros compulit.* Hippocr. l. de veteri medic. *Vtriusq; tela experientiæ & τηρήσεως stamine duci cœpta;* 1. Metaph. 1. *sed rationis scrutinio &*

& ſolerti mentis indagine ad umbilicum perducta, 1. prior. c. 23. 1. poſter. c. 14. *iiſdem adhuc viget & nititur principiis.*

2. *Illius pabulum vel anima Veritas eſt,* ἀποδείξεων εὐλογίᾳ *conquiſita: Hujus prora puppiſq; Sanitas,* ἐνδείξεων εὐπορίᾳ *comparata. Huc enim omnia conſilia Medicorum, omnia ſuſpiria ægrorum, omnia ſtudia ſanorum tendunt, atq; in hoc cardo totius Medicinæ verſatur, ut ad perficiendas actiones ſuas integra & illibata fruatur corpus humanum valetudine.*

3. *Non itaq; tumidus Sophiſta, qui ignava opera, philoſophâ ſententia,* ἄχρι τοῦ πράττειν, μέχρι τοῦ λέγειν *futiles duntaxat argutias, trivialia crepundia in circulis hominum jactat, auguſtum Divini, Admirabilis, Gratioſi, Salutaris & Elegantis Medici titulum meretur; ſed qui* τὰ καθόλου φύσεως ἐς τὰ ἐπὶ μέρους ἀνάγει, *& medicinam ex præſcripto Hippocratis* ὁσίως, ἁγίως καὶ ἐπιστημονικῶς *facit, prudenterq; & ſtudioſè exercet.*

4. *Id ut poſſit pulcherrime exequi, & omnibus Boni Viri numeris,* de quibus multus eſt noſter Senex in jurejur. de medico, & de elegant. *abſolutum eſſe expedit, & cumprimis multum in Naturæ Lycæo fuiſſe verſatum. Quia enim Natura medico pro ſubjecto, pro inſtrumento, & pro regulâ operationis, eam utiq; noſſe oportet: non* παχυλῶς *tantum &* εὐσχημοσύνης *gratia, quod volebat Manardus; ſed ex neceſſaria finis hypotheſi omnem illius indolem, omnes latebras, omnes divitias habere exploratiſſimas.*

5. *Ac debebant quidem hunc Naturæ hortum ita excoluiſſe Philoſophi, ut ejus fructibus ſatur medicinæ initiatus, rectâ ex Sapientiæ ſchola in Apollinis ſacrarium deduci poſſet: Cum extremi Phyſiologiæ fines ſint Medicinæ auſpicia,* ſecundum Ariſt. l. de ſenſu & ſenſ. c. 1. *& ad ipſum Phyſicum ſpectet* νοσολογία; authoritate divini Platonis in Timæo. *Quòd ejuſdem ſit de valetudine humana diſputare, cujus eſt omnium corporum naturalium ſpecies, cauſas, adfectiones & poteſtates, tam communes, quàm proprias explicare.*

6. *At recentiorum pleriq; quòd vel multitudine rerum defati-*

fatigarentur, vel mellitis notionalium quæstiuncularum hamulis magè caperentur, maluerunt præter propter monita Majorum, in Universalium tricis ætates consumere, infinitasq; de infiniti nullitate, vacui inanitate, motus varietate, causarum necessitate, & simili farinâ lites serere; quàm in particularibus τὰ καθόλου *demonstrare, aut generationum transplantationumq; nodos attentiùs extricare: Tantum abest, ut Mineralium, vegetabilium animaliumq; prosapiam, affinitates, inimicitias detexerint, vel corporis humani morborumq; historiam retexerint.*

7. *Id cùm animadverterent Medici, nec tamen progredi se posse cernerent, nisi prævio hoc lumine, ipsimet penè desertam Naturalem Provinciam studiis suis occuparunt, atq; adeò observationibus & commentationibus illustrarunt, ut non amplius* παρεμφυὲς τι καὶ μόριον, *seu colonia & alumna Physices sit Medicina nostra; sed ejus nutrix & magistra, idemq; vulgò Physicus audiat, & Naturæ consultus vel interpres, qui Medicus.*

8. *Inde etiam factum, ut, licet ad agendum vel operandum omnimodè comparata esset; tamen cum præcognita de subjecto & fine suâ vel varietate, vel difficultate reliquam de benè medendo* διδασκαλίαν *ferè superarent, à multis universa Medicina in* Theoreticam & Practicam, *tanquam* Procemialem & Essentialem *partem distributa sit.*

9. Theoretica *non ab ultimo, sed intermedio fine dicta est, quod* προθεωρίαν *corporis humani & utriusq; valetudinis tradat. Aliàs in* Physiologiam & Pathologiam; *à Paracelsicis in* Anatomicen vitalem & localem *dirimitur. Universam hæc Monarchiam Microcosmicam, Balsami majestatem, Principiorum* δυνάμεις, *Elementorum ministeria, Locorum commoditates, Morborum semina, progressus, fructus, tincturas & signaturas in Macrocosmico utplurimum speculo exhibere debet & proponere.*

10. Practica *propius ad Medicinæ finem accedit & opere nititur,*

tur, ejusq́, essentiam vel solâ exhaurit. Architas Tarent. apud Laert. l.3. de vitis Philos. *eam* Βοηθητικὴν, ἀπὸ τῶν βοηθημάτων *ab auxiliis corporis humani nuncupat. Hippocrate namq́,* l. de elegan. *praeeunte medici omnia principia seu instrumenta firmandæ & reparandæ Sanitatis appellant Auxilia, sive* τὰ βοηθήματα: *quasi Naturæ stimulos & incitamenta*; ut vertit Zuing. in Prosceen. *Sive quod ipsa Natura stimulet, vel incitet, & indicet quid agendum; sive quòd auxilia stimulent & juvent naturam, ut quod sui est muneris convenienter exsequatur.*

11. Hanc iterum Galenus c. 40. de tuend. sanit. *pro diversa subjecti consideratione in* ὑγιεινὴν καὶ Νοσοκομικὴν *dispescit.* Ὑγιεινὴ, *quæ &* Diætetice, *curam agit corporis sani; ejusq́, vel optimè valentis* εὐεκτικὴ; *vel leviter vacillantis* ἐπανορθωτικὴ. *in statu, vel decidentiâ* προφυλακτικὴ; *vel convalescentiæ* ἀναληπτικὴ. *Harum species infimæ numerantur* παιδονομία *&* γεροντοκομικὴ. *cognatæ, quæ corpori conciliant vel robur & agilitatem* γυμναστικὴ; *vel formam, ingenuam* κοσμητικὴ; *illiberalem* κομμωτικὴ. *quò pertinet etiam* ἀλειπτικὴ.

12. Νοσοκομικὴ *seu* θεραπευτικὴ *universæ medicinæ cor & anima, cuiq́, primitus inventio & ratio Medicinæ adscribitur ab Hippocr.* l. de vet. med. *& Galen* l. an ars tuend. sanit. ad med. spectet, *corporum ægrorum curam ad recuperandam sanitatem instituit: estq́, alia* Generalis, *alia* Specialis. *Generalis, vulgò* Methodus Medendi, *communem viam omnium morborum profligandorum expedit: Specialis singulorum medelam tradit, & quicquid illa universè agendum præcipit, hæc sibi sequendum sumit.*

13. Vtramq́, viam ut teneat, qui Sophies secundante aurâ ad Hygiiæ fortunatas Insulas in calamitatum freto velificat, & opus & necessarium est. Fieri enim nequit, monente Galeno l. 9. meth. med. c. 6. *ullius artis scientiam ut quis nanciscatur, nisi & methodum quandam habuerit per universalia vocata theoremata, & in particularibus se exerceat.*

14. Cæterùm universalior illa methodus, & communis curationis

tionis cynosura multum præ particularioribus videtur habere vel magnificentiæ, vel usus: Non tantum quod Empirici Agyrtæ, aut scabræ & scrupedis aniculæ (quæ sæpe nomen mentiuntur & profanant medicum) sordidam ca[illegible] contagem plane fastidiat; sed etiam quod singularia sine illa vix possint dijudicari, Plato apud Porphyr. c. de spec. Arist. 2. post. tex. 2. *quodq́; ducis & antesignani munus in pugna medica gerens, singula nutu suo administret, & fluctuantibus animis per inextricabilem rerum multitudinem compendiosam viarũ monstret semitam, agendorumq́; inexplicabilem definiat rationem.*

15. *Volebat hoc Divinus noster Senex, quando* l. 1. de vict. rat. in acut. t. 8. *reprehendebat Gnidios, quod, cum morborum furiæ fraudesq́; infinitæ, remediorum copiæ innumeræ, occasiones rerum agendarum præcipites essent, ipsi tamen omnium ægritudinum numeros propalam explicare voluissent: Eum contrà Medicum laude dignissimum censebat, quicunq; in morbis id consecutus esset, ut recta medendi via & methodo cæteris præstare videretur.*

16. *Ita Galenus* l. 3. meth. med. 3. *solius hujus Methodi ope, eos se jugulasse morbos prædicat, quos nec ipse antea curarat, nec ab aliis curari viderat. Et* 3. de loc. adfect. 3. *ait: tametsi medicinam ad senectutem usq; esset professus Romæ, nullam unquam calumniam subiisse, neq; curando, neq; præsagiendo; id quod celeberrimis alioquin medicis hoc lumine destitutis, non rarò accidere soleret.*

17. *Vtinam has voces, hæc consilia Præceptorum imbiberent temerarii quorundam animi! quos magno sæpè sacratissimæ artis dehonestamento, & humani generis detrimento, præproperè ad Praxin ruere, spretoq́; methodi gnomone prius mederi velle, quàm posse cernimus. Vni scilicet Vulcano addicti, solis specificis inhiantes, & experimentis ignem plusquàm Satyrica fatuitate exosculantur, & improvidè propriæ famæ cauteria, ægris funera, vespillonibus commoda parant.*

18. *Benè ex Herophili sententia Galenus;* medicamenta & manus Dei & nihil, *& vitam & præsentaneam necem esse dicebat;*

prout

prout nimirum ἀκαίρως, *vel intempestivè &* ἀλόγως *eorum usus initur. Instrumenta non faciunt artificem, sed eidem famulantur. Flori judicio:* Tanti exercitus, quanti Imperator. *Ita sensus indicio:* Tanti omnes syrupi, omnes essentiæ, quicquid denique scrupulosus Chymista elicit, vel dives India mittit, quanti medicus, qui illis doctè & appositè, ex Universalis Therapeutices præscripto uti nôrit. *Ut verè centrũ & meditullium totius medicinæ, omniumq́; secretorum secretissimum & divinissimum, catholicam medendi methodum nominare mihi liceat.*

19. *Quæ cùm ita se habeant, dignum hoc loco & tempore facturum me putavi, si elegantissimi Collegii Medici decreto artis nostræ tyrocinium editurus, in tam nobili palæstra qualescunq; ingenii mei vires, contra omnes omnium morborum turmas technasq́; experirer, & quantum licet decetq́;* ἐν κεφαλαίοις καὶ στοιχειωδῶς *præcipua Catholicæ Therapeutices mysteria aperirem, fundamenta necessaria ponerem, dispersamq́; materiam disponerem, & in unum fasciculum congererem.*

20. *Non quòd insolente quodam animi fastu singula me assequuturum confidam. Cùm difficilimum revera sit, diffusam singularium multitudinem in angustos Universalitatis cancellos redigere, peneq́; impossibile esse existimetur, aut saltim non nisi maturi judicii ac polydædaleæ experientiæ, ut sapientum ænigmata dissolvantur, nebulæ discutiantur, & fragmenta* ἐν διαγράμματι *colligantur. Sed quod satius esse opiner in maximis aliquid quadam spe moliri vel periclitari, quàm ignavo ocio marcescere, aut puerili simplicitate in faba nihili quid, ceu admirandum ostentare. Cùm hoc ferè risum, illud verò solo conatu applausum referat.*

21. *Sectabor autem non minutias tricasq́; authorum ubique, ut solent qui manciparunt intellectum suum alterius libidini; sed rei capita medullamq́; liberè, citra morsum vel invidiam, ut veri studiosos decet, proponam.* Natura militiæ hujus dux esto: *Illi soli fidem & obsequium juravi. Hippocratem, Galenum, Principes, Arabes, Ma-*

V gnos

gnos omnes Olympi nostri Phœbei Atlantes audiam quidem, suspiciam & venerabor; sed ut Tribunos, ut Centuriones, ut Signiferos, quatenus supremi Ducis Imperiis non refractarios cognovero. Multa illi præclarè monuerunt; sed nec omnia, nec pari dexteritate semper. Ditissimam hæreditatem nobis reliquerunt; non turpiter decoquendam, sed instar boni patrisfamiliâs industriâ & labore tum conservandam, tum amplificandam.

22. Hoc agamus. Et quia ἕκαστον γνωρίζομεν διὰ τοῦ ὁρισμοῦ, 2.Meta. 3.2.post.2.& 17.*qui est omnis* ἀποδείξεως ἀρχή, 1.de anim.t.11.*tanquam summam & caput tractationis hujus finitionem, cum bono Deo auspicatam præmitto, quod Catholica Therapeutice, seu Universalis Medendi Methodus sit* Ars inveniendi per indicationes auxilia corporis humani sanabilis. *Quæ si ob brevitatem (quam leges definitionis mihi suaserunt) videntur alicui obscuriora, ex sequentibus clariora evadent. Hac enim tanquam clausulâ volui comprehendere, quæcunq; laxiore stilo de negotio isto prolaturus sum.*

23. Genus feci Artem; *quia nimirũ eâdem in tribu filia cum matre, pars cum toto, universa therapeutice cum universâ medicinâ. quæ non contenta inani mentis discursu, aut subtili rationis plasmate, ad* ἀποτέλεσμα *quoddam sensibus expositum, sanitatem videlicet, & ad opus sive medelam, quæ auxiliis constat, sese componit, & rectâ viâ progreditur. id quod de natura & proprietate artis est apud Aristot.* in Ethic.Nic.l.6.c.4.

24. Nec tamen hoc nomine vilius habenda, aliisq; illiberalibus computanda opificiis vel artibus. Nam ista extimum tantum corticem usibus certis elaborant, & quadam adventitiâ formâ, ceu larvâ emortuâ & sterili amiciunt: Nostra verò sanitatem, maximum Naturæ bonum donumq;, fœcundissimam actionum omnium matrem, prosperitatis omnis columnam producit; naturam etiam, instinctum nutumq; corporis sanabilis ita ad unguem sequitur, ita exprimit, ut idem cum ipsa penè agat, veriusq; Physica ars *cum Severino, quàm cum*

Heur-

Heurnio l.1.c.2.Instit. *& Argenter.* in parv.art. Gal.com.1.cap.2. *mixta quædam facultas ex arte & scientia dici possit. Quòd si à nobilitate operationis & operis æstimandæ sunt disciplinæ practicæ, nulli certè vel dignitatis, vel commoditatis loco nostra hæc cedet, quæ & proximè ad naturam accedit, & naturæ opus post se relinquit.*

25. *Ita de genere.* Differentiam *reliquæ partes definitionis* à fine, subjecto & medio *determinant.* Finis *geminus est.* Externus *seu ultimus, bona valetudo ad edendas actiones salubres,* ad Thrasyb. c.5.1.Meth.Med.5. Internus *seu domesticus, inventio auxilii, quo violata sanitas redintegretur,* l.2. meth. med.7. l.5. meth. med.9. & 9. meth. med. 7. Medium *seu principium inveniendi est Indicatio.* Subjectum, *corpus humanum sanabile, cui subvenire debent auxilia.*

26. *Subjecti partes duæ sunt, materiale & formale.* Materiale *quod habet vicem materiæ, & res considerata dicitur, est* corpus, *non brutum: Hoc enim veterinaria seu mulomedicina tractat: Sed* humanum. *illud omnium aspectabilium nobilissimum, divinæ sapientiæ πάρεργμα, immortalis animæ basilica, totiusq; naturæ compendium & simulachrum absolutissimum.*

27. *Formalis subjecti ratio, sive* modus considerandi, *subjectum constituens & determinans est, non Anima: Hujus enim essentiam Metaphysicus expendit; Perfectionem verò, quæ in plenaria veri cognitione, Boniq; possessione consistit, philosophia tum speculativâ, tum activa (prælucente S S. Theologiæ lampade) ad æternam felicitatem præit, & inquirit. Sed corpus, quod sanari potest, sive quod est* sanabile, *ut eruditè monet Aristot.* l.1.Rhetor.ad Alexand.c.2. *& Avicen.* l.1.Fen.doct.1.c.2.

28. *Significat autem* τὸ Sanabile, *quod ad sanitatem movetur, vel moveri potest, seu strictius loquendo:* quod habet materiam cum potentiâ ad actum, *qui est Sanitas, vel sanatio. Ille quidem perfectus ultimatus & completus; iste verò intermedius, sed im-*

V 2 per-

perfectus, utpote in motu, quatenus ad illum tanquam terminum ac perfectionem, in qua acquiescat, tendit.

29. Sanatio, quia actus sanabilis & motus, omnis verò motus ex contrario, ut ex non hoc ad hoc, quorum alterum alteri oppositum, sanè Sanabile jam non actu Sanum existet, cùm huc vergat; sed contrarium actu habebit. Ex nihilo enim per naturam non est motus, sed ex alio aliquo præexistente actu. Corpus igitur sanabile, actu ægrum *seu morbosum existet,* sed ita, ut sit mobile ad sanitatem.

30. Dico ægrum *esse, ut hoc tanquam limite nostra possessio ab Hygiines dominio hercisc atur. Hujus namq; est, corpus sanum in præsenti beatitatis viridario convenienti sex rerum non naturalium usu conservare, vel ægrotabile ab insultu morborum liberum, sartum, tectum custodire: Nostri verò muneris, Naturam hostium robore delassatam, adversantiumq; telis sauciatam refocillare, & auxiliaribus copiis prælium ad optatam victoriæ gloriam, & pacis felicitatem redintegrare.*

31. Addo esse mobile ad sanitatem, *ut primo statim limine à nostro foro repudiem illam morborum familiam, quæ occupato dirutoq; sanitatis castro, nullam illius vel recuperandi, vel reparandi spem reliquam fecit.* Nec enim quodvis 9. Metaph. 7. à medicina sanari potest; sed quoddam quod possibile, quodq; est potentia sanum. *Quam potentiam postea explicabo, quando indicationis curativæ fontem aperiam. Tale itaq; est nostrum subjectum.*

32. Sequitur Finis, *qui est* invenire auxilia sanativa. *Dicuntur verò auxilia, alias* προσφερόμενα, *conferentia, juvantia, utilia, præsidia, quæcunq; ad sanitatem faciunt tum prorogandam, tum revocandam, sive illa ex alimentorum, sive medicamentorum, aliorumq; classe petantur, ita ut æquè in arte tuendæ sanitatis, atq; hic locum suum inveniant: Sed restringit illa subjectum, quia* non nisi sanabilis corporis, *sive ejus, quod non sanum est, sed sanari potest,* auxilia hic quæruntur.

33. Est

33. *Est autem ambigua vox auxilii. Aliàs enim de ratione seu formâ juvantis: aliàs de materiâ medicâ prædicatur. Ibi quidem propriè, prout hoc loco attenditur: Hic verò per Catachresin, & ex speciali methodi usu; quod Galen.* l.14.meth.med.1.*innuit, ubi methodum se tradere ait, curandarum inflammationũ; non autem inveniendarum materiarum. Istæ enim* tum demum auxilia fiunt, quando suam formam induunt, seu naturam, hoc est, quando in tempore, & ut decet, ægrotis opem ferunt, *6.Epidem.comment.5.t.1.*

34. Genere *igitur* & usu remedii auxilium definitur, *quod* tutò *sine recidivæ metu vel corporis injuria*, jucundè *citra nauseam vel molestiam nimiam*, & citò *sine procrastinatione* juvare *& conferre debet corpori sanabili. Nec enim sat est invenisse remedium, seu auxilii essentiam atq; naturam; nisi etiam quâ ratione uti debeas, cognôris,* Gal. de sang. miss. c.1. 9.meth.med.14.1. Epidem.com.3. cap.29.

35. *Quantum ad* genus *sive naturam auxilii, eam alii contrarietatis, alii similitudinis legibus coërcent. Hermetici enim similibus, Galenici contrariis curari volunt. Vtramq; phrasin cùm in curiam medicam admiserit Hippocrates* l.de alimentis, & de locis; *inventi tamen non ita pridem sunt, qui propterea Hermeticis igne & aqua interdixerunt. quasi violatâ principii sui fide Medicina tota corrueret. Scilicet bilis fervore æstuantes non poterant nisi brutis fulminibus petere sacram* Quercum.

36. *Controversia penè nihili, & quæ verbulo sopiri posset: Nihilominus cùm ab hujus luce aliquam sibi sumat nostra disputatio, nec pudeat illos Mysochymicos aërem sudum miris concutere verborum tonitruis, nõ pigebit etiam me Spagyricorum innocentiam vindicare, & tantæ rabiei* σοφὸν φάρμακον *ex divite Naturæ officinâ depromere.*

37. *Contrariis itaq; curationem absolvi, &* τὰ ἐναντία τῶν ἐναντίων ἰήματα *esse ex Medicinæ Dictatore Hippocr.*l.de flatib. de genitura, 2.aphor. 22. *& Dogmaticorum Patre Galeno* de artis constitut.

c.12.artis medicin.c.89.l.5.de tuend.sanit.c.10.l.7.aphor.com. 59.l.1.Epid.com.2.t.7.ibid.l.7.com.2.t.9. 4.meth:med.2. ibid. l.11.c.2.l.3.de simpl.med.fac.c.12.l.1.de compos.med.sec.gener. c.2.centenisq; aliis locis, quos mihi nunc omnes longa referre mora est, *& Chori Machaonii concentu probant, & ceu necessarium principium ingeminant.*

38. *Argumenta si quaeras. ecce tibi non unum, quibus te ceu Tridente Neptunio, nisi declinaveris ictum, confodient. Ita enim ajunt:* Omne quod pellit morbum, eidem contrarium est. *Ea namq; contrariorum conditio & natura est, ut mutuò se jugulent, nec in unius provinciae regimen unquam convenire possint.* Plato in Alcibiad. 2. sub initium. *Iam* remedium morbum vincit, *& ex Naturae agro eradicat, id quod sensus testatur, quoties videt ad ingressum remedii statione sua morbum cedere. Necessarium igitur est hoc evenire fatali τῆς ὑπεναντιώσεως tyrannide.*

39. *Praeterea.* Omnis actio est contrariorum *l.1.de gener. & corrupt.c.7.t.46.51. Similia enim non agunt in se invicem. Siquidem agens eo fine agat, ut patiens sibi adsimilet. At* curatio est actio remedii contrà morbum. *Igitur contraria ut sint necesse est.*

40. *Huc facit, quòd* quorum termini sunt extremi, eorum etiam motus & natura habeantur pro extremis. Jam *verò* morbi & medicinae termini sunt extremi. *Illius quidem destruere, hujus restaurare naturam. Hujus vita & functionum integritas, illius mors, agendiq; impotentia. Quare Natura sua etiam remedium extremè morbo adversabitur.*

41. *Habent & alia; sed haec ex palmariis. Neq; opus plura coacervare, cùm tanta structura arenosa basis non sit ferendo. Praesupponunt enim, quod nemo sanae mentis illis concesserit, medicinam proprio Marte, morbis reluctari, iisq; profligatis sanitatem reducere, cùm tamen nativae mumiae muneris id sit & beneficii, quae caeso hostium agmine sibi Monarchiam firmat, & subditos post reparatam pacem obsequio grato devincit.*

42. *Ar-*

42. *Argumentum istius rei evidens est, quòd cùm multi sponte sua citra aliquod remedium sanescant, nemo tamen huc usq; repertus sit, qui sine Archiatri domestici, naturalis Oeconomi numine convaluerit. Ejus qui destituitur favore, frustrà ipsam Panaceam implorarit, frustrà omnes Pharmacopolii pyxides exhauserit: κενὰ πάντα.* Neque enim servari quis potest; *ait Gal. de tot. morb. temp. c. 5.* nisi natura morbum superaverit: neque perire, nisi natura victa sit, morbusq; ea superior evadat, *l. 2. aphor. com. 21. l. 3. de Crisib. c. 10.*

43. *Quæ cùm veterum decretis, maximè vero consona sint, ut nemo tam perfrictæ frontis, qui ea negare velit, concident omnes adversantium machinæ, si dixero:* Naturam per se, *πρώτως* & formaliter morbo repugnare, *eúq; confinio suo ejicere:* medicinam verò secundariâ tantùm & quasi succenturiatâ opera, *quam naturæ obsessæ pressæq; præstat.*

44. *Quod, quia pluribus demonstrare nunc non expedit, non aliam adsertioni huic fidem faciam, quàm quantam præter Maximum Galenum* l. de opt. sect. ad Thrasyb. c. 41. in aphor. Hipp. 29. s. 2. c. 44. & l. 6. de morbis vulgarib. *meretur Magni Mercati authoritas. Hic tametsi contrarietati Galenicæ patrocinetur, eò tamen vis veritatis ipsum protraxit, ut diceret: Si re penitiùs considerata sumamus remedium simpliciter, & ut ens talis naturæ, ab animantis corpore sejunctum, morbo tum minimè est contrarium. Verùm si consideretur, ut animato corpori est adjunctum & actuatum à natura, seu ab arte Naturæ organon effectum, morbo immediatè, & ut extremus terminus opponitur,* non tamen primò & per se ac directè; sed obliquè & secundariò, ac Naturæ interventu. Siquidem natura primò, & secundariò remedium morbo adversatur; quia natura morbos curat, & ars ipsam æmulatur, *Tomo 1. operum lib. 3. quæst. 206. N. 7.*

45. *Constare hinc volo, quàm absurdè medicamento adscribant, singulare naturæ privilegium, sanationis auspicium. Non quod for-*

fortuitò aut ex accidenti, sed quod per naturam rei inest, debet nomenclatura exprimere, nisi notiones rerum confundere, cœlum terræ miscere velimus. Quòd si ab eventu res denominandæ, ignem caloris fontem frigidum dicas licet: Siquidem is ex accidenti refrigeret, dum membris combustis admotus ἐμπύρευμα extrahit. aut nivem calere; siquidem congelatos adfrictu incalescere faciat. Tanti sunt objecta μορμολύκεια, de natura auxilii cùm quæreretur, accidens reposuerunt.

46. Quin insequor. Quicquid non per se aut congenitis viribus morbos aggreditur & exterminat, illud non dicetur propriè, & natura sua morbis inimicum. *Contrarium enim Mercati sententia c. l. optimo iure dici debet, quod non ex imaginatione, sed facultate ac potentia sua tale existit: seu quod secundum virtutem essentialiter, & à principio intrinseco atq; effectivè tale existit.* Auxilium *verò* hujusmodi non est, *ut demonstratum. Igitur nec contrariam morbo naturam obtinebit.*

47. Ita: Omne agens sibi assimilat patiens, illudq; in suam naturam convertit. *Hoc enim fine agit, ut multis docet Arist.* 1. de gener. & cor. c. 7. *atq; hoc fine absente, feriatur. Quòd si igitur remedium morbo opponitur, ut illum domet, ut vincat, jam morbus vi illius principii degenerabit in naturam remedii, eidemq; assimilabitur.*

48. Data hac μεταβάσει seu transitu morbi in naturam medicinæ, jam non sanitas refulgebit propitia; sed morbus in diversum oppositi generis migrabit. Sequela patet. Quòd cùm sanitas medium quoddam constituatur inter duo extrema, morbum & remedium, omnisq; ægritudo ἀμετρίας stigmate notetur, non harmonicum aliquod, vel σύμμετρον quæratur; sed quod morbo extremè adversatur, naturæq; fines excedit pharmacum, ut sic omne immoderatum præter naturam, per immoderatum contrarium curetur. Gal. art. parv. c. 89.

49. Hinc adeò fit, medicamentorum in classem ea tantùm recipi, quæ naturam corporis nostri alterare possunt: Galen. 1. de simpl. fac. 1.

fac.1. *Sicut contrà remediorum catalogo expunguntur nutrimenta, hac nota, quòd substantiam corporis sua familiaritate augeant*, l.3. de simpl.f.c.1. *Si remedia alterant naturam, ergo eidem adversa. A contrarietate enim omnis alteratio vel mutatio. Si adversa, adversâ etiam adsligent valetudine.*

50. *Hoc nimirum est morbum morbo curare, de quo jure hactenus disputatum inter authores; hoc est, naturam inquilinis turbatem dissidiis, externis deturbare & conficere copiis. Tam bellè non Naturæ, sed sibi consulunt Misochymici, ut quocunq; Martis alea cadat, prædam capiant. Nam sive hominem servaverint, sive cum morbo sustulerint, tamen militiæ suæ stipendium petent, hic casi hostis, illic servati civis, ut in Methodicos ludit Gal.* l.2. de arte curand. ad Glaucon.c.2.

51. *Venio ad extrema, quæ frustrà contra nos sollicitarunt. Qualis terminus motus, talis moventis indoles. Effectus enim causæ naturam redolet. At* motus sanativi terminus extremus est, non morbi depulsio, *ut probabitur;* sed sanitas *tam naturæ meliori cognata, quàm proles parenti. Igitur si remedium est efficiens sanitatis causa, & ipsum naturæ familiare & consentiens erit.*

52. *Taceo nunc vomitum vomitu curari, alvi profluvium fluxu concitatiore, tetanum perfusione aquæ frigidæ, febres calidas centaurio febrifugo dicto: quæ cùm levioris armaturæ velites sint, in eas tamen angustias redegerunt adversarios, ut alii ejus, quod per accidens est scuto, tanquam sepio se occulerent, alii ex contrarietatis castris in oppositorum propugnacula se reciperent, alii in diversorum diversoria confugerent.*

53. *Hoc unum urgeo, rationem quandam mihi reddant secus sentientes, quî fiat, quòd* ex iisdem quibus fiunt, ferè etiam curentur morbi, *Hipp l.de alimentis. quòd v.g. lumbricos intestinorum iidem excreti, vel è terræ visceribus eruti & pulverisati, si devorentur, necent, quòd secundinas remorantes secundinæ exsiccatæ grana aliquot*

comesta exturbent, quod fluxum arteriosi sanguinis, vel synoviæ dictæ, ejusdem guttæ aliquot haustæ, vel post exsiccationem aspersæ vulneri sistant, dysentericam cruentationem, si simplex cruor leporinus, si maligna colubrinus per ἔγκλυσμα injectus compescat, calculi dolores calculus refrenet, & sabuli sabulum.

54. *Pluribus exemplis cùm abundet scena mundana, nullus tam excitati extitit ingenii, ut causas eorum altius scrutari, eq; tenebricôsâ naturæ abysso, Democriti puteo eruere, & luci hominum exponere voluerit. Veternus omnes in ignorantiæ & qualitatum occultarum asylum coëgit. Interim tamen cùm similitudinem & ferè identitatem ipsis oculis cernant, manibus palpent, non desinunt ejus præcones pro prætorio suo jure dignos, qui littera longa fiant judicare.*

55. *Prolixiùs isthæc deducere velle, ἄτοπον foret. Et satis diu importunitas calumniaq; Anti-Chymicorum, quibus in frontispicio statim resistere volui, me detinuerunt. Si proferendum quod sentio, largior illis Galenicam propositionem de contrariis optimè ratione morbi tolerari posse. Huic enim naturæ auspiciis & bono dicitur reluctari medicinâ: perinde ut auxiliares copiæ, quæ à Principe alicui civitati subsidio mittuntur, hujus quidem commodis student, sed interim hostis vires hostiliter etiam frangunt & conterunt.*

56. *Nihilominus cùm aut inutilis, aut valdè rara & infida sit hæc indicatio; nec morbus, sed natura seu potentia corporis sanabilis πρώτως, propriè & per se opem Medicam imploret, suumq; appetitum terminandum, luctam promovendam, victoriam prosequendam, integritatem restaurandam indicet, existimo Chymiatrῶν axioma ut naturæ, sic principiis therapeuticis ab Hippocrate positis magis consentaneum esse.*

57. De recto præsidiorum usu pleriq; consentiunt, *quod debitâ* quantitate, tempore & loco *perficiatur. Addunt aliqui* modum *ex Galeno* 6.meth.med.2.art.parv.c.8. *sed diversimodè eum interpretantur. Insignis enim Capivaccius pro materiali qualitate, vel*

instru-

instrumento medicaminis accipit: ut num solida vel liquida forma, pillulæ an pulveres, clysmata vel balani sint convenientiores. Verum hoc sensu ad Pharmaceuticen pertinet, & particularem Therapeuticen. Aliàs τρόπον seu rationem medicandi significat, & sic idem est, quod usus conveniens. Aliquando πόσον quantitatis denotat, ut apud Argenter. l.2.c.14.de offic.med.ex 1.aph.com.27.*num,* καὶ πολὺ καὶ ἀθρόως, *an verò* καὶ ὀλίγον καὶ κατ' ὀλίγον*, seu per epicrasin, vel epaphæresin agendum sit, & ita sub Quantitate continetur, ut peculiarem illi classem non opus sit constituere.*

58. *Hactenus igitur de Fine: nunc ad illius assequendi* media *pedem promoveo. Hic verò non minores dissidentium fluctus, non pauciores scopuli, quos nisi maximâ cautione effugero, magis quàm echeneis sistent cursum velitationis hujus. Videas enim investigandorum auxiliorũ viam aliam inire* Empiricos, *aliam* Methodicos, *aliam item* Dogmaticos, *& tamẽ omnes ad eundem sanitatis scopum collineare.*

59. Empirici, *quia* τὸ ἐπὶ μέρους, συνδρομὰς *videlicet* συμπτωμάτων *crassâ observatione sectabantur;* τῶν καθόλου *verò, ut morborum & causarum ratiocinationem* ὡς ἀκατάληπτον *& infrugiferam negligebant, solâ experientiâ* τὰ ὠφελοῦντα *venabantur, nec alio quàm memoriæ & observationis (unde etiam* μνημονευτικοὶ *&* τηρητικοὶ *à recentioribus cognominati) instrumento in cujusvis morbi cognitionem, præsagium & curationem venire se posse crepebant,* 2.meth.med.4.

60. *Comparabant autem experientiam sibi vel Præceptorum amicorumq; fidelium observationibus in unum congestis, quæ historia,* ἱστορία *&* μίμησις *dicitur: vel propriâ industriâ. Idq; vel immediatè &* ἀτέχνως *ejus, quod sæpè & uno modo visum est memoriâ, quæ* τήρησις *vel* αὐτοψία *dicitur: vel mediatè &* ἐντέχνως *per simile quid,* μετάβασις τοῦ ὁμοίου, *dicitur epilogismus &* τήρησις τεχνική*, quasi eorum propria, qui circa artem* τετριμμένοι εἰσὶ*, ut per epilogismum à simili ad simile transire possint. Sunt igitur hisce in universum tria inventionis principia, Historia,* αὐτοψία *& epilogismus.*

61. Methodicos, *quòd methodi compendio artem brevissimam fecissent, se vocabant, qui sub Themisonis Laodicæi,* de quo Plinius l.14.c.17. *& Thessali Tralliani, quem passim perstringit Galenus, vexillis stipendia merebant medica. Solebant hi* τὸ ὅμοιον τῶν φαινομένων διαιρεῖν καὶ τὰ ἐπὶ μέρους ἀνάγειν εἰς τὸ καθόλου: *Curiosam verò singularium observationem Empiricis, &* τῶν ἀδήλων *scrupulosam investigationem Dogmaticis remittebant.*

62. Communitates igitur quasdam διαγνωστικὰς *sibi fingebant, à quibus per contrarium curandi auspicia ducebant. Referebant enim omnium morborum species ad tria genera, extrema duo, & unum medium:* τὸ στεγνὸν *relaxandum,* τὸ ῥοῶδες *supprimendum, & compositum ex utrisque, ubi liceret* χαλᾶν ἢ στέλλειν, *ex æquo, aut plus minúsve alterutrum, pro eo quod magis urget.*

63. Dogmatici *quia* ἐμπειρίαν *nudam rudem, merasque ambages, fraudes & spinas esse deprehenderunt, nisi* τῶν καθ' ὅλου, *seu rationis habenis regeretur; universalium verò Monarchiam infirmam, nisi* τῶν καθ' ἕκαστα, *tanquam populi amore & obsequiis juvetur, gemina faciendæ Medicinæ crura,* Rationem & Experientiam *esse statuerunt; quibus conjunctis scopum suum facilè assequantur* ἰατρῶν παῖδες, *cùm alterius genio si defraudentur, infausto prorsus sidere navigent vitreo daturi nomina Ponto.*

64. Experientiæ *quidem sensuumque suffragia licet ubique magni ponderis, cùm ferè causæ nos lateant; tamen in speciali Therapeutice, ubi singulis morbis sua debentur remedia, inque ipsâ palæstrâ medicâ, ubi non homo, sed Alexander, non cathartico, nisi ex accidenti, sed Rhabarbaro sic & sic præparato exhibitoque curandus, omnium maximè attenduntur colliguntúrque. Ea autem discenda non propriis periculis & vagis per mortes experimentis; sed alienis exemplis. quorum copiam cùm observationum & historiarum, consiliorumque literis creditorum lectio, tum peregrinatio in Nosocomio mundano, ac inprimis* χειρουργία κλινική, *& fidelis ὑπηρεσία magni alicujus &* ἐντρεχοῦς *Æsculapii,*

quæ

quæ solæ plures medicos, quàm acroaſes ſcholaſticæ pepererunt, ſuppeditabunt.

65. *Quia verò mihi non niſi in univerſalis Therapeutices caſtris, ubi ſenſuum nullus uſus militare propoſui, iis experientiæ manum concedo, qui à generalium τεχνολογίᾳ ad ſingularium praxin progreſſus fecerunt. Cumq́; in univerſalibus potiſſimùm mentis ſeu* rationis *ſplendor eluceſcat, de ejus tantùm munere, viribus ac poteſtate hîc agam, non quidem indefinitè, ſed* quatenus inveniendis auxiliis viam communem præit *& expedit.*

66. *Ac poſſent quidem hic locum aliquem tenere* communitates *illæ* Methodicorum, *ſi laxitas ſpirituum, principiorum, humorum vel continuitatis reſolutione, exaltatione, ὀργασμῷ & diviſione: Adſtrictio contra eorundem narcoſi, fixatione, concretione, anguſtiaq́; amicè explicarentur, & ad primos illos Chymiatrῶν ſcopos* diſſolutionis *&* coagulationis *revocarentur. Verùm cùm illi τῶν ἀδήλων poſthabitâ curâ τὰ φαινόμενα tantum reſpexerint, neque poſſint quovis modo intellecta, elegantiæ & officio medico ſatisfacere, aliud principium εὔλογον,* indicatio *nimirum quærenda eſt, quæ* omne punctum frugiferæ medicationis refert, nec particulares tantùm medicinas; ſed catholicon etiam & *πάγχρηστον* auxilium, *ἄλυπον Helenæ pharmacum, πανδύναμον ſapientum theriacam, omnesq́; Deos & Deas Hippocratis* intendit *& commonſtrat.*

67. *Eſt autem ἐνδείξεως, ſeu indicationis vocabulum exoticum, ex foro civili in ſcholas medicas tranſlatum. In genere quamvis oſtenſionem ſignificat, hîc verò ad τὰ προσφερόμενα reſtringitur. Galenus eam* proprium inſtrumentum Dogmatici *facit, & verum κριτήριον, quo à temerario Empirico, & inſolente Methodico facilè diſcriminari poſſit. junioribus tanta in admiratione & veneratione eſt, ut ſatis ſibi præſidii in ſolo ejus nomine poſitum putent ad dignitatem famamq́; rationalis medici tuendam, tametſi ejus naturam vix per tranſennam inſpexerint.*

68. *Inprimis* homonymia *mihi eliminanda venit, quæ male neglecta immane quot pepererit contentiones. Nam aliâs* habitualiter *consideratur, ut est* in mente artificis: *aliâs* suâ naturâ, *ut est* in indicante. *Suâ naturâ & formaliter si consideretur, non nisi* σχέσιν *quandam seu relationem indicantis ad indicatum, ceu signi ad signatum, antecedentis ad consequens denotat. Hoc respectu à Gal.* 2. meth. med. 7. *definitur esse* ἔμφασις τῆς ἀκολουθίας, *ejus quod sequitur, seu quod ex natura & necessitate antecedentis vel indicantis sequi convenit significatio.*

69. *Habitualiter si accipiatur, tum comprehensionem istius habitudinis & consequentiæ exprimit, seu methodum inveniendi ex naturâ indicantis indicatum, sive juvamentum, quod pro finis sui assecutione indicans expetere deprehenditur. Hoc sensu à Galeno* ad Thrasyb. c. 11. *definitur comprehensio juvantis simul cum comprehensione nocentis, sine observatione & ratiocinio adveniens. Quasi dicat:* ejus quod pro terminando appetitu indicantis; vel sequendum quia juvat, vel fugiendum quia nocet, ex naturæ ad bonum propensione comparata cognitio.

70. Hujus *verò* cognitionis principium *non* facit *experientiam: Hæc enim methodo & indicationibus opponitur*, 1. meth. med. 4. 5. simpl. 24. *Neq; analogismum: Hic enim* συχασμῷ *nititur, ubi natura indicantis obscura. Sed* indicantis naturam; *propter fatalem relatorum* σύνδεσιν *&* connexionem. *Quia enim eandem hæc naturam obtinent, seq; mutuò ponunt & tollunt, necesse est, ut qui alterutrum eorum definitè agnoscit, alterum quoq; distinctè cognoscat. Itaq; ad inferendum ex antecedente consequens, ad colligendum ex priori posterius, ex indicante indicatum, non opus est mentem nostram scrupulosa apodixi, vel syllogistico apparatu angi; sed satis est eam enthymematico vel* methodico *(hinc adeò sæpè Galenus methodū cum indicatione confundit,* 1. meth. med. 4. 3. meth. med. 3.) *discursu exerceri.*

71. *Atq; hoc modo se habet indicatio. Ejus verò principium & regu-*

regula cùm sit indicans, consequens est, ut illius quoq́; naturam & pondus ad accurati judicii stateram revocemus. Ac sumitur quidem id nominis sæpè ampliore significatu, pro quovis auxilii, ægritudinis vel virium signo, quando ad illa etiam extenditur, quæ mediatè & interventu alterius, sive per accidens medici actionem quandoq́; interpellant vel coïndicant. Verùm hac ratione ad methodum ἀφαιρετικὴν propriè spectant, nec veri indicantis gloriam sustinere possunt. Itaq́; illud tantùm considerabo, quod κυρίως, per se, suaq́; natura & semper *medicam opem sollicitat, sibiq́; utile quoddam ad prosequendum bonum expetit, & veram indicationem curativam præstat.*

72. *Istud Excellentissimus Sennertus, Præceptor meus honorandus, & Professor in Academiâ Wittebergensi πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων describit esse:* Agens quoddam in corpore humano *(sanabili)* permanens, & notum intellectui, quod per propriam suam naturam aliquod auxilium indicat, atq; indicatum quod postulat ad se dirigendum esse monstrat, ut sanitas amissa hominis restituatur, *l. 5. part. 2. sect. 1. c. 2. Instit.*

73. *Iisdem igitur conditionibus circumscribit indicans, quibus olim Capivaccius* c. 4 meth. med. *Ut sit* 1. notum intellectui, *ex* 13. meth. med. 6. *quia indicatio & methodus ex notioribus procedunt.* 2. *Ut* sit agens; 4. meth. med. 3. & naturæ suæ instinctu ad bonũ feratur. *Ideò quidam indicationem definierunt per naturæ operationem, significantem quid pro fine suo ad quem tendit adipiscendo sibi juvaminis fieri velit.* 3. *Ut* sit in corpore humano. *Quia enim remedia corpori administrantur, ut in corpore indicans præsens sit necesse est. Idem namq́; curatur, quod indicat* 3. meth. med. 1. 4. meth. med. 3. 4. *Ut* sit permanens, *quod non in fieri suam essentiam habeat*, 4. meth. med. 3. 5. Ut quâ unum non nisi unum indicet, 1. meth. med. 13. de opt. sect. ad Thras. c. 44. *Cùm enim per naturam suam indicet, & quodlibet, quâ unum, unicam tantùm naturam habeat, fieri non potest, ut plura desideret auxilia. Siquidem ex asse indicatum indicantis naturæ respondere debeat.*

74. *Ta-*

74. *Talis itaq; est natura indicantis, species alii plures, alii pauciores imaginantur. Heurnius sedecim numerat*, l.3.meth.ad praxin, c.2. *Pernumia quinq;*, l.de arte curandi. *Sed elegantiores quiq; ternario definiunt. Aliud enim faciunt* curatorium morbi, *aliud* prophylacticum causæ morbificæ, *alind* vitale virium. *Ex quibus priora duo indicationes pariant sui per contrarium extinguendi curatoriam & præservatoriam. Tertium verò per simile conservandi vitalem.*

75. *Fundamentum dogmatis istius ponunt & stabiliunt præstantissimi quiq; Medicorum, Capivaccius, Gavassetius, Campelongius, Mercatus; Augenius & Sennertus, tanto cum vulgi applausu, ut temeritate carere non videatur, si quis eadem velit petulantius diruere. Quia tamen mihi naturam rei solam conflictus hujus moderatricem constitui, semperq; licuit salvo Præceptorum honore liberè in disputationum pelago velificare, nihil præter decorum me facturum existimo, si dubia mea de veritate hujus sententiæ proposuero.*

76. *Ita igitur opinor: distinctam causarum morborumq; cognitionem ad curandi rationem plurimum cum adjumenti, tum ornamenti Medico conferre, quòd mentis nostræ imbecillitas ad tot ferè perplexas medendi rationes nos cogat, quot sunt morborum ideæ:* Hippocr.l.1.de natura hom.text.7.2.meth.med.6. *Sed tamen si ἀκριβολογεῖν velimus, num morbus primarium & curatorium indicans, cujus indicatio sufficienter omnem curationis historiam præscribat, dici possit, valde ambigo.*

77. *Illud namq;* primarium indicans est, ad quod omnia referuntur. *Videtur enim eadem esse conditio finium & indicantium. Quandoquidem ut indicans, sic finis inferat exactam cognitionem mediorum,* Zabar.l.2.de spec. demonst. c. ult. *omniaq; ad finem ordinata ab eodem, ut ab indicante indicata, mensuram, ordinem, rectamq; constitutionem accipiant*, 2. phys. t. 91. 7. Metaph. t. 23. *Ita Galen.* 8.meth.med. *à scopis desumi indicationes asserit, idemq; innuunt adversæ*

versæ sententiæ patroni, quando suorum indicantium terminos agendorum finibus metiuntur, ut videre est apud Cl. Sennertum cap. 2. de indicantib. *& egregium Mercatum* de curatoriâ facultat. quæst. 207. tom. 1. l. 3.

78. Iam morbi causa omnia peragi à Medico, ad morbum *tanquam ultimum scopum* omnia referri nemo facilè dixerit. *Ab affectu enim cùm solum morbi expulsionem indicari scripserit Galen.* ad Thrasyb. c. 48. *illa certè primarius Medici scopus non est, sed sanitas. Quo factum, ut* Galen. 9. meth. med. 5. *curationem definierit esse præsentis vitiosi adfectus in naturalem habitum, qui sanitas est, mutationem, &* 1. meth. med. 5. ibid. l. 2. c. 7. l. 5. c. 7. & 9. l. 6. c. 2. l. 9. c. 7. *dixerit, morbum removeri, ut sanitas reparetur. Si igitur curatio non est morbi depulsio formaliter: utiq; nec morbus sua natura indicans est curatorium, siquidem idem sit quod curatur, & quod indicat. At sanitas non reparatur, nisi postquam morbus depulsus. Non diffiteor. Est enim indicatum quoddam morbi depulsio, seu medium sine quo sanatio non procedit. Sed hic quæritur, quidnam immediatè, & ex se auxilium curativum indicet, non quot vel qualia sint sanationis media.*

79. Posito indicante curatorio, semper & ex necessitate debet sequi curatio. *Siquidem per propriam suam naturam atq; essentiam indicet, quod conveniens est.* At posito morbo, non semper debere sequi curationem *docent omnes: sed prius vires consulendas num admittant, aut perferre possint. Sæpissimè verò non admittunt. Ergo morbus propriè non indicat.*

80. Robur huic argumento inde venit, quòd omnes morbi eandem naturam cùm habeant, non tamen omnes indicent. Nam & leviores morbos, ut natura committat, & in periculosioribus ubicunq; crisin molitur, ut rectè agenti applaudat ociosus medicus passim præcipitur. Deploratos verò, quiq; jam virtutem oppresserunt, nullus est, qui non malit prognostica relinquere, quàm frustraneo remediorum usu sibi in-

famiam, arti contemptum parere. Vnde colligere licet, morbum non per se & sua natura, sed merito virium indicare.

81. *Adhuc* omne indicans est permanens in corpore humano. *A nullo enim eorum, quæ non permanent, indicatio sumitur ex usu*, ait Galen. 4. meth. med. 3. *Atq; hæc est ratio, ob quam symptomatibus jus indicandi ademptum est, quod propriam permanentiam non habeant, sed morbo ablato, & ipsa facessant. At* morbus non est permanens, aut stabile malum, *1. meth. med. 1.* extra suam causam ὁμόγονον, *quâ continenter ita sustentatur, ut cum eâdem simul concidat, quod præter Hippocratem* l. de veteri medicina, *expressè fatetur Galen.* l. 1. de symptom. causis c. 1. de symptom. differ. c. 1. 1. de loc. aff. 2. de causâ procatarct. c. 1. l. 7. aphor. com. 30. de plenit. c. 3. de opt. sect. ad Thrasyb. c. 10. 2. meth. med. 3. *quicquid Fuchsius contradicat de causa continente adversus Valleriolam & Argenterium. Consequens igitur est, morbum nullam utilem indicationem præbere.*

82. Indicans *est, cui debetur juvativum; sui enim* causa indicat, *& ad sese indicatum dirigendum esse monstrat. At* morbus non sui causâ indicat, *neq; quod juvet sibi exposcit. Illi enim si suppetias & auxiliares copias miserit medicus, hominem certò solo nō æquabit, sed inferet. Igitur morbus non est verum indicans. Dicas: Indicat sui amolitionem vel perniciem. Ego verò tibi repono, esse istud ab omni naturâ tum indicantis, tum indicati perquàm alienum.*

83. *Nam quod indicat per naturalem quandam ad finem inclinationem seu motionem, veluti medium* ἐνδεικτικὸν *indicat, Mercato authore. Propter enim finem suum, ad quem contendit & anhelat, solummodò indicat, quânam re pro assequendo fine illo, terminando appetitu suo indigeat,* ex 4. meth med. 3. *illam unicè tanquam sibi profuturum auxilium, ceu regiam, quæ ad metam præfixam ducit viam prosequitur & exoptat. Iam* τὸ ὕστερον βέλτιστον. 2. Phys. 3. *Aliâs enim non appetibile, siquidem quod appetitur, cum bono convertitur,* 1. Eth. 1.

At

At contrario se habet modo, interitus cujusq; rei, & corruptio, quam quævis natura sui studiosissima potiùs declinat & refugit, quàm ut inclinet, vel accelerari cupiat. Est enim malorum omnium φοβερώτατον, 3.Eth.6. *Ideoq; non* τέλος, *sed* ἔσχατόν τι *apud Arist.* 1. de anim. *dici meretur. Absurdum igitur est fingere aliqud sui destructionem, & destructivum, quod appetat medium.*

84. *Simili ratione: Id quod indicatur indicanti suo conferre, prodesse, manum auxiliarem porrigere, adeoq; ex usu & bono esse debet, ut amicabili saturitate ejus famem expleat, conatum promoveat, & integritatem perennet. Hoc enim communis notio & descriptio indicati, ut indicans nempe suum respiciat & juvet, requirit. At talia non sunt perimentia & corruptiva, quæ internecino dissidio indicantis sui essentiam demoliuntur. Quare nociva, corruptiva, exitiosa vera indicata dici nequeunt. Taceo nunc quod Galenus ipse* l. de opt. sect. ad Thrasyb. ubi minus confusè de indicantibus egit, quàm in methodo med. *ab affectu conferentia sanativa indicari posse neget: siquidem id ex rationibus allatis cuivis facile sit colligere, nec opus valde Doctorum suffragiis, ubi evidentia rerum testimonia supersunt.*

85. *Quia igitur morbus suâ naturâ nec indicationis curativæ familiam ducere, nec medendi viam demonstrare potest: videndum cuinam alteri meliori jure id muneris competat. Num symptomatibus, causæ morbificæ, an viribus? Sanè symptomata, nisi nimiâ suâ truculentiâ nimis sæviant, quia permanentiam nullam habent, nec propriâ authoritate nituntur, sed alienis sub signis militant, dudum & meritò Galeno judice hac causâ ceciderunt.*

86. *Causis verò, quia caput contentionis domesticæ, dissidiiq; civilis in Republ. vitali exorti agnoverunt, easdem etiam indicationis fontem, unde auxilia omnia medica manarent, non defuerunt qui statuerent; videturq; in istorum numero præter. Argenterium,* l. 2. de off. medic. cap. 7. & 9. *fuisse Hier. Reusner.* exerc. 4. de scorbuto. *Sed præterquam quod in superiora tela, & Galeni reprehensionem,*

I. de opt. sect. ad Thras. c.25. meth. med. 2. 12. ejusd. I. *incurrant, communi errore nomina auxiliorum & indicantium confundunt. Non enim qualecunq; aut cujusvis, sed sanativum tantum & sanabilis corporis auxilium quæritur. Causa verò morbifica, ut corporis humani corruptionem meditatur, sic non nisi ejusdem corruptivum indicare potest. Quare necessaria & infallibili consequentiæ lege conficitur, vernaculam & οἰκείαν indicantis therapeutici basin, omnisq; salutaris medicationis formam & normam esse unicas corporis sanabilis vires.*

87. *Nolim autem latissimè patentem virium dominatum angustis vitæ mœniis munitisq; circumscribi, quod Capivaccius fecit, cùm vitalem duntaxat custodiæ indicationem à sanativa distinctam ex Galeno* 8. meth. med. 13. *iis adsignaret. Quia facultatum omnium vitalium, animalium & naturalium eadem radix & essentia cùm sit, nec varient nisi organorum, officiorumq; varietate, indicans autem per essentiam suam indicet, nihil ad rem præsentem momenti vulgatissima illa virium partitio adferre potest.*

88. *Ipsemet Galenus videtur istud discriminis neglexisse, quando* I. de ratione victus 44. II. meth. med. 3. & 14. *alimonia refocillandas vires proponit. Nutritio etenim vegetativam propriè respicit, secundariò vitalem. Ita* 9. meth. med. 10. *cum tres sint facultates, servare facultates est servare vitam. Vitam igitur non ut vulgus, opponit reliquis virtutibus, cordisq; pomæriis coarctat; sed quamcunq; naturæ ἐνδελέχειαν (ut Hermetici Platonis* 10. de legib. & in Phœdro, *ipsiusq; Aristotelis* 8. Physic. *instinctu solent) vitæ nomine comprehendit.*

89. *Quod si strictè & ad amussim seu dioptram veritatis Philosophicam me loqui velis, per vires hoc loco non nisi virtutem & facultatem sanativam, quam suprà,* potentiam corporis sanabilis, *appellavi, intelligo, eamq; non passivam: Hæc enim præter ferias, nihil agit; sed activam, quæ naturaliter ad sanitatem tanquam actum, ἐνδε-*

λήχειν & perfectionẽ suam movetur. Cùm enim indicans agens quoddam sit, quod suo ad finem motu vel propensione naturali illius assequendi medium efflagitat, ἄλογον fuerit potentiam hanc solâ recipiendi aptitudine vel promptitudine, qualem illiberales artifices introducendæ formæ animo suo conceptæ in materia habitudinem requirunt, definire.

90. Esse verò corpori sanabili domesticum & connatum principium sanativum, proprio naturæ suæ motu ad sanitatem tendens, cùm universa philosophia docet, tum unanimi consensu Medici omnes comprobant. Talis enim est potentia corporis sanabilis ad sanitatem, qualis corporum mobilium ad formam suam naturalem. At corporum ad formam naturalem mobilium potentiæ activæ sunt. Ideò enim naturales dicuntur, quòd à naturali & intimâ materiæ, in qua latenter præexistunt, *potentiâ proficiscantur & manifestentur, non forinsecus, ut artificiales accedant, quo sensu Aristoteles* 3. Phys. 3. *omnem motum in mobili, omnesq; actus activorum per se in patientibus, non extraneis commoventibus esse probat* 2. animæ 2. 3. ejusd. 4. 9. Metaph. 9. *Quare potentia sanabilis quoq; erit activa & productiva sui habitus.*

91. Declarat id apposite Philosophus 9. Metaph. 7. *seminis ex terræ gremio in mundanam scenam prodeuntis liturgia. Quemadmodum enim sperma à Sole quidem & solo impetum & commoditatem operationis suæ accipit, cæterùm radicale principium, vim πλαστικὴν, seminales rationes, spirituumq; mechanicorum potestates, totius corporis anatomiam vitalem continentes, beatis suis in recessibus occulit, atq; ea propter seipsum explicat, & visibiliter in actum prorumpit, sive à latente formâ ad individuum certum movetur. Ita* corpori sanabili Medicus tantùm præbet sanationis principium vel opportunitatem. Ratio verò, finis & perfectio ab innatâ Mumiæ est scientiâ & potestate, Gal. in aphor. 29. f. 2. com. 41.

92. Confirmatur, quod cum fati legibus cuivis enti & patienti naturali insitum & solenne sit, sese tueri, & ab injuriis omnibus,

quantum licet, vindicare. 3. de animâ, c.12. *istud dotis nulla ratione corpori sanabili denegari possit. Cernis, ut aqua primùm ignis calori resistat, tum postquam efferbuit, remittente contrarii activitate, sine ullo peregrino subsidio adventitium hospitem exterminet, & innatis viribus ad nativum gelu redeat? Simili ratione cur non corpus, ut plus minus pro virium robore morbis resistit, ita seipsum integritati assereret? Eadem enim natura, parilis conditio omnium naturaliter agentium.*

93. *Agnoverunt istud naturæ beneficium meliores quiq; medicorum. Ita enim expresse Naturæ lingua Hippocr.* 6. Epid. 5. t. 1. *resonat:* φύσιες *(quæ in eodem genere sunt, quo potentiæ,* 9. Metaph. 8. *sæpeq; nominibus confunduntur,* ut 2. Phys. c. 1. t. 3.) τῶν νόσων ἰητροί. *Medicus duntaxat illius minister. Sic l. de arte: Natura corporum (licet ἀπαίδευτος) sapientissima est, utpote quæ malum sentiens, mederi magnoperè gestiat. Galenus antecessori suo ὁμόψηφος,* 11. meth. med. 13. *vires morborum medicatrices vocat, &* l. 1. de natural. facult. l. de opt. sect. ad Thrasyb. c. 30. & 31. de placitis, c. 9. *naturam animalium servatricem, & morborum finitricem ac decretricem constituit, quæ quod conveniens est, servat, quod alienum separat; in morbis concoctionem,* 4. ʃ. comm. 22. & 23. *discretionem & evacuationem efficit, atq; ea ratione languoribus medetur,* comm. 5. in 6. Epidem. *ut sudore, vomitu, soluta alvo, & reliquis evacuationibus hominem sanet.*

94. *Edictis, dictisq; Principum suorum ferè omnes Dogmatici obsecundant. Hermetici verò tanta symphonia applaudunt, ac si Delphicis potiora è tripode protulissent oracula. Quid enim crebrius urgent? quàm datum esse corporibus nostris vitale sulphur, quod non tantùm externis impressionibus gladiatoriè resistit, titubansq; corpusculum firmis pedamentis ligamentisq; sustentat, & instar salini liquoris à corruptione præservat ac tuetur; sed etiam quod pro admirabili donorum, rationum, scientiarumq; varietate quascunq; copias hostiles ex*

Monar-

Monarchia sua depellere, morborum radices extirpare, tincturas obliterare, fructus rescindere, & in beatum sanitatis hortũ portumq́; ægritudines omnes transplantare & provehere possit: Ut ita omnis convalescentiæ spes & ratio, in solo balsamicæ hujus δυνάμεως valore posita esse videatur.

95. *Nam aut victa & prostrata planè est natura, aut victrix felicibus auspiciis ad triumphum gloriosè festinat, aut tandem medio modo se habet, ταλέξῆς scilicet nec victa, nec victrix, sed quæ vel dubiam, vel difficilem Martis aleam experitur, ut nisi aliunde juvetur, vix ac ne vix quidem propriis viribus eluctari possit.*

96. Si prostrata planè *est, & cum actu sanitatis ipsa convalescendi potentia sublata, tum nullum juvamen indicatur. Abest enim verum indicans, cui præsidium indicatum respondeat. Quicquid hic moveris, nihil promovebis, ne quidem si Æsculapius fores, quem fabulæ referunt mortuos resuscitasse. Nam à totali privatione nullus ad habitum datur regressus. Consultum igitur tali casu à magnificis promissis & potentibus medicinis, catharcticis præsertim, abstinere*, Hipp. l. de arte, Gal. l. 2. aph. com. 29. *ne qui forte sua periit, pharmaciæ culpa dicatur enectus*, 11. meth. med. 9. 3. acutor. com. 13.

97. Si prævalida *& victrix fuerit, ne tum quidem auxiliis opus habet. Nihil enim tam difficile, tam invium, quod non salutis humanæ causa superare & pervadere queat. Quippe quæ per medium ossis*, Galeni si fidem merentur verba, l. 7. aphor. com. 55. *materiam transmittit, & abscessum gignit, cæcisq́; prorsus rationibus putidam pulmonum saniem, crassum thoracis pus per alvum vel urinam, hepatis abscessus per tussim expurgat, quandoq́; detenta menstrua ægræ bono per oculos, nares, dentium præsepiola, vomitum, mammas, periodicas mictiones, hæmorroides, anum, vulnera*, cõmemorante Schenckio l. 4. observat. medicin. tit. de menstruis *excludit, adeoq́; sæpissime præter & supra fidem humanam miracula sanationis edit, & omnem spem contra spe potiora refert. Præstat igitur & hic quiescere, quàm*

quàm intempestivis auxiliis, extraneisq; irritamentis victoriosas obruere & distrahere naturæ copias. Gal.1.aph.com.20.

98. At si ambigat, *inter victoriam & fugam natura, si per* se ipsam non valeat, *furiosas morborum Erynnies compescere; sed vel deficiat in luctâ, vel difficulter cum periculo & molestiâ recalcitret, tum demum advertendum, ne quid œconomia naturalis capiat detrimenti, confestim lustrandi exercitus, & selectior manus mittenda subsidio, quò felicius conjunctis viribus adversantes profligare copias, declinare insidias, vindicare injurias, florentemq; pacis & tranquillitatis palmam universo territorio & confiniis suis præferre, inserere ac reducere possit.*

99. Tali enim modo si se habeat natura, *ut* non quidem actu & finaliter sanet, sed tamen sanare possit, *verè in potentiâ ad sanandum germanumq; indicans, quæ* sola & semper auxilium sanativum desiderat, *esse dicitur. Idq; cùm ex iis, quæ de naturâ & conditionibus indicantis prolata sunt, abundè constet, tum ex eo etiam manifestum evadit, quod cùm omnes potentiæ naturali desiderio moveantur ad actum, solaq; sanescendi potentia sanitatem, ceu finem suum, & quæcunq; ad ipsum ducunt, media expetat, eidem quoq; soli actus sanativus adscribi, & suppetiæ conferri debeant. Si hoc, sola quoq; indicabit. Siquidem idem sit, quod sanitatem auxiliaq; sanativa expetit, quodq; juvatur seu curatur, cùm eo quod curandi rationem præscribit & indicat,* nec ὧ, *sed* τῷ [illegible] tantùm formale sanationis subjectum & Finis Cui, ab indicationis curativæ fulcro discrepet.

100. Quicquid alii sentiant, Hippocrates, cujus authoritas mihi instar omnium, apertè mecum facit. Ita enim l. de arte, sub finem: *Si natura ultrò non liberaverit, necessaria remedia invenit, quibus citra noxam stimulata, ad noxii exclusionem sese erigit.* Ipsa enim pressa vel impedita artis peritis quid facto opus sit indicat seu demonstrat. *Atq; eam ob causam* l. de veteri medic. *Naturæ cognitionem & studium Medicis imperat, si modò aliquid eorum, quæ rectè fieri de-*

ri debent, rectè præstare velint. Est enim illa ἀρχὴ πρώτη, l. de locis in homine τῶν ἰητρικῶν λόγων, *omnisq́, bonæ medicationis auspicium.*

101. Galenus etsi sæpè subterfugiat, & negare videatur, idem tamen aliàs ob clarissimam veritatis lucem confitetur. Nam in lib. de Venæsect. adversus Erasistratum, Naturam cùm præ imbecillitate finem operi imponere non potest, demum auxilium nostrum implorare *dicit. Ita* 11. meth. med. 3. *quia virtus antagonista morbi, vult medicum omni ratione viribus succurrere,* βοηθεῖν καὶ συναγωνίζεσθαι. *Propterea* 9. meth. med. 6. *palàm indicationes agendorum à viribus laborantis desumendas esse concedit, quamvis alibi,* ut 3. meth. med. 7. 4. meth. med. 2. ejusdem l. 8. c. ult. l. 9. c. 6. l. 11. c. 1. *ætatem, consuetudinem, vitæ institutum, quæ vulgo coïndicantia, connumeret,* non *eo quidem sensu,* quòd aliquid indicent subsidii, vel peculiares indicationes constituant; sed quod ad naturam indicantis distinctè cognoscendam, plurimùm in ratione signi faciant: *Quia enim omnia, quæ circa ægrum administrantur, fermè solius virtutis causa fiunt,* 9. meth. med. 3. 10. ejusd. *ut eam ex asse & ad unguem per* πειράσεις *Medicus cognoscat, operæ precium esse ducit.*

102. Atq, ita videor mihi vulgatissimæ indicantium divisionis elencho, ceu sepio terminisq́, qui veritati obstare poterant remotis, planam ad germanas ἐνδείξεων *investigandas species viam fecisse. Nam consideratur* δύναμις *sanativa, vel Genericè, prout auxilium promovens ad sanitatem indicat: vel specialius. idq́, vel formaliter in propriâ essentiâ, qua deficit: vel* χρειωδῶς *ratione causarum vel injuriarum, quibus premitur, & præter naturam afficitur. Illic imminuta seu debilis dicitur, per deficientis substantiæ supplementum corroboranda: Hic impedita vel molestata, per causarum adversantium remotionem relevanda. Pro hac igitur diversitate respectuum ac scoporum (cùm rationes indicantium finiumq́, differentias indicationum pariant) diversæ etiam* præeunte Hippocr. l. de flatib. & Galeno 1. meth. med. 2. 3. ejusd. 7. & inprimis 11. meth. med. 13. *constituuntur indicatio-*

cationes. Una προφυλακτικὴ *ejus quod deficit: Altera* ἀφαιρετικὴ *eorum quæ officiunt, & naturæ molesta sunt.*

103. Προφυλακτικὴ, *quia proximè formam rei sequitur, nec ut* ἀφαιρετικὴ *(quæ causas efficientes magis externasq. respicit) in subalternas species dividua; sed simplex & uniformis existit, priorem locum meretur. Hæc igitur quantum naturæ roboris ac virium deest, tantundem supplet. Cum enim nullus morbus accidat, nisi læsa facultate,* l. 3. de causis sympt. cap. 1. *Imò forma ægritudinis cujusq., virtutis agendiq. imbecillitate contineatur, quod præter Argenterium* ex Galeno l. 1. de tuend. valetud. c. 4. & 5. l. de differ. sympt. c. 2. *docent Clarissimi viri, Sennertus* l. 1. cap. 3. *& Döring.* l. 2. de medicin. & medicis, part. 2. c. 4. *consequens est, ut illâ redintegratâ, forma quoq. morbi ad sanitatis, quæ virium robore ac promptitudine definitur, habitum revertatur.*

104. Reparantur autem, roboranturq. vires, virtutis auctâ substantiâ. Cùm enim facultas sit de genere accidentium, quorum esse merum est inesse, perfectio verò à substantiarum quibus immediate inhærent incolumitate manat, fieri non potest ut ad subjecti sui, seu principii effectivi, perfectivi & essentialis augmentum, non simul robur virtuti accrescat. Galenus hoc volebat, cùm 11. meth. med. 3. *virtutis nō qualitati; sed substantiæ indicandi munus tribueret, &* 12. meth. med. 5. *virtutis essentiam substantiâ compleri censeret. Ita* 9. meth. med. 3. *testatur, servari virtutem, si substantia non imminuatur.*

105. Προφυλάξεως igitur scopo ad amussim satisfaciet Medicus, si virtutis substantiam augmentarit & multiplicarit. *Id verò fit non heterogeneo quodam, sed* familiarissimo, *similiq. cum re augmentanda naturæ* præsidio. *Quia enim omne tale additum suo tali, facit illud magis tale, & secundum Hippocr.* l. 1. de diæta *conveniens cum conveniente cohæret, à dissentaneo discrepat, quodq. Pandulpho visum: Natura naturâ lætatur, naturam amplectitur, continet, fovet, perq. facilis est* τῶν ὁμοφυλῶν *in naturam similis propter com-*

mune

mune symbolum μελαμόρφωπις, & verò seipsam Diomedis adsensu germinare facit natura, ea certè non nisi suâ naturâ emendari, suoq; congenere refici potest.

106. *Itaque cùm eandem deceat esse relatorum naturam, eandemq; juvantis & multiplicantis auxilii cum indicante προδήλου substantiam, prius isthæc enucleanda venit, quàm de indicato correspondente quicquam statuatur. Est enim natura indicantis, cujusq; remedii principium & regula. Tria verò cùm in universum hominis sint principia seu substantiæ, ad quas reliquæ omnes reducuntur, anima videlicet intelligens, corpus, & intermedia quædam natura, utriusq; copula, quam spiritum seu calidum innatum vocant, in alterutro istorum ut hospitetur & resideat, necesse est.*

107. *Non in anima. Hæc enim immaterialis plane cùm sit divinæ particula auræ, semper sibi similis* Hippocr. l. 1. de diæta, *manet in majori & minori. Nullum habet contrarium in natura. Est enim supra omnes naturas, ideoq; ἀπαθὴς ϗ ἀπληγὴς, nec ortui, nec interitui aliisve perpessionibus obnoxia. Nullam labem ex se sustinet, cùm sit aliquid prorsus ἄτομον ϗ ὅλως ὅλον, cui nulla intensio & remissio adscribi potest. Quare nec sanitatis, morborumq; ratio ad eam referri ulla ratione potest.*

108. *At delirat, furit, stupet anima. Ergo etiam ægrotat. Respondeo, symptomata hæc esse non mentis, quæ eadem & ubiq; semper, sed phantasiæ depravatæ. Quia enim animal, quàm diu in tenebricoso opaci & fæculenti corporis carcere detinetur, non nisi per species & phantasmata intelligit, accidit ut hisce corruptis non quidem vitiose, sed vitiosa ob errorem nempe externum non propriam labeculam intelligat. Instrumenti igitur vitio, non artificis imperitia, quia quicquid est malorum evenit, ideoq; medicorum est, hisce in casibus non substantiam animæ lucidissimam velle expiare, sed impurum Augiæ stabulum, quo condignum tam nobilis hospitis domicilium, tam potentis Rectoris enchiridion evadat, expurgare.*

 109 Neq;

109. *Neq; tamen corpus principium sanativum dici meretur, propterea quod præter commoditatem agendi nihil conferat. Quicquid videtur conficere, instar vel legati, vel ministri ad alterius imperium exsequitur; propria verò virtute nihil ad sanitatem, nihil ad vitam confert, quàm materiam. Merè passivè se habet, & indefinitè ad utramq; valetudinem, cùm prosperam, tum iniquam recipiendam. Ideóq; interni Solis influxu & irradiatione cum primùm destituitur, protinus collabascit & emoritur. Idq; de conformatione externa, partium corporis decente structurâ, communicatione & cohærentiâ, cùm plerią; concedant, de* εὐκρασίᾳ *tamen plurimi* διαῤῥήδην *inficias eunt.*

110. *Quid enim Galenus huic non tribueret, cùm ferè pro anima venditet? certè omnes agendorum facultates illi soli adscribit. Nam* 1. de natur. facult. c. 2. *expressè scribit: omnem particulam, quæ aliqua fungitur actione, necessariò hoc obtinere, propter certam temperiem, quam ex 4 qualitatibus sunt nactæ. Ita* l. 1. de præsag. ex pulsib. c. 4. *facultatis essentiam ponit in commodo singularum partium temperamento, &* 7. meth. med. 3. dicit: *Vnamquamq; animalis particulam propriam edere actionem, quæ tantum ab aliis actionibus differt, quantum ipsa particula ab aliis distat. Differre autem particulam à particulâ per temperiem.* l. 5. de loc. affect. ultim. *Actionis causam constituit facultatem, ea tamen ratione, ut omnium facultatum essentia consistat in peculiaribus partium temperamentis.* l. 1. de temp. c. 9. *ex humido, sicco, cal. fr. non hominis solùm, sed aliorum omnium naturas constare asseverat, & quæ plura istius generis legere licet,* l. 2. de natur. fac. 8. l. 8. de usu part. 13. 4. meth. med. 4. 1. de facult. simpl. c. 3. lib. de temper. de artis constit. & alibi passim.

111. *In eadem hæresi sunt, quicunq; partium similarium formam non aliam agnoscunt, quàm temperiem, cum eodem Præceptore* l. 1. de usu part. 9. l. 1. de natur. fac. 3. *illiq; primùm animantis actiones omnes acceptum referunt,* ex 7. meth. 2. 11. meth. med. 10. de morb. diff. c. 6. l. quod animi mores, c. 2. *Quiq; præter temperiem, sacram scili-*

scilicet salutis anchoram nihil in medicina facienda vel incusare, vel restituere & conservare norunt.

112. *Sed næ isti facilem nobis medicandi rationem prædicant; faciliorem quàm Methodici, qui semestre spacium requirebant, cùm hisce vix uno mense opus. Cùm enim morbus non nisi* ἀμηχανία *sive* ἀδυναμία *facultatis sit; hac verò integrâ & illibata, etiam valetudinis secundet bonitas, utiq; restituta temperie per contrarii commoderationem, sanitas etiam restitueretur. Ecquid hac via compendiosius; sed & eadem falsius? vel triobolarium tonsorum experimentis. Nullus esset morbus, nisi læsæ temperiei, nulli venenosi, nulli contagiosi, epidemii, endemii, nulla organicorum familia, & quæ plura ex hac hypothesi necti possunt absurda.*

113. *Quid verò magis monstrosum, quàm substantiæ perfectionem fingere accidens? Tale enim qualiscunq; temperies. Aut ex sterili ignobilium elementorum conjugio divinam sibi polliceri sobolem, quæ toto genere parentibus sit superior. Philosophorum hoc omnium est: nihil agere ultra vires sua causa,* Zabar. de calor. cœlesti, c. ult. *Nec esse quicquam in principiato, quin actu vel potestate fuerit suis in principiis,* Scal. exer. 101. sect. 18. exer. 280. s. 2. exer. 307. s. 20. *Igitur à calore præter calefactionem, ab humore præter humectationem, à temperie præter contemperationem amplius quiddam & excellentius expectare* ἀφροσίας τῆς διανοίας ἐστί.

114. *Abortivæ hujus opinionis fœditatem, cùm ex recentioribus doctiores quidam animadverterent, Galenicam temperiem cherioniæ & balsamicæ Hermeticorum* ἐνεργείας *cerussâ fucarunt, quo respectu* l. de utilit. resp. c. ult. *temperamentum cerebri ipsemet ita explicat, ut non modo spiritum animalem, calidumq; innatum; verùm etiam totam constitutionis speciem complectatur; & alibi totam substantiam, proprietatemq; substantiæ auctorem actionum nominat,* l. 5. de simpl. facul. c. 18. com. 6. in 6. Epid. t. 5. *Verùm cùm istam substantiam & proprietatem non longius derivet, quàm ab elementis, eorumq;*

rumq; indicibili mistione, ac incredibili refractione, l. 7. de anatom. administr. c. 8. 3. de sympt. caus. 1. l. 1. de elem. 7. l. 3. de temp. c. 1. *non video, num istud pallium ex æquo & usu Galeni humeris accommodetur. Viderint alii, qui illius authoritate artis Medicæ fines circumscribunt.*

115. Equidem ut ex his fluctibus in portum me recipiam, cum nec animæ, nec corpori iste sanandi principatus competat, ἑπομένως *colligo, non posse aliam potentiæ sanativæ metropolim* καὶ πρῶτον δεκτικὸν *jure dici, quàm* γόνιμον *illud,* ἀρχέγονον καὶ σύμφυλον θερμὸν, *balsamum, sulphur & oleum vitale*, quod instar nectaris vivifici totam provinciam corporis irrigat, immortalemq; animam cum mortali corpore mirabili nexu ita jungit & unit, ut non nisi rupto hoc vinculo ab eodem recedere, & evolare post prædestinatas temporum periodos possit.

116. Veritatem ἐνουσίας *hujus præterquàm quod sequelæ necessitas demonstrarit, aliarum quoq; rationum momenta & saniorum suffragia confirmant. Videtur enim cujus est actus, ejusdem quoq; esse potentia: cùm Arist.* 9. Metaph. 8. *actum & potentiam ad idem genus revocet, neq; propriè ut rem à re,* 8. Metaph. 6. t. 15. *sed tanquam rem eandem à seipsâ, penes modos essendi vel considerandi differre velit. At* πρωτογόνου θερμοῦ *est actus seu* τὸ *formale sanitatis, cujus munere corpus, tanquam subjectum valere dicitur. Ergo idem calor potentiæ sanativæ principium radicale ut sit necesse est.*

117. Assumptum, quia τὸ κρινόμενον, *probatur.* Id quo partes vivunt, aguntq;, formalis est valetudinis ratio. *Ideò enim non nisi partes, quæ communi vita cum toto participant, sanitatis morborumq; capaces esse statuuntur; & omnes homines tunc se maximè sanos existimant, cùm consueta munia ad vitam necessaria, promptè & sine vitio possunt obire, ægrotare verò illâ parte, quâ se ad eadem ineptos deprehendunt,* Galen. l. 1. de diff. morb. 2. At partes vivunt aguntq; beneficio caloris innati, *quem propterea Aristot.* 3. de gener. animal.

ψυχ-

ψυχικὴν θερμότητα, ἔμψυχον θερμὸν, *&* 2. de gen. animal. c. 1. τῶν ζώων θερμότητα, *quòd* ζωτικὴν ἀρχὴν *contineat, & præsentiâ suâ vitam, extinctione vel interitu mortem inducat*, 2. Politic. 8. 2. de temper. 2. 1. ∫. 14. l. de rigor. tr. c. 6. *appellat. Hippocrates* 6. Epid. 5. *hominis animam vocat, quæ semper producitur usq; ad mortem, & cum morbo quo ægrotat, simul depascitur. Eidem* l. de principiis, *videtur id, quod calidum vocamus, omnia intelligere, & videre, & audire, & scire omnia tum præsentia, tum futura. Ad eum sensum Galen.* l. de 4. motib. contra naturam; ἀρχέγονον θερμὸν *nihil aliud esse dicit, quàm animam & naturam corporis, vitæ omniumq; actionum arbitram, & naturam*, parv. art. c. 87. *Consectarium igitur est balsamicum istud* τῆς φύσεως ἔμβιον, τῆς ὑγιείας *quoq;* λόγον *possidere.*

118. Præterea: Id quod universam λειτουργίαν *microcosmicam moderatur, etiam sanationi præest: quia sanitas non ociosum mentis est* πλάσμα; *sed naturæ, interioris mechanici* ἀποτέλεσμα. *At balsamus, ut universi corporis* μεταρρύθμισιν *occupat*, 5. simpl. 9. 6. Epid. 5. *sic ministeria singula &* ἐνεργήματα *moderatur.* Arist. l. 2. de anim. t. 4. & 50. 2. de gen. anim. 3. Gal. l. 8. de placit. 7. l. 2. de nat. fac. c. 4. & 8. l. 3. de sympt. caus. c. 3. & 4. l. de palpit. cord. c. 6. l. 1. aphor. com. 15. ibid. l. 4. com 2. & l. 5. com. 22. *Quare idem & sanationi præerit.*

119. Adhac: Quodcunq; omnes excessus ad Geometricam & naturæ convenientem æquabilitatem revocat, illud quibusvis sonticis ægritudinibus πανάκειον *poterit esse* ἀλέξημα. *Vt enim* συμμετρία, *quâ sibi invicem harmonicè singula respondent* ἐν δυνάμει, πλήθει καὶ μίξει *sanitatem, sic* ἀμετρία, *binarius, divortium morbos efficit Hippocr. effato* l. de veteri medicin. l. 1. de natura hom. text. 20. & seqq. *At calidum nativum, quia* συγκρίνων καὶ συνοικίζων τὰ ὁμόφυλα, τὰ δὲ ἀλλότρια ἐξαιρῶν, *cruditates omnes maturat; impuritates secernit, siccum cum humido perfectè terminat, miscet & unit, ad harmonicam unitatem omnes excessus revocat. Idem igitur* πανάκειον *morborum omnium* ἀντιφάρμακον *& convalescentiæ auctor rectè dici poterit.*

120. Et

120. Et quid pluribus opus in re manifesta? Attendant qui in dubiis malunt cum Aristotele & Galeno, quàm cum Rationibus facere, quid hac de re illi sentiant. Negat Philosophus de juvent. & senect. 4. de respir. 8. de brevi & longa vita 5. *incolumi calore permanente, ullam rem perire vel mutari posse. Galenus quoq;* l. de tremor. asserit, *calore nativo naturaliter se habente sanum degere animal. Igitur si* ut calor, sic homo valet, *non potest non esse causa & formalis valetudinis humanæ ratio. Hinc ἡ νεότης κρατίστη πρὸς τὸ θεραπείας ἀντέχειν τῇ νόσῳ esse dicitur, quia πλεῖστον ἔχει τὸ ἔμφυτον θερμόν. Contra οὐκ ἔτι δύναται ῥᾳδίως ἀντέχειν τὸ γῆρας, πρὸς τὴν τοῦ νοσήματος ἔφοδον; quia ἔχουσιν ὀλίγον τὸ θερμόν.* l. 2. aphor. 39. in comment. *Ecce! calor reluctatur & eluctatur ex infirmitatibus omnibus. Quare idem communis naturæ Alexicacos, sanitatis ἔξαρχος, ut dicatur, necesse est.*

121. Atq; sic etiam Ariadnæo resolutionis filo εἰ ἔστι invenimus, nec aliam sanativæ potentiæ radicem, quàm radicalem Mumiam statui posse, evidentibus argumentis evicimus: Nunc τὸ τί ἐστι, quidditatem nempe balsamicæ illius, & primitivæ Mumiæ methodo ὁριστικῇ venari quoq; deberemus: verùm quod & Principii & Entis incompleti rationem habeat, nec sensuum censuris se subjiciat, sed à posteriori per effecta in conjecturam quandam veniat, impossibile pæne est id ipsum exquisita definitione præstare.

122. Hermetici igitur cùm formam incomprehensibilem agnoscerent & ἀόριστον, ejus insignia & munia varietate nominum maluerunt explicare, quàm inepta definitione naturam circumscribere. Ideoq; ψυχικὴν θερμότητα Aristotelis, humidum radicale Medicorum, ipsi vocarunt Balsamum, Mumiam, Vitale Embryonatum & incombustibile Sulphur, radicale semen, spiritū innatum, Quintam essentiam, Arcanum, Florem & Cherionium Naturæ, Internum Archeum, Solem & cœlum. Mannam, Materiam perlatam, actionum Fontem, fœcunditatis Auctorem, *& quid non? Nec tamen quicquam istorum præter rationem aut mysticum sensum.*

Hic

Hic est enim ille Promus Condus, *qui in Microcosmo generationes, transplantationes, mutationesq; omnes moderatur, qui expellit superflua, attrahit* ὁμόφυλα, *qui dat, qui accipit, omniaq; suis locis adaptat, alterat & contemperat.* Mechanicus & πανοῦργος *est Naturæ, qui pro infinitâ artium, scientiarum, rationum seminalium, donorum, prædestinationum, tincturarum & confluentiarum varietate ac robore ex eodem alimento elementoq; attracto cerebrum, hepar & cæteras partes format & restaurat ordine, proportione, quantitate, figurâ, situ, Mercurio, sulphure, sale, &c. à naturæ liturgiâ definitis & congruentibus, elementa repugnantia concordi mixtionis lege ligat, digestisq; tandem temporibus, corruptis ac consumptis prædictis elementis ipse integer & superstes remanet:* Principium, radix & fundamentum speciei, totiusq; individui Rector, Monarcha & Oeconomus.

123. *Platonici Æthercam vocabant substantiam ab elementari diversam, quâ veluti cæmento anima immortalis cum mortali jungeretur corpore. Itaq; ad universi ordinem inter caduca & æterna continuandum, de utriusq; naturâ participare voluerunt, ut nec corpus, nec anima sit; sed medium inter hæc duo, corpus nimirum spirituale, vel spiritus corporeus, cœlestis & aëreus.* Νῦ γὰρ μίμημα τέλει, ait Zoroaster, τὸ δὲ τεχνῖτιν ἔχει τὸ σώματος. *Propterea etiam Græcis* Δέμας *quasi* συνδεδεμένον *dicitur. Huc itaq; referendæ fabulæ de annulis, de catenâ Homericâ, de Cæli Opisq; matrimonio & Synesii illecebris, quibus* σύνδεσμος *iste innuitur.*

124. *Stoicus Author definitionum medicarum (potius enim Porticũ, quàm* ἰατρῶν *Galeni sapit) proximè ad fines bonæ definitionis accessit, quando Balsamum describit, quòd sit* spiritus calidus, qui ex sese pro seminariis rationibus movetur, quiq; in præfinitis certisq; temporibus ac magnitudinibus homines generat, perficitq; conservat. *Quia enim quod Hermetici ajunt,* eadem est seminis & balsami cujusq; essentia, existentiæ ratione tantùm distincta; *eademq; conservationis & nutritionis, quæ generationis &*

constitutionis principia, l. 2. de generat. & corr. c. 7. t. 49. *non sine ratione videtur illa in periphrasi confudisse, eidemq; cum generationis, tum perfectionis & conservationis principium adscripsisse author.*

125. *Fernelius, ille veritatis nostratis Phosphorus* κατ᾽ ἀπαρίθμησιν *definit, quòd sit Humidum primigenium, spiritu & calore nativo undiq; perfusum, quem sequitur author Apocalyps. spiritus mund. secr. ubi calidum istud definitur esse,* spiritus æthereus in corpore aquoso plusquàm essensificato existens. *Aristot.* 2. de gener. animal. 1. *vocat,* θερμότητα ἐμπεριλαμβανομένην ἐν τῷ σπέρματι. *Hippocrates verò omnibus istis prior idem innuit, quando* in l. de diæta, *per ignem in universum omnia moventem, & per aquam omnia per tota nutrientem, tanquam per partes constituentes, balsamicam nostram Mannam describit.*

126. *Per* ignem *verò & calorem non intelligendus elementalis & exurens, quia iste nullum vivens ex se generat; sed* naturæ, virtutis, sapientiæ, *quem Zoroaster* ἐμπυρώδη τοῦ κόσμου ψυχὴν καὶ πῦρ ζωοφόρειον: *Hermes Solem & animam vocat: Orphæus* πανδοτειραν αἰθέρα: *Anaxagoras* νοῦν καὶ φρόνησιν θεῖον: *Heraclitus cum Philosopho* 2. Meteor. 2. *vitæ omniumq; causam & principium: Plato* σπερματικὸν λόγον: *Aristoteles* θειότερον τῶν καλουμένων στοιχείων, καὶ ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ: *Author definitionum medicarum, & Cicero ex Zenone artificialem viâ ad generationem tendentem, moventemq; efficaciter ex seipso: Hermetici* Mercurium, *Alcool, vim opimam lucis, atq; alii aliter.*

127. *Ita aqua & humiditatis nomine non gelida illa & relollacea; sed cælestis, aërea, essentificata, substantifica & primigenia venit, quam Thales rerum omnium radicem; matricem & nutricem: Hermes Lunam: Ejus discipuli* salinam, virentem, mirabilem, non madefacientem manus, Azothicam, Balneum Dianæ, fontinam, Materiam primam, perlatam & crystallinam, *chaos,* ὄχημα καὶ αἰθερῶδες σῶμα τοῦ πλαστικοῦ λόγου, *Naturæ penuarium, ex quo calor vitalis & spiritus tanquam è spermate prodeunt, universumq; cor-*

pus

pus irrorant & sustentant, Hylech, aliisq; id genus pluribus nuncuparunt.

128. Atq; ut istud probetur, non opus multa emendicare testimonia. Seipsum enim explicat Medicinæ Genius l.c. quando duo hæc simul juncta, tum aliis omnibus, tum sibi invicem satis esse; utrumq; verò seorsim neq; sibi ipsi, neq; cuiquam alteri satis esse posse contendit. Idq; adhuc clarius, dum paulò pòst ipsum Animum Ignis & Aquæ hujus contemperatione circumscribit, ignemq; omnia, quæ sunt in corpore, suo modo ad universi imitationem; parva cum magnis, & magna cum parvis disponere, confirmat. Qui cunctis dominetur, omniaq; secundum naturam moderetur, *sine strepitu, tum visu, tum tactu.* In quo sit animus, mens, prudentia, incrementum, motus imminutio, permutatio, somnus & vigilia. Qui omnia in totum gubernet, *& hæc, & illa, neq; unquam quiescat; Et quæ plura ibidem emicant divinitatis istius argumenta. In l. de princip. apertè:* τὸ θερμὸν *divinum esse asserit, & pro hujus diversâ in humidum actione varia quoq; elementa producta esse. In l. de diætâ: potentissimum & efficacissimum omniū, quæ sunt in naturâ, vocat. Verùm obruor multitudine.*

129. Retraho igitur pedem, & quia pro tempore satis multis Balsami effigiem adumbravi; nunc an quandam medicinam congenerem ac familiarem in universi theatro obtineat, explorandum superest. Hermeticorum quidem si standum calculo, nihil illa certius. Si enim homo *filius Majoris mundi; si, quod est apud Plutarch.* 4. sympos. γαμμιγὲς καὶ παντομιγὲς Macrocosmi compendium, omnesq; creaturæ reliquæ in hominem tanquam centrum destinatæ, *quod Hipp.* l. de diætâ, *& Plato* in Timæo *docuit, nihilq; in hominis potestate continetur, cujus expressam effigiem non referat mundus, quod Paracelsus tuetur: Ut radicalis quoque illa & seminalis vel Tinctura, vel Natura, quæ in homine concentrata latet, ex universo effloreseat & rutilet necesse est.*

130. Nec abnutat Galenus, quando virtutis substantiam, 11.

meth. med.3. *per quam ipsemet calidum innatũ significat*, 13. meth. med.16.5.simpl.9. *alimentis restaurare jubet*, 11. meth. med.3. & 14. 1. de rat. victus 44. *alimentumq́, eo quod substantiam naturæ nostræ (quæ ipsa nil nisi* θερμὸν ἀρχέγονον *est* l. de Tremore) *auget*, 3. simpl. 1. *definit. Si enim ab alimentis augescit & reficitur balsamus, ut similem quandam balsamo substantiam complexu suo teneant oportet. Siquidem omnis nutritio similis naturæ appositione fiat, sicut destructio à contrariis.*

131. *Quid multa?* quocunque oculos intendimus, ejus vestigia cernimus. *Arato: Iovis omnia plena. Zoroastro:* θέρμη, ψυχοῦσα τὰ πάντα. *Trismegisto:* χωρητικὸς τῶν πάντων, καὶ σωλήειος τῶν ὄντων. *Spagyricis: Linea viridis ubiq; gyrat;* sed ubiq; *eam* prehendere mortalium manibus negatum. *Ejus nutu vigent, virent, florentq́ singula, quæcunq; Elementorum orbitâ continentur, quemadmodum doctè id explicat Clarissimus Patricius in sua Panarchia & Pampsychia: Fernelius in l. de abdit. rerum causis, &* ὀφθαλμοφανῶς *Hermetici cum experientiæ, tum veterum Philosophorum & Poëtarum suffragiis demonstrant. Adistos te relego, quicunq; mihi incredulus. Nec enim vacat,* nec convenit *singula altius arcessere, & ad amussim revocare Logicam.*

132. Si dextrè capis: *Hic est spiritus Domini Mosaicus incubatu suo actuans aquas. Lux primæva, quâ lucent micantq́, astra, & interranea omnia vigent ac foventur. Hæc est Zoroastri Trias, quæ in toto mundo lucet, cujus Monas est princeps: Pupilla & Minerva Mundi Hermetis, ob quam superius, sicut id quod inferius, & vice versa inferius sicut id quod superius, ad perpetranda miracula rei unius in Tabula Smaragdina esse dicebat. Hæc est Sphæra Pythagoræ, cujus centrum ubiq; viget, circumferentia verò nusquam apparet:* Πανσπερμία *Empedoclis, ob quam Hippocrat. omnia in omnibus esse affirmabat: Atomi Democriti per aërem volitantes: Ignei Dii Heracliti: Halitus Archimedis: Avicennæ Calco-Dea: Vnum-omnia Parmenidis:*

Infi-

Infinitum Melissi : Πανδοχεῖον & Idea Platonica : Spiritus mundi

Qui cælum, ac terras, camposq; liquentes
Lucentemq; globum Lunæ Titaniaq; astra
Intus alit.

Hæc est anima universi, ob quam omnia in omnibus inveniri, in infimis suprema, in supremis infima : In cælo terrena ; sed cælesti modo, in terra cælestia ; sed terreno modo Proclus dixerat : cujus quodammodò plena omnia Aristoteles 3. de gener. animal. 11. *scripserat. Hæc est Natura nihil faciens frustrà,* 2. Phys. 6. *Deo & menti socia : Potentia per universum mundum penetrans, terramq; omnem & mare, ætheraq; & Solem & Lunam, & totum cælum exornans,* l. de mundo, cap. 6. ἡ ἐν φυτοῖς τε καὶ ζώοις, καὶ διὰ πάντων διήκουσα ἔμψυχός τε καὶ γόνιμος οὐσία. *Igneus vigor Maronis, quem* portavit ventus in ventre suo, *& Adam ex Paradiso : Benedicta viriditas, ens seminis & virtutis, totiusq; naturæ thesaurus inexplicabilis.*

133. *Sed quò labor ? parùm fuerit Eudemonem istum artifitiosa Mechanica, & scientiis universi, singulorumq; potestatibus instructum in omnibus mundi angulis deprehendisse ; nisi etiam* quomodo comprehendendus, & ex latibulis in apricum producendus constiterit. *Quia enim nudus in mortalem scenam non progreditur ; sed plurimis inquinamentis ac velamentis vinctus & sepultus jacet, primùm* an à materiæ concretæ fœcibus depurari ac liberari queat dispiciendum. *Siquidem aliàs miracula illa, quæ freno corporeo excusso liberiori in campo inter homines edere solet, perpetrare non valeat. Dein cùm non Arithmeticè, & æquabiliter in omnibus, sed ex Geometrico justitiæ demenso in singulis hospitetur, ac in quibusdam altius demersus, in aliis pœnè actualiter luxuriet ; hîc fixam stabilemq; Balsami radicem possideat, alibi spirituali nimis subtiliq; ὀχήματι sustentetur : gradibus etiam nobilitatis differat* ὡς διαφέρουσι τιμιότητι αἱ ψύχαι, καὶ ἀτιμίᾳ ἀλλήλων, 2. de gener. an. c. 1. *unde*, ex quo *loco vel* subjecto potissimùm nobis eruendus *veniat, etiam inquirendum erit.*

erit. Demum quia tam tenebricosa, erronea & incerta viarum omnia, quibus ad aureum istud Iasonis vellus, Amalthea cornu, Pandora pyxidem contenditur, ut cùm multæ myriades hominum immanibus periculis, sumptibus & vigiliis admirabile cupiti lapidis ἑρμαίου *anxiè quæsiverint, vix tamen uni atq; alteri contigerit adire Corinthum, filum quoddam Ariadnæum in Labyrintho hoc errantibus texam*, rationemq; *generalem* inibo, quâ tam potens Evestrum ex abysso Moisis, *nocte Orphei, Orco Hippocratis, puteo Democriti, Iliastro Paracelsi* protrahere, *exsuscitare, ac luci hominum exponere* queamus.

134. Primum quod attinet, an sit χωριστόν τι; *videtur id negare Philosophus, quando in his caducis & naturalibus negat ullam formam, præterquam mentem humanam à suo corpore separabilem esse. Ratio, quia sola* ἀσώματος *&* ὅλως λόγος, 1. de partib. anim. c. 1. 3. de anim. c. 4. t. 4. *sola* θύραθεν *advenit, & citra organon corporeum, imò perfectius extra corpus intelligendi proprium munus obit*, 2. de gener. anim. c. 3. *Cæteras verò formas Physicas cùm* ἔνυλοι *sint, & ex intimâ materiæ potentiâ in actum prorumpant, tàm quoad subsistentiã, quàm* ἐνέργειαν *ab eadem pendere necessum est.*

135. Oppositum crediderunt Pythagorici, qui cum μετεμψύχωσιν *introducerent, & formas rerum ex uno in aliud domicilium migrare statuerent, eo ipso quoq; à materiæ concretione, ceu vestimentis exui & liberari posse confirmarunt: Quibus accedunt Hermetici, quando imagines rerum peregrinari, corruptisq; ac solutis elementorum impuritatibus, solum balsamum superstitem vigere, ac specierum signaturas inviolatas ad novorum individuorum procreationem reservare, adeoq;* omnia ex omnibus quodammodò fieri posse, *asseverant.*

136. Neutra pars suis destituitur argumentis. Peripatetici quidem conditione & naturâ formarum nituntur, quòd materiales cùm sint, sine illâ subsistere non possint. Spagyricis verò plurimas, cùm prægnans generationis ordo, tum prima Philosophia, ipsiusq; Aristotelis hypotheses pariunt rationes. Inprimis ad sensuum judicia tanquam omni exce-

exceptione majora, & Magisteria sua provocant; cumq́; hoc unum fornaculis & ignibus suis agant, ut spirituale & formale à crassamento elementari, & impedimento materiali separent, Astra, Elyxiria, Arcana, Essentias, Tincturas, Clyssos, spiritus, olea, salia, & extracta *proferunt, cœlestes nempe formas, Essentiales succos, substantialia principia, spiritualia corpora innumerabilibus scientiarum donis insignia: Quibus tam manifesta artis & doctrinæ suæ edunt specimina, ut ne livor quidem ipse negare possit.*

137. *Vmbratilis igitur verius pugna, quàm seria contradictio, ex incuriâ & ambiguitate vocum orta. Distinguamus. Forma definitur vel* respectivè τῷ ποιῷ, *seu* officio informandi, *ut est actus perfectus & completus corporum mensuris & circumstantiis definitus: vel* substantialiter τῷ εἴδει, *seu* λόγῳ τῆς οὐσίας quoad esse absolutum. *Illic ne mente quidem abstrahi potest. Necessariam enim copulam Informantis cum informato dicit. Hic verò reapse à corporis ergastulo separabilis. Non ita tamen, ut* ἁπλῶς *planè subsistat, quod Aristotelis argumenta probant: sed quod extra peregrinam & elementalem in homogeneâ & primigenia suâ materiâ hospitari & perdurare possit.*

138. *Est enim & Materiæ vocabulum æquivocum. Aliquando* ἔχαλον ϗ οἰκεῖον λόγου εἰδικοῦ, *vel seminariæ rationis sustentaculum, quod* ϑεοειδῆ ὑλεστιλα, σῶμα ἀερῶδες, *balsamicam mumiam, materiam perlatam, crystallinam, & primam rerum omnium vocavimus, significat. Aliquando materiam remotam, elementalem, corticeam & superficialem, quam Phlegma insulsum, terram damnatam, caput mortuum, siliquas, paleas, furfures, sepulchrum, carcerem & Remoram animæ appellitant, denotat. De illa Aristoteles, de hac concludunt Chymici. Itaq; quando in concretis,* ut Mesues loquitur cap. de mirobalan. in Antidot. *quod est secundum speciem separant ab eo quod est secundum materiam, non repugnant Peripato, neq; hoc agunt, ut divortium illegitimum inter* Solem & Lunam, Marem & fœminam, Mercurium & salem, calorem & humorē primordialem *instituant;*

sed

erit. Demum quia tam tenebricosa, erronea & incerta viarum omnia, quibus ad aureum istud Iasonis vellus, Amalthea cornu, Pandora pyxidem contenditur, ut cùm multæ myriades hominum immanibus periculis, sumptibus & vigiliis admirabile cupiti lapidis ἱερὸν anxiè quæsiverint, vix tamen uni atq; alteri contigerit adire Corinthum, filum quoddam Ariadnæum in Labyrintho hoc errantibus texam, rationemq; *generalem* inibo, quâ tam potens Evestrum ex abysso Moisis, *nocte Orphei, Orco Hippocratis, puteo Democriti, Iliastro Paracelsi* protrahere, *exsuscitare, ac luci hominum exponere* queamus.

134. Primum quod attinet, an sit χωριστόν τι; videtur id negare Philosophus, quando in his caducis & naturalibus negat ullam formam, præterquam mentem humanam à suo corpore separabilem esse. Ratio, quia sola ἀσώματος & ὅλως λόγος, 1. de partib. anim. c. 1. 3. de anim. c. 4. t. 4. *sola θύραθεν advenit, & citra organon corporeum, imò perfectius extra corpus intelligendi proprium munus obit*, 2. de gener. anim. c. 3. *Cæteras verò formas Physicas cùm ἔνυλοι sint, & ex intimâ materiæ potentiâ in actum prorumpant, tàm quoad subsistentiã, quàm ἐνέργειαν ab eadem pendere necessum est.*

135. Oppositum crediderunt Pythagorici, qui cum μετεμψύχωσιν introducerent, & formas rerum ex uno in aliud domicilium migrare statuerent, eo ipso quoq; à materiæ concretione, ceu vestimentis exui & liberari posse confirmarunt: Quibus accedunt Hermetici, quando imagines rerum peregrinari, corruptisq; ac solutis elementorum impuritatibus, solum balsamum superstitem vigere, ac specierum signaturas inviolatas ad novorum individuorum procreationem reservare, adeoq; omnia ex omnibus quodammodò fieri posse, *asseverant.*

136. Neutra pars suis destituitur argumentis. Peripatetici quidem conditione & naturâ formarum nituntur, quòd materiales cùm sint, sine illâ subsistere non possint. Spagyricis verò plurimas, cùm prægnans generationis ordo, tum prima Philosophia, ipsiusq; Aristotelis hypotheses pariunt rationes. Inprimis ad sensuum judicia tanquam omni

exce-

exceptione majora, & Magisteria sua provocant; cumq; hoc unum fornaculis & ignibus suis agant, ut spirituale & formale à crassamento elementari, & impedimento materiali separent, Astra, Elyxiria, Arcana, Essentias, Tincturas, Clyssos, spiritus, olea, salia, & extracta *proferunt, cœlestes nempe formas, Essentiales succos, substantialia principia, spiritualia corpora innumerabilibus scientiarum donis insignia: Quibus tam manifesta artis & doctrinæ suæ edunt specimina, ut ne livor quidem ipse negare possit.*

137. *Vmbratilis igitur verius pugna, quàm seria contradictio, ex incuriâ & ambiguitate vocum orta. Distinguamus. Forma definitur vel* respectivè τῷ ποιῷ, *seu* officio informandi, *ut est actus perfectus & completus corporum mensuris & circumstantiis definitus: vel* substantialiter τῷ εἴδει, *seu* λόγῳ τῆς οὐσίας quoad esse absolutum. *Illic ne mente quidem abstrahi potest. Necessariam enim copulam Informantis cum informato dicit. Hic verò reapse à corporis ergastulo separabilis. Non ita tamen, ut* ἀΰλως *planè subsistat, quod Aristotelis argumenta probant: sed quod extra peregrinam & elementalem in homogeneâ & primigenia suâ materiâ hospitari & perdurare possit.*

138. *Est enim & Materiæ vocabulum æquivocum. Aliquando* ἔχαλον καὶ οἰκεῖον λόγου εἰδικοῦ, *vel seminariæ rationis sustentaculum, quod* δροσώδη ὑλέστατα, σῶμα ἀερῶδες, *balsamicam mumiam, materiam perlatam, crystallinam, & primam rerum omnium vocavimus, significat. Aliquando materiam remotam, elementalem, corticeam & superficialem, quam Phlegma insulsum, terram damnatam, caput mortuum, siliquas, paleas, furfures, sepulchrum, carcerem & Remoram animæ appellitant, denotat. De illa Aristoteles, de hac concludunt Chymici. Itaq; quando in concretis*, ut Mesues loquitur cap. de mirobalan. in Antidot. *quod est secundum speciem separant ab eo quod est secundum materiam, non repugnant Peripato, neq; hoc agunt, ut divortium illegitimum inter* Solem & Lunam, Marem & fœminam, Mercurium & salem, calorem & humorē primordialem *instituant;*

sed

sed ut mirificarum rerum occulta per resolutionem manifestent, ut sulphur balsamicum à vinculis & fæcibus impuritatum & cruditatum sequestrent, & tandem admirabili magni magisterii opere punctum illud triunum, ex quo centraliter omnium virtutum lineæ ad universi peripheriam manant, *consequantur.*

139. *Quantum ad idoneum operationis subjectum, equidem negare non possum animalia, inprimis hominem θαῦμα θαυμάτων, preciosissimo spiritus hujus perfundi & vegetari latice, pulcherrimamq. invisibilis cæli occupare Astronomiam. Quo factum, ut plurimi Philosophorum ignem natura balsamicum ex sanguine, urina, fimo, secundinis, capillis, spermate, carnibus humanis elicere voluerint. Verùm cùm propter actionum varietatem & organorum multiplicitatem nimis distrahatur, ac tenui magis spiritualiq. constet substantia, quàm ut crassis artificum cassibus captari queat, non immeritò cum Paracelso in Archidoxis Mineralium familiam illi prætulerim.*

140. *Vegetabilia namq., præterquam quòd leviter duntaxat hac aqua vitæ irrigentur, eadem quoq. fugacitatis & volatilitatis nota cum animalibus cadunt. Mineralia verò cùm sexuum vel nulla vel obscura explicent discrimina, nec functionum motuumq. ministeriis exhauriantur, annorumq. longa serie aut senectutis incommoda patiantur, aut injuriis externis facilè labefactentur; hermaphroditicum etiam semen homogenea & fixa balsami tum copia, tum puritate munitum, corporumq. principiis firmissimè unitum, quod Chymici censuram non fastidiat obtinuisse, vero consentaneum est.*

141. *Ac per σύγχυσιν quidem elementorum, cùm in mundanam scenam prodierint mineralium semina, per διάκρισιν & artificialem τῶν ἀρχῶν ἀφαίρεσιν*, 3. de gener. animal. 11. *in Medicum theatrum, ad referendam exprimendamq. Balsami nostri personam revocanda sunt. Quare subjectum operationis* est minerale quoddam efficaci & fixa seminis aurifici copia turgidum, *quod sapientes Aurum Dei & Plumbum Philosophorum nuncupant. Forma vel Ratio διά-*

λυσις.

λυσις. Resolutionis verò magister Vulcanus, minister Spagyrus, regula Natura.

142. *Decet itaq; ad Orbem illum remediorum & ἐγκυκλοφάρμακον contendentes, non suavibus opinationum deliriis, aut sophisticis μιλησιλόχων receptiunculis, genuinis Sathanæ decipulis, sanguisugis & crumenimulgis pestilentissimis niti: sed infallibilem Naturæ ductum, ceu vivam Hermathenam veramq; cynosuram istius velificationis ante omnia sequi, nec nisi* cum virgula divina, *prævio* GRATIÆ *numine &* NATURÆ *lumine, tam inextricabilem Labyrinthum ingredi, inq;* illam tantùm arenam, in qua Naturæ & Sapientum vestigia relicta cernunt, *pedem fortiter figere.*

143. *Sapientum quidem scripta, quia Hieroglyphica & caliginosis Ænigmatum obscuritatibus referta, nec nisi ab Oedipo quodam & adepto Philosopho seu perfectissimo Naturæ-Consulto intelligi possunt, nunc mihi nō sumo explicanda: sed ad quam ipsi provocant, suaq; referunt omnia Naturam, ejus ut Magisterio Sapientum opus adumbrem, properò. Idq; non eo animo, quòd consummatam divinissimæ artis gloriam mihi arrogare, vel exquisitius singula definire velim; sed quod problematicè, & ἐν πλάτει proponere, quæ ad præsentem rem facere ratio dictitat.*

144. *Viden' ut internus Naturæ nostræ δυνάμις non ex quovis, sed sanguine in centuriis illis venularum epatis ex esculentis & potulentis concocto, tum nutriendo deperditam substantiam restituat, tum spermatosi genituram fœcundam elaboret? Inde enim semen sanguis esse concoctior, & sanguine partes ali dicuntur. Est igitur* sanguis non quidem *qui* nutrit aut generat, sed *qui* in nutrimentum & genituram facessere potest. *Quare potentiâ talis est; actuatur verò* ab igne naturæ, *separando heterogenea, & cogendo homogenea, id est,* solvendo & coagulando, *quod Paracelsus volebat, ablatisq; cruditatibus humidum cum sicco perfectè terminando.*

145. *Res est in propatulo; sed tamen juvat exspatiari in ipsam*

Naturæ Oeconomiam, ejusq; viva exempla intueri. Annè cernis per meatus biliares secerni, & in vesiculam fellis deponi φλόγιστον *illud sulphur; ex adverso à liene fœculentam recipi portionem, deniq; per papillas renum mamillares depluere incoagulabile serum immaturo sale Armoniaco refertum? Sanè sanguinis hæc est ab impurioribus excrementis catharsis; in quâ tamen non acquiescit Natura, sed magis magisq; depurat, donec* fœcundum elyxir, magni magisterii æmulum *perfecerit.*

146. Illius itaq; pars per cavæ ramum descendit, & recipitur in mirabiles vasorum spermaticorum mæandros, quibus tamdiu rotatur & concoquitur, dum dignum fiat trinæ illius & spiritualis essentiæ hospitium. Altera verò portio per tubulum ascendentem in dextram cordis cellulam fertur, calorisq; vi ita subtiliatur, ut per fibrosum dissepimentum in sinistrum sinum transudet. Ibi post debitam circulationem spiritualior reddita, partim per arterias disseminatur, partim per carotidas in cerebri rete elevatur atq; adeò exaltatur, ut ætheris naturam merè cælestem induat. Tandem convenienti pondere, numero & mensura, *in vasa spermatica ad corpus genituræ derivatur, quod mediante digestione amplectitur, animat, totiusq; Anatomiæ scientiis & signaturis informat, imbuit & impragnat.* Atq; hoc processu Spagyrus noster in Ovo philosophico unum Rebis, & prolificum naturæ lapidem conficere solet.

147. Ad hujus igitur imitationem decet omnes, quicunq; aurea Hesperidum poma captant, primùm Leonis Orientalis sanguinem, quem ex Rore cæli & pinguedine terræ conceptum, in maris mediterranei rivis Vesta Neptuno obstetricans excepit capere; tum à Realgare combustibili, Oceani salsedine & Tartareo cœno depurare: tandem familiari tepore prægnantem Latonam tantisper fovere, dum stupendarum virtutum geminos, masculum & fœminam excluserit. Vtrumq; tunc seorsim, & pro suo quemq; Genio decenter educare. Ac Dianam quidem, ubi proprio in Balneo crystallino lavarit, sapone sapientum dealba-

albaverit, & lacte virgineo ad consistentem usq; ætatem enutriverit, purpureâ stolâ, preciosisq; carbunculis, rubinis & corallis nitentem Germano suo Apollini despondere, & connubiali fœdere jungere. Hujus enim fœcundo semine ingravidata, postquam elapso mensium curriculo ignis cum aquâ in gratiam redierit, exoptatum illum tot votis, studiis & sumptibus Phœnicem, qui non sibi tantùm perpetuare vitam, sed & humanam prorogare valetudinem, & omnia entium perficere genera, vereq; aurea revocare valeat secula, pariet.

148. Atq; hic est ille balsamus Soterius, Huech Theodoton, elyxir vitæ, & restaurativum universale, quod datum & fundatum in naturâ hominum bono huc usq; confeci. Verè miraculum rei unius, *Theatrum secretorum, mysteriorum speculum, paradisus felicitatis, & arbor vitæ. cujus salutifero fructu quicunq; divinâ benignitate particeps factus est, promulsidem quandam æternæ beatitudinis hîc capit, spretisq; omnibus vel minis, vel illecebris mundi, uni Deo & proximi saluti mediis tranquillus in undis, vacare discit, ac ceu ἀποθεώσει quadam in cœlum ad angelorum consortium evectus esset, perpetim devoteq; cum Cherubin & Seraphin psallit:* SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS *Dominus Deus Zebaoth, cujus gloriosum nomen benedictum in secula.*

149. De usu tantæ Cœlidoniæ *importunus sim, si multum disputare velim. Quia enim ἄποιος est, εὔκρατος, mitis & blandissima, quæ nec ulla qualitate exuperat, nec deficit in necessariis, eam* & cuilibet & quovis morbi tempore, statu vel genere exhibeas licet. *Quia πάγχρηστος est; totiusq; naturæ opes per machinam mundanam dispersas, astraliter in invisibilibus suis thesauris concentratas continet, nulla potest esse tam rebellis aut sontica ægritudo, cui non vel unicum preciosissimæ istius Antidoti granum æquivalens sit, & πανάκειος εὐζωμος. Hæc nempe divina Ambrosia & Nectar est cœlestium: Sanguis Gorgonius à Pallade Æsculapio communicatus: Nepenthes Helenæ ἄχολόν τε κακῶν ἐπίληθον ἁπάντων: Moly Mercurii ad omnes morbos Vlyssi*

 tradi-

traditum, quo Phœbus Draconem extinxit, & Medæa Æsonem juventuti restituit: Basiliscus Philosophicus, qui repentè & instar fulguris consumit quicquid impuri vel heterogenei in Microcosmo: Sol deniq; cœlestis, qui radium vitalem influendo organa omnia renovat, sopitamq; naturam resuscitat, & balsamicâ suâ virtute omnem putrilaginem arcet, corruptelam aufert, cruditatem maturat, inq; sanitatis vigore ad fatalem usq; vitæ exodum hominem efficaciter conservat & tuetur.

150. *Itaque nullam hic indicationum perplexæ particularitates, contrarietates vel ordines sedem inveniunt, ubi eadem medicinâ omnium morborum consumptiones & resolutiones, omniumq; functionum regenerationes & corroborationes instituuntur. Neq; opus peculiari quodam & specifico vehiculo, quo ad partem adfectam deducatur & determinetur catholica nostra theriaca. Siquidem arctissimâ φιλοφρονήσει cùm Archeus balsamum hunc πολυπόθητον complectatur, ejusdemq; satis confortetur copiis, ipsemet sine ductu extraneo scientiarum virtutumq; suarum prædestinationes in quibuscunq; membrorũ astris explicet, deletisq; morborum tincturis in sanitatis signaturam eas transplantet, adeoq; secundæ valetudinis characterem in universam corporum astronomiam fortiter imprimat.*

151. *Veritatis istius fundamenta superius posui, eademq; simul opera, cùm rectum sui & obliqui judex sit, adversantium*, quibus immeritò se adjungit Rulandus Filius in Progymn. Alchem. quæst.51. *ratiunculas confutavi. Ad pauca enim respicientes, fieri non posse censent, cùm tot distinctæ morborum sint classes, unicâ ut profligentur omnes antidoto. Sed si Natura singulis ex æquo contrariatur, si non nisi functionum, calidiq; ἀδυναμία morbum constituit, errores verò & violentiæ corporum externæ ægritudinis genus transcendunt, rationem nullam video, cur* illa medicina, quæ Naturas ægritudinum curatrices ad sanationem & triumphum expedit, juvat & promovet; quæ omnem languorem tollit, virtutem reparat, robur

bur conciliat, & intestina dissensionis capita singula rescindit, non possit unica & catholica infirmitatum omnium dici Antidotus. Non *quidem* absolutè & primariò *quod sanet*, sed *quod* δυνάμει & ratione fundamenti, *quod est Natura; tum communem morborum formam cum sanitatis habitu permutare, tum causas quaslibet dissentaneas exterminare possit. Itaq. magis universalitatis & contrarietatis voculis ludunt, quàm ut validis argumentorum lacertis Hermeticos adoriantur.*

152. Vnicus Zuingerus Pater p. m. Hercules doctrinarum Germanicus verè admirabilis, *nervum causæ videtur tangere, quando ex analogiâ lapidis ad metalla imperfecta, de ejusdem ad corpora humana habitudine arguit. Ita enim* in Prosceniis Physiol. *ait:* Si lapis eo modo agit in hominem, quo in metalla; aliter verò præparatus requiritur ad Lunæ transmutationem, aliter ad metalla imperfecta, aliter ad Mercurii projectionem: certè neq; in omnes morbos æqualiter acturus videtur, sed pro diversâ morbi specie diversa etiam lapidis species erit necessaria. *Ecce quàm modestè hypotheticâ dubitatione opinationem suam profert, quam alii pro ratâ & certâ identidem ingeminant. Ne verò quis tanti viri authoritate temerè abutatur, pace beatissimorum Manium breviter respondebo.*

153. Videtur enim assumptum, quo lapis aliter pro Lunæ, aliter pro aliorum metallorum, vel mineralium transmutatione præparatus esse dicitur, non levi carere homonymia. Sunt Tincturæ quædam particulares, alia verò universalis. De illis, quod diversimodè ad tingendam cùm Lunam, tum Mercurium cæteraq. metalla præparentur, lubens concessero: de universalissimâ verò Mineralium Monarchia non facilè, nisi contrarium vel experientiæ suffragiis, vel Philosophorum testimoniis comprobetur. Hoc quidem largior, elyxir nostrum, ut metallorum lepram curet, & in Solis sphæram ignobiliores Planetas exaltet, prius fermentari debere Auro, ad hoc ut pervadat corpus Metalli, &

tingat in aurum. Nihil enim tingit, nisi tinctum. Cæterùm fermento hoc subactum cùm fuerit æquè in Lunam ac Saturnum, vel aliud Minerale pro rami aurei efflorescentiâ seminari posse, nullus dubito. Eadem projectionis ratio, eadem transmutationis efficacia. Et hinc & illinc germinat Aurum. Idem astrum, idem semen, idem fructus. *Igitur ut lapis Metallicus omnium metallorum corpora despumatis scoriis in aurum transformat: sic animalis corpora morbosa omnemq; binarii litem harmonicè componit, & sublato fomite ad concordiam Empedocleam, seu æqualitatem Physicam, & Monadem Philosophicam parili lege revocat, & amicè conformat.*

154. *Etsi verò tantæ Gazæ inventio nō minus abdita sit, quàm Moly illius Homerici, cui* nigra subest radix, lactisq; albedine flos est, *nec nisi Aquilinis Philosophis, qui multum in Gratiæ & Naturæ scholâ* orando & laborando *se exercuerunt, tandem se offerat: præstat tamen,* si non perficiendi spe, at experiendi voluntate *quousq;* DEI *munere datur, investigando contendere, quam fastidiosè, ceu quondam vulpecula moros & noctua Solem criminari. Quin si ea quæ Reipubl. magis profutura sunt, majori studio ab hominibus exquiri debet, sanè divina illa & sacratissima ars, quæ levandis naturæ humanæ incommodis,* penuriâ, inscitiâ, & morborum injuriis *operam gratam insumit, quàm maxima alacritate prosequenda fuerit. Nec enim somnolentis & oscitantibus, sed industriis & quærentibus sese spectandam demum exhibet. Et quidem facilius, quàm qui sui ingenii nequissimi sunt decoctores, vel iniquissimi Naturæ contemptores.*

155. *Itaq; queis de meliore luto finxit præcordia Titan, & præter expeditam judicii bonitatem, apodicticam rerum naturalium cognitionem concessit Pyrotechnia, unum hoc omnibus ingenii nervis agant, licet. At qui minorum gentium sumus, ita studia nostra temperare decet, ut si fortè Penelopes favore cadere nos contingat, famularum tamen & familiarium Venerum* ἀθλήματα *experiri, iisq; suaviter frui sci possimus. Cogitemus Tullianum illud, prima sequentes honestum esse*

in

in secundis tertiisq; consistere. Nec pusillanimitate nimia, quod optimum vel difficilimum statim desperandum, nec quod ab hoc recedit contemnendum esse. Cùm in rebus præstantibus illa habeantur optima, quæ optimis sunt proxima.

156. Et verò tantas Deus in terræ præsertim gremio recondidit pharmacoporum opes, ut si solers artifex accedat, qui ritè explicare nôrit, mirifica actionum fertilitate conspicuas balsamicæ scientiæ rationes in Microcosmico theatro edant, vitalibusq; potestatibus catholicæ medicinæ si non æquant, attamen æmulentur, & proximè referant vires. Exemplo sit antimonium, cujus lilium *tam multiplici balsami virtute viget, ut plurium morborum radices pœnè solum extirpet. Ejus* Arcanum, *quasvis impuritates Tartareas pro Naturæ instinctu, modò per secessum, modò per vomitum, nunc per urinam, nunc per poros expellit. Longè verò efficacius, ceu quædam indomiti Herculis clava easdem vitale* Mercurii astrum *exterminat, ut nihil dicam de Sole, Saturno, Vitriolo, cæterisq; mineralium & gemmarum magisteriis, quibus cum omnis generis dolores sopiri, tùm venena extingui, sanguinem irradiari, mumiam refici, morborumq; radices averruncari cotidiana fidem facit experientia.*

157. Hæc igitur vigiliis nostris comparata, sin imbelli vulgarium medicamentorum turbæ, ceu duces & signiferos ad methodi particularis arbitrium præfecerimus, non jam truculenta Podagræ *tormenta, non* Epilepsiæ *tonitrua, non* Hydropis *grandines, non* Catharrorum *imbres, non* Cancrorum *scuta,* Herpetis *ignem, aut abominabiles* Lepræ *formidabimus Eumenides: sed impavidè quarumvis ægritudinum, dummodò seminali parentum labe, aut invicta fatorum lege non teneantur, tum resistemus injuriis, tum ex elementalibus Microcosmi globis propulsabimus copias.*

158. Aciem disponet, pugnamq; instruet specialior medicandi ratio. Πολύχρηστα *namq; ut sint; ad particularium tamen cùm inclinent remediorum classem, à particulari quoq; Methodo leges accipiunt. Unicum*

cum hoc mihi peragendum restat, ut postquam primam & potissimam ἔνδειξιν προσθετικὴν *absolvi,* ἀφαιρετικῆς *quoq́; διεξοδικῶς, quæ fastidiosam indicationum prolem, debilitates, extremitates, & implacabilem repugnantiam admittit, rationes* ἐν τύπῳ *colligam.*

159. Quemadmodum enim bonus Imperator non semper aperto Marte, collatis signis cum hoste decernit; sed quandoq́; Leoninæ vires si desint, fraudibus vulpinis *inimicorum machinas eludit, nunc distrahendo robur, præcidendo commeatum, excludendo vias; nunc muniendo castra, & quæ sexcenta sunt hujusmodi stratagemata alia: Ita medicus, si Lare Tutelari magni illius Sapientum Magisterii defraudetur, non protinus despondere debet animum; sed ad versutiam & technas se componere, quibus tandem naturam gravi molestiaq́; morborum mole pressam exonerare, & ad triumphum utcunque expedire possit.*

160. Id verò docet altera indicationis species, methodus ἀφαιρετικὴ, quæ potentiam sanativam ab impedimentis liberando ad actum promovet. *Non enim rectâ, ut prior via ad sanandum progreditur; sed quasi per ambages & anfractus,* mediante causarum noxiarum *sive antecedentes, sive continentes eæ sint*, remotione therapiam exorditur, *quò morbosis compedibus & injuriis relevata corporum natura vires suas recolligat, memorabiliq́; hostium clade sese potenter exerat & manifestet.*

161. Finis quem intendit, *est morbi causarumq́; omnium quæ sanationem vel remorantur, vel impediunt ablatio.* Finis cui, *seu indicans, quod quiritando* βοήθημα *istud sibi postulat, est* natura præpedita vel injuriis stimulata: *Igitur* non *cujuscunq́; generis* ἀφαιρετικὰ, *aut* simpliciter morbos pellentia: sed auxiliaria, *juvativa, conferentia, utilia, quæq́; naturæ conveniunt,* hîc quæruntur remedia, *videturq́; aliud in hisce præsidiis* generis *vel* materiæ *locum occupare, aliud* formæ *vices gerere.* Materiæ, *ipsius etiam Galeni judicio,* l. 11. meth. med. 3. *respondet id, quod tollit morbosas causas; at quâ*

ex

ex virtutis sanativæ usu & bono tollit, formæ *rationem obtinet.* Auxilia *enim* tum demum fiunt, *id est, formam suam induunt,* quando naturæ opem ferunt medicamenta.

162. Auferentium genera & classes constituunt causæ molestantes, quo sensu rectè scriptum: tot esse distinctas medelas, quot sunt morborum ideæ, 2. meth. med. 6. *Sed conferentis rationes præscribit & determinat ipsum indicans, natura videlicet corporum sanabilium. Hinc adeò sæpè Galenus medicum hortatur, alterutro semper oculo cum morbis, tum viribus attentum esse; illis quidem ut ex humanâ provinciâ depellat, hisce, ut opituletur, & gratam salutaremq; operam præstet. Atq; ratione καὶ τρόπῳ τῆς ἐπιστήμης, ut hæc distincta sint,* usu *tamen* & opere semper conjungenda *veniunt iis, qui non per Syrtes & scopulos; sed plenis velis rectoq; tramite ex turbinosis procellis ad quietum sanitatis portum navigia sua maturant.* Neq; enim vires simpliciter, multò minùs morbus; sed virtus hac vel illâ causâ præpedita, tale vel simile expediens, relaxans vel removens auxilium efflagitat.

163. De generibus removentium prior erit sermo: *tum, quatenus naturæ accepta. Debent autem illa communiter morbis esse opposita, non quidem materialiter & absolutè considerando. Ita enim sæpissimè, solo purgantium documento, concordant: sed effectivè & causaliter, quoad ipsos ex corpore recedere faciunt. Oppositorum verò tot classes, quot causarum præternaturalium. Siquidem uni non nisi unum contrariatur. Ex causis aliæ* toto genere, *aliæ* qualitate, *aliæ* quantitate, *aliæ* motu, *aliæ* situ *offendunt. Idq; vel una vel pluribus rationibus, disjunctim vel complicatè, iisdem vel diversis aut adversis generibus.*

164. Toto genere *dicuntur lædere quæcunq; prorsus & secundum omne entis genus à naturâ recesserunt. Vt sunt ex contentis, venena, humores corrupti, vermes, calculi, mola, pila plumbea, &c.* Ex *continentibus, ossa carnesq; putrefactæ vel luxuriantes in Gangræna, sphacelo,*

celo, verrucis, &c. Atq; hæc παντελῶς [illegible] *eradicari debent. Propterea quòd ad integritatem corporis nullâ arte, nullis viribus unquam reduci possint.*

165. Venena, δηλητήρια, φάρμακα, *quæ naturali dissidio nobis mortem intentant, à Methodi luce, ad Empiriæ tenebras condemnat Galenus*, l. 12. meth. med. 5. in Meth. 6. 5. simpl. 24. *Causa, quia merè occultis telis insidias vitæ struunt; nec ratione præveniri possunt, sed experimentis. Methodus autem est ex notioribus. Nimirum latent animos temperatos, illudunt curiosos. Sed an propterea rationis nullus usus? Et cujus tandem rei forma exactè nobis cognita? Sat est, si per* πειράσεως *& ex effectis in aliqualem efficientis cognitionem veniamus. Eleganter Hippocr.* l. de arte: *in manifestis morbis* δεῖ εὐπορεῖν τέχνην; *sed non propterea in minus manifestis* ἀπορεῖν. *Et quid est, quod Galenus Theriacam non temerè Empiricorum more, sed optima ratione Neroni ab Andromacho Cretense confectam esse scribit? Quid; quod Anarzabæus* l. 6. mater. med. *non planè cæcas venenorum esse rationes, contra Empiricos disputat? Ecce, & venenorum, & alexipharmacorum quadantenus nobis constant rationes. Quare ex Methodi non omninò proscribenda confiniis.*

166. Sed tamen experientia ducat exercitus medicinarum, ratio quantum potest sequatur & informet. Ac venenorum omnium proprium cùm sit naturam partium corrumpere, videntur id vel suffocando calorem, *vel* dissipando, *vel* utroq; modo *perficere. Suffocant, quæ strangulant, congelant aut constringunt, vulgo frigida dicta. Dissipant, quæ substantiam calidi spirituosam exsolvunt, humidumq; resolvunt, communiter calida & septica vocata. Hisce igitur in contrarium veniet medicus illic excitando, hic colligendo spiritus terminandoq; principia, non cujusvis quidem generis remediis; sed* alexiteriis, *& quidem* specificis.

167. Videntur enim alia mage sulphurum, alia salium, alia Mercurii proprietates æmulari: Atq; ex his alia Igneum, alia Aëreum,

alia

alia Aqueum, alia Terreum elementum referre. Per clementum Astrale, non sterile corpus *intelligendo.* Sulphurea *plerumq; totum corpus accendunt, caput replent, in anthraces abeunt.* Mercurialia *universum pervolitant, enervant, resolvunt, & in bubones vel maculas petechiales desinunt.* Salina *putrefaciendo, puncturis & excretionibus se prodant. Semina & astra elementorum, naturas & proprietates matricum imitantur, fereq; ex agendi celeritate innotescunt.* Ignea *instar fulguris de subitò penetrant, feriunt & prosternunt. Proximè ab his* Aërea *mortem accelerant. Adhuc remissius agunt* Aquea. *Omnium lentissimè progrediuntur* Terrea.

168. Rursus alia aliorum Planetarum indolem sapiunt, diversisq; partibus corporis adversantur. Hæc cordi, illa cerebro, ista pulmonibus, alia vesicæ, alia aliis membris bellum præcipuè indicunt: Quæ singula ideò distinctè nosse oportet, ut congenere & convenienti Antidoto contra quodvis venenum militemus. Qualis *enim* veneni species, talis *etiam* remedii. *Siquidem agentia symbolo quodam & genere convenire debeant. Igneo itaq; vel sulphureo deleterio, igneum etiam vel sulphureum, non terreum, non aqueum aut Mercuriale competit Alexiterium, & sic de cæteris.*

169. Potissima indicatio est, ut principio quod, & secundum quòd affligitur roborato, *extemplo vel* virulentiam, *vel* substantiam veneni *auferamus. Quia enim nullas concedunt inducias, nihil quoq; cunctandum. Medicus hîc sit ex Alexandri M. scito:* μηδὲν ἀναβαλλόμενος: *Quòd vitalem provinciam cùm jam occuparint venena, difficulter cedant remediis, & satius multò sit prævenire, dumq; in herbâ sunt resecare, quàm præveniri, quæq; validas radices egerunt extirpare.*

170. Adimunt *autem* virus *venenosis, quæ benignitate suâ ferociam illorum compescunt, cicurant ac quasi transplantant. Hujus generis sunt* Bezoardica *ex observatione comperta. Ac hospitantur hæc ferè in iisdem domiciliis, in quibus ipsa venena. Sic serpentum,*

 bufo-

bufonum pulvis, canis rabidi sanguis vel jecur tostum propriam suam virulentiam hebetant comesta. Sic in caudâ cervi, capite felis, radio turturis marinæ est virus, in aliis partibus virtus residet alexicaca. Imò fuerunt, qui in ipsis bubonibus pestilentibus pestis repererunt antipharmacum. Adeoq; nihil crediderim esse in universo, quod congenitam antidotum non habeat, modò sagax Physiognomon & solers Anatomicus à corrumpentibus tincturis integrum separare nôrit, de quo videris Crollium in Præfat. Basilicæ.

171. Substantiam venenosam *evacuant, quæ vel proliciunt eam, & extrahunt; vel concitatâ expultricis facultate ejiciunt deturbantq;.* Extrahunt quæ à totâ substantiâ *dicuntur esse* familiaria. *Simile enim libenter exit ad simile, & ex peregrino in congeneum migrat diversorium. Exemplis abundat totus mundus, quæ experientia duce ars signata, & Physica Anatomia stabilit. Ita viperæ, vespæ, scorpiones suum extrahunt venenum, ut magnes ferrum, Galeni,* l. 1. de natur. facult. & 5. simpl. *sententia, sin exteriùs vulneri vel emunctorio convenienti applicentur. Ita gallinæ, anates, ciconiæ,* quia venenosis pascuntur, *bufones, arsenicum, homogeneum suum virus è corpore proliciunt. Atq; hinc Mercurialia periapta, Xenechda Paracelsistarum ortum suum trahunt, quæ ut genere peccent; ad speciem tamen si commodè & methodicè traducantur, omne punctum laudabilis ferent amuleti & antidoti. Cucurbitularum, frictionum rarò ad hanc rem felix usus.*

172. Expellunt venenum, *quæ naturæ impetu fomitem ejiciunt. Et quidem in primis viis (ut quando pharmaca φθαρτικὰ ex insidiis vel incuria propinata) sin hæreat, exturbant tum Emetica, tum quæ alvum sollicitant. Si in venenoso genere, tum Vretica, tum inprimis Diaphoretica, quæ tamen Bezoardicorum gustum referant, & naturæ adflictæ insimul Favoniam auram adspirent. Proui veneni indoles singula hæc determinat.*

173. Vltimò tandem & quasi postliminiò huc facere videntur,

quæ

quæ ſymptomata vehementia demulcent, vires refocillant, ſpiritus regenerant, ardorem extinguunt; dolores ſopiunt, acredinem temperant, omnesq́; turbas in Republ. vitali exortas compeſcunt. Quamvis enim venenoſitatem non auferant, tamen dum naturæ, ut ſeſe recolligat, & fortius audaciusq́; hoſtem adoriatur, inducias quaſdam parant, non nihil ad curam facere poſſunt. Itaq; primam veneni, ut exhauriatur redintegratis viribus, alteram demum & velut accidentariam accidentium, quæ ſequuntur, decet habere rationem, eâ cautione, ut ſpecialia ſpeciebus, ſimplicia ſimplicibus, apteq́; & convenienter ſingula ſingulis accommodentur, quo Natura victrix imperium ſuum recuperare, & incolumis evadere poſſit.

174. *Veneficia* φαρμακευτείων, *quia pleraq; legitimam naturæ liturgiam aſpernantur, neq; à naturâ, neq; à naturali medico, ceu extoria* εὐλόγως *tractari poſſunt. Quicquid ſcriptitet* Paracelſus in philoſophiâ ſagaci, Archidox.&c. Cardan. l. 18. de mirabilib. Joh. Baptiſt. Porta, l. 2. Mag. natur. Carrichter. Wierus aliiq;, *nec ratione cognoſci, nec curari poſſunt. Alexiteria, quibus Iac. Aubertus* exerc. 41. ad Fernel. *palmam tribuit, ferè ignava & imbellia comperta ſunt. Characteriſtica verò quæ certis anni temporibus, ſigniferi rotationibus ad quorundam verborum obmurmurationem concinnant ſagæ ſæpè incerta, ut plurimùm ſuperſtitioſa. Quare cùm Dei permiſſu* per imprecationes *plerumq; à ſacrilegis Lamiis infligâtur, ac* puſillanimitate *quadã contrahantur, & Chriſtianiſmi & Methodi noſtræ legibus conveniens eſt, ut* ardentium precum & ingentis fidei *(quibus omnia maleficia eluduntur) antidotũ, machinamentis ejuſmodi Diabolicis opponamus. Potens enim Deus noſter eſt, ſolo nutu abſq; compendinatione omnem vafriciem Sathanæ, omnia latrocinia ſtrigum compeſcere. Huc igitur magno animo, magnâ fide & devotione potius confugiamus, quàm ad ridiculas anicularum capularium expiationes, aut ſuperſtitioſas deliraſq́; Dæmoniacorum obſervationes. Quod ſi tamen per* ſymbolum *aliquod ceu medium conſtiterit nos intoxicatos,*

 illud

illud removeamus *salvâ conscientiâ licet. Solent enim cum illis etiam cessare & evanescere maleficia.*

175. Ex humoribus corruptis seu præternaturalibus, quicquid disputet Mercurial. de venen. l.1.c.14. *alii venenosum* ᾗ *δυνάμει habitum referunt,* Gal. 6. de loc. affect. 5.3. Epidem. com. 3. 6. Epid. com. 2. & 6.1. Prorethic. com. 2. *quos mali moris vocant: alii sulphurum ardentium, fæcum Tartarearum, salium æruginosorum, vitriolatorum, aluminosorum, Martialium similiúmve sapiunt naturam; & dicuntur Hermeticis, barbaro vocabulo barbariem humorum istorum exprimere volentibus barbarisati. Dogmatici pituitam salsam, acidam aut vitream, bilem vitellinam, porraceam, æruginosam, glasteam, adustam, atratamq́ nominant. Verum haud discrepant à se invicem, nisi litterali sono. Spagyrici namq́* Hippocratis l. de veteri med. præcepto *respicientes ad id, quod in succis est potentius, ut amarum, salsum, acerbum, ipsas potius δυνάμεις, utpote quibus ratio nocendi debetur, analogicis expresserunt vocibus: Galenici verò pro more suo easdem non nisi in matricibus suis, subjectis & vehiculis considerant; ideoq́* non quod *in iis* formale aut virtuale est abstractivè; sed integrum suppositum *phraseologiâ suâ significant.*

176. Ac debent quidem impuritates istæ omnes, quia ab integritate corporis ita recesserunt, ut concoqui & nutrire nos non amplius possint, ex naturæ agro planè averruncari. In hunc enim finem tot ἄνω ᾗ κάτω purgantia, tot Diaphoretica, Diuretica, Errhina, masticatoria, quæ camarinam illam opportunis locis educerent, ab artificibus inventa sunt. Quæ verò deleteriam sibi asciverunt facultatem, communi cum cæteris venenis lege Bezoardicis præterea *expugnandæ sunt medicinis.*

177. Eodem censu ex Anatomiâ corporis proscribuntur, calculi qui in diversis ejusdem provinciis concrescere solent, vermes omnis generis, carnes emortuæ vel luxuriantes, ossa carie consumpta, mola, aliaq́ gravaminum eorundem inutilia pondera, quæ præterquam quòd usum

usum nullum præstare possunt, actionum quoque convenientium nocumenta sunt & impedimenta. Particulares eorum rationes & curationes tradunt Practici, illi qui à capite ad calcem singulorum morborum methodum therapeuticam scripserunt. Meum est, summa tantùm genera indicare.

178. *Atq; ut simili tenore reliqua læsionum genera breviter percurram: Quæcunq; qualitatibus primis secundisq; præter naturam afficiunt, ea suis contemperanda mutandaq; contrariis. Quamvis enim alias noxæ istæ plerumq; sequantur causas; est tamen ubi* necessariò quoq; respiciendæ. *Huc facit catalogus calefacientium, refrigerantium, attenuantium, incrassantium, resolventium, coagulantium, emollientium, indurantium, abstergentium, aperientium, adstringentium, lubricantium, lævigantium, exasperantium, & quæcunque vitiosam figuram qualitatemq; emendare & corrigere possunt. Triumphat hisce meritò Methodus Galenica, eaq; iterum in suas classes seu gradus, mansionesq; graduum accuratè dispescit.*

179. *In quanto peccat tum continens, tum contentum. Ac* continens *quidem tum continuitate, tum numero.* Continuitate: *ut si partes, quæ non debent coalescant concrescantq;, & tum dividendæ; vel hient nimis, aut divisæ sint, sic uniendæ; aut intumescant, sic minuendæ.* Numero: *ut si abundet aliqua pars, quæ demenda: Sed hæc aut rarò accidunt, aut rarissimè curantur. Frequentissima sunt* contentorum *in excessu* vitia. *Suntq; tum* vapores, *tum* humores. *Vapores consumendi tum discutientibus, tum evacuantibus. Humores sunt succi tum euchymi, tum naturales excrementicii, qui aliàs secundum naturam corpori cùm insint, solâ copiâ molestant. Succus euchymus est sanguis cætera laudabilis, sed* præter virium rationem, *vel* vasorum conditionem *luxurians. Dicitur* πληθώρα *propriè, quam Medicus Ostracismo quodã vel Petalismo ex civitate humanâ proscribere, &* ut æqualitas civium Microcosmi rythmica *conservetur, nunc phlebotomiâ, si nimis excedat; nunc scarificatione vel inediâ, si*

minus

minus abundet, eliminare debet. Naturales excrementicii sunt, qui multiplici illa coctionum varietate ex superfluis alimentorum in corpore colliguntur, detinentur & cumulantur, ut sunt fæces alvi, serum sanguinis, bilis pituita, &c. quæ eccoproticis dictis, minorativis, cholagogis, hydroticis similibusq́; ex suis receptaculis provocanda sunt.

180. Motu peccat materia, quæ præter naturam & morbificè in partem aliquam fertur. Hic itaq; tum mobile, tum motus considerandus. Mobile *est materia liquida vel vaporosa.* Liquida *est humor tenuis, ut in catharris.* Vaporosa *sunt spiritus ebullientes, ut in paroxysmis febrilibus, hystericis, colicâ paresi. Hisce igitur coaguli frenum injiciendum, omnesq́; volatilitatis alæ præcidendæ sunt.* Motus; *quia præter naturam, ilico compescendus inhibendusq́;, præsertim si ad partem aliquam nobilem, & cum impetu fiat. Illud autem perficitur cum retrahentibus, tum derivantibus, intercipientibus & repellentibus.* Retrahunt quæ in contrarium *sive κατ' ἴξιν & ἐυθυωρίαν Hippocraticam* ad loca distantia & ignobiliora statim in principio fluxionis *revellunt.* Intercipiunt *quæ vias meatusq́;, per quos fertur, angustant & præcludunt.* Derivant *quæ* ad vicina declinantem *materiam distrahunt.* Repellunt, *quæ partem roborant, ut vel propulset, vel non admittat noxam. Inprimis verò hic distinguenda Critica naturæ expulsio per commoda, & ad commoda loca, ut ad inguina, pone aures, cutem, à symptomatica: Ne ab habitu & ignobilioribus emunctoriis in centrum corporis ad principale quoddam viscus maligniorem revocemus materiam, & quem salvare debebamus temeritate nostra pessundemus ægrum.*

181. Restat ultimum materiæ delictum in situ vel locali existentia. v. g. Si calculus, grumúsve sanguinis obstruat os vesicæ vel ureteres; si pellicula quæ suffusionis causa, visionem impediat. Quamvis enim hæc toto genere etiam lædant, ut eradicari propterea debeant: tamen cum ratione localis subsistentiæ quoq; officiant, nec removeri semper radicitus queant, saltim loco hoc moveri vel transponi debent. Atq;

huc

huc etiam pertinere videntur membrorum dislocationes, quas cùm externa vis intulerit, nō nisi eadem restituere potest. Vbi reposita fuerint, reliquum mali natura vel sola si fortis sit, vel artis ope si debilis profligat, & ad integritatem reducit.

182. Et sic materiale seu genericum removentium auxiliorum perstrinxi: superest ut formale, quatenus nimirum virtuti sanativæ ad actum manifestandum conferunt, *breviter subjungam. Quia enim absolutè considerata indifferenter sese ad nocendum & juvandum habent, quòd & naturam corporis nostri utplurimùm vitient, & vires deprædentur, ὁρμητήρια tantùm sunt & carceres, unde methodus medendi proficiscitur,* 3. meth. med. 1. *artis verò juvantisq; rationem aut nullam aut perexiguam & valdè impropriam obtinent, nisi à viribus subjecti sanabilis, quæ solæ indicant,* solę gratiam & amabilitatem omnibus mediis conciliant, *eandem acceptent & sortiantur.*

183. Ac ad sanandum quidem, restituendaq; omnia, quæ homini secundum naturam conveniunt, cùm præsidia medica comparata esse deceat, illa de genere auferentium subsidiorum ex optimis fuerint, quæ ad naturalem constitutionem, & balsamicæ universalis medicinæ decantatas opes proximè concedunt. Propterea enim & Hippocrates in l. de alimentis, *& Galenus passim* alimenta medicamentosa, *utpote non minus substantiæ corporum confinia, quàm morbis opposita, tantoperè commendant. Verum quia perdifficile est, semper ejusmodi auxilia reperire, quæ citra aliquam noxam magnificè prosunt*, Galen. 8. meth. med. *necessitate quadam ad illa sæpè compellimur remedia, quæ dum à vinculis morbosis præpeditam functionem relaxant; parum duntaxat & leviter corpus affligunt.*

184. Eum in finem cùm vires, *tum* quæcunq; secundum naturam subjecto sanabili congruunt, *examinanda sunt, ut quantum fieri potest iis faventer indulgeamus, nec minus citò jucundeq;, quàm tutò ab injuriis calamitosis vindicemus.* Illæ namq; communi-

Dd *ter*

ter auxilii formam medicaminibus auferentibus vel largiuntur & imponunt, si tanquam salutaria recipiant; vel derogant, sin ut turbulenta nimis truculentaq; fastidiant. (Aliâs contraindicare vel repugnare, & permittere seu consentire vocant.) Ista *verò latitudinem juvantis ad certum individuum partemq; laborantem, cum non species aut genus, sed Socrates hoc membro morboq; ægrotans medico curandus veniat, restringunt & determinant, atq; ut medicamentum specificum vel appropriatum evadat, efficiunt.*

185. Virium *ad medicinæ vehementiam ponderandum est robur, non* præsens *tantùm; sed & quale post medicationem* futurum. *Nam si majorem virtuti cladem adferat, quàm vel emolumenti, vel ut recuperari possit, omninò fugienda fuerit: At si plus commodi, quàm intertrimenti, studiosè prosequenda. Vires igitur sunt vel robustæ, vel debiles. Sin robustæ, constantes & validæ, quia validius resistunt & facilius, ut dissipentur reparari queunt, validiores quoq; medicinas perferre possunt. At si* resolutâ, exhaustâ consumptâq; substantiâ spirituosâ vacillent *titubentq;, non sine grandi periculo, quæ multum commovent, aut confertim evacuant, administrare licet. Metus enim ne æger prius ex vita, quàm morbus ex corpore decedat. Præstat itaq; tali casu vires, quarum causa singula peragi debent,* 10. meth. med. 9. *alimentosis & balsamicis confortare ac refocillare pharmacis, aut saltim remissius alterare; quam fortibus funestisq; mediis nutantes præcipitare.*

186. Verùm distinguere oportet duplicem *istius* languoris causam. *Vel enim cespitare videntur*, quia exhaustæ *defatigatæq;, vel* quia copiâ, mole & inutili mineræ morbificæ pondere premuntur, *quoq; minus exerere se possint & explicare vinciuntur ac sopiuntur. De illis indicium jam feci esse potius balsamicis revocandas, quàm solutivis dissipandas. Istas verò tantùm abest subitanea copiosaq; damnosi evacuatione offendi, ut potius exoneratæ confestim robur sibi sumant. Itaq; quod de Cæsare Suetonius*: dubium *esse* in obeun-

dis

dis expeditionibus, cautiorné an audacior fuerit, *medicus hic exprimat, & postquam causam lapsus prudens invenerit, animosus & intrepidus eandem aggredi & expungere, durumq́; nodum duro ἐπιχειρήματι frangere ne dubitet. Remotis namq; impedimentis sponte sua efflorescent, quod in Lethargo, apoplexiis, catharris suffocativis, febribus malignis, &c. frequenter est animadvertere. Hic enim cùm facultas ferè suppressa sepultaq; sit, sæpè tamen post inania leviorum irritamentorum terriculamenta ad potentis clysmatis aut vehementis emetici (cujus solum nomen quidam improvidè horrent) stimulos, ἐκ μηχανῆς visa est exuscitari & resurgere.*

187. Ad vires autem vel augendas vel minuendas, aut saltim cognoscendas, quia plurimum faciunt Natio, sexus, ætas, regio, aëris, cœliq; status, anni & morbi tempora, *istorum quoq; vota colligenda sunt: & quidem si coindicent & amicè conspirent in idem auxilium audacter illud exequendum; sin verò correpugnent & dissentiant, prout dignitate numeróve prævalent limitandū castigandumq́; venit. v. g. Hominem Germanum virili ætate sexuq́; aëre cœloq́; sudo, tempore verno liberalius evacuare licet, quàm vel Hispanum, vel fœminam, puerum, senemvé, vel eundem etiam fervidiore sub Sole, soloq́; in alieno versantem. Ratio: quia ille minus à purgatione læditur, & quod robustior sit, facilius injuriàs quasvis tolerat & exuperat: cùm isti contra, quia plerumq; minus constant viribus, æquè citiùs exsolvantur & flaccescant. Atq; hinc ortum suum famosa illa & præclarissimorum ingeniorum commentationibus nobilitata trahit quæstio: Vtrum pueris infra 14. ætatis annum phlebotomia ex usu sit, acutis & vehementibus ex sanguine morbis corripi si contingat. Etsi verò quorundam sanguinolentiam, qui cujusvis ægritudinis magnitudinem secta vena minuere cupiunt, non probem, nihil tamen prohibet, quin hac in controversia cum Augenio contra Massariam faciam; prout ille seipsum* cùm in Tomis epistolarum medicinalium, tum in l. de sanguinis missione *explicat.*

188. Porrò cùm eorum, quæ secundum naturam hominibus accidunt, plura sint, quàm ut huc referri possint, sufficiet modò præcipua cum de individuali proprietate nativaq; constitutione, tum de specialissima loci affecti indicatione commemorare: ac tandem quæ ad legitimum inventorum juvaminùm usum scitu maximè necessaria videbuntur ἐν συνόψει subjicere.

189. Individualis proprietas, *quam Græci ἰδιοσυγκρισίαν, ἀπὸ τοῦ συγκρίνειν (docente Critices Philosophicæ Antesignano, Dn. Goclenio) vocarunt, consideranda ratione ineffabilis illius & miraculosæ συμπαθείας vel ἀντιπαθείας, ob quam alii alia præter omnem rationem exhorrent & abominantur. Quidam cibos εὐπέπτους difficilimè concoquunt. Difficilius alii vinum, alii lac, alii cæpas, alii caseum ferunt. Alios mentha sola fragrantiâ fatigat, alios poma solo adspectu. Nonnullis solo cathartici odore alvus turbatur. Quibusdam minima Rhabarbari, Mannævè dosis animam penè effundit, quos valentissima scammoneata, antimoniataq; vix commovere poterant. Ac variè cùm ludat in his rebus natura volubilis, subinde monemur, ne temeritate magis, quàm accurato consilio ad medicandum festinemus,* semperq; potiorem *cum Scipione* servati civis, quàm cæsi hostis gloriam *reputemus.*

190. Cæterùm quia individualium, quæ corruptioni subjecta & infinita sunt, nulla datur scientia. Aristot. 1. post. t. 21. 1. Phys. t. 10. *tamq; abstrusæ proprietatum sunt rationes, ut vix mente comprehendi possint, debemus non quidem cum Avenroe despondere animum; sed ut* omnes qualitatum accidentiumq; tabulas ad minimam usque colligat, evidentesq; similitudines & dissimilitudines ad amussim à primo ortu comportet componere. Hippocr. sect. 3. l. 6. de morb. popular. *§. 16. Hac enim artificiosa conjectura, si non intima subjecti nostri penetralia perdiscere, sufficientem tamen & aliqualem illius nobis comparare cognitionem poterimus.*

191. A teneris igitur unguiculis, si ex longa conversatione, quod

quod optat Galenus 2. meth. med. 7. *non nôrit laborantis naturam, examen omnium auspicetur medicus, & perquirat de* educatione, consortio, parentibus, victu & sex rerum non naturalium usu, de studiis, pharmacia & chirurgia quibusq; tum corripi morbis, tum curari remediis assueverit, quomodo tulerit, quaque ratione evaserit. *In singulis quicquid peculiare occurret, memoriæ tradat. Advertat ad* inclinationem tum naturalem, tum voluntariam, *quæ* imaginationem *secum trahit. Inprimis autem* consuetudinem *notet, & num* habitualis, *an* superficialis, recens an vetusta, nativa an acquisita vel coacta sit, *observet. In naturam enim cùm multum frequentata abierit, non facile confertimq; in contrarium mutanda; sed vel paulatim corrigenda vel continuanda,* quod Hippocratis oracula, l.1. §.2.17.13.14.15.16.18. l.2. §.38.50. l.3. §.1.2. & seqq. l.6. §.47. Galeniq; commentaria docent, *fuerit. Ita fiet, ut si non semper prosit, juvetq;, nunquam tamen noceat, aut levissimè saltim delinquat.*

192. *Restat* partis, *quæ ex morbo laborat, consideratio. Ejus indicationem tanti fecit Galenus, ut primam omnium (ratione operis) statueret,* 3. meth. med. 9. *dignamq; cui sex integros libros de locis affectis conscriberet, quòd sine illius doctrina facile quis Medicinam non sex mensibus, sed totidem diebus addiscere posset,* 13. meth. med. c. 20. *Desiderat autem hæc auxilium appropriatum, id est, quod à proprietate substantiæ membrum illud, quod in querela est, respiciat. Huc pertinent* vehicula, *quæ ad locum adfectum vim medicamentosam devehunt, ut Cardiaca ad cor, Nephritica ad renes, Hysterica ad uterum, Arthritica ad articulos, &c. quibus in omni particulari curatione, ne aliud quàm quod ægrotat sanare velle videamur, necessariò indigemus.*

193. *Ex his verò cùm alia infesta molestaq; sint partibus, alia grata & familiaria: illa quidem vel negligere, vel limitare, veluti in uteri (cujus semper maximi facienda est ratio) passionibus odorata, capitis affectibus gummata, lacticinia quaeq; caput replent, &c; Ista verò*

 adfe-

adfectare suaserim. Cùm eadem de causa & Hermetici sua specifica, quæ astralem corporum virtutem cùm roborare, tum excitare fovereq́ solent, & Galenici passim in morbis cerebri gallinarum aliarumq́ avium cerebella, epilepticis crania masculina masculis, fœminina fœminis, pulmones vulpis erinaceiq́ pulmoniacis, interiorem ventriculi gallinarum mergorumq́ tunicam stomachicis, hepata vitulina, lupina hepaticis, intestina excrementaq́ lupina, canina suillavé colicis doloribus, usta hominis ossa pro ossibus, quaq́ à totius substantiæ similitudine juvare possunt, tantoperè commendent.

194. Idq́ cùm in omnibus partibus, tum in nobilioribus præcipuè visceribus locum habere velim. Horum enim officium cùm latè sese per corpus fundat & ad vitæ munia extendat, inprimis blando naturæq́ consentaneo remedio firmari debent: ne resolutis fibris ac robore, intereant. Hinc perpetua lege ab iis medicinis, quæ vel confertim evacuant, vel plurimum relaxant *& aperiunt abstinere,* 7. meth. med. 13. *contrà suavi adstringentium, ut aloes, rosarum, &c. miscellâ tonum membri totius gubernacula tenentis servare & roborare præcipiunt. Istud enim in stomachi, v. g. vel epatis inflammati cura negligentes, ad unum ægros omnes occidere, atq́ ad interitum adigere: prout Methodicorum ἀπειρία* in 8. de compos. medic. secund. loca, *& Theagenis Philosophi Cynici perperàm ab Attalo curati sinistro fato,* 13. meth. med. 14. *testatur Galenus, & unanimi consensu subscribunt Pragmatici.*

195. Sed & temperiei nativæ *& cæterarum qualitatum, ut* mollitiei, raritatis & teneritudinis *(in quibus enodandis prolixus satis præter alios Pernumia, l. 2. de arte curand.) non spernenda consilia: Tum verò* partium quoq; connexio, situs & *ἐναιθησία perpendenda fuerit. Illa ne dum laboranti suppetias ferimus intermediam aut vicinam regionem devastemus, id quod in fœminis inprimis, propter uterum, menses & ingravidationem studiosè cavendum est. Iste verò, ut si profundiùs scaturiat ex intimis viscerum rivis morbus, validiora*

ad

ad fontem usq; mali transmittamus medicamina. Hæc tandem ne acribus & mordacibus eam adfligamus, viresq; dissipemus pharmacis. Ea propter oculis, æsophago quæq; acutioris sensus ferè palpum debemus, & Galenus 6.meth.3. *aliter dicit transfigendum esse in nervo læso, qui nudus medicamentorum incursui expositus est; aliter in tecto & puncto: Partes autem, quibus obtusior hebescit sensus, quia vehementius remedium sine aliquâ noxâ promptè sustinere possunt, qui iisdem blandimentis curare velit, & fallitur, & præter rationem trepidat, ubi nulla periculi suspicio.*

196. *Et sic præsidiorum omnium therapeuticorum indolem, naturam & varietatem* γενικῶς *delineavi, consequens nunc est, ut succinctum de eorundem rectâ administratione* δόγμα *subjiciam. Nam scire quid fieri debeat, magna res non est, Galeno judice* 6.meth.med. 2. *sed* quibus rationibus *illud efficiendum sit scire artificiosum est. Sunt enim pleraq; rerum gerendarum instrumenta Philosophis* ἀμφίβολα, *quibus benè maleq; quis uti potest, neq; aliam authoritatem præterquam* à fine suo, usu & opere *obtinent*, Zabar.l.de constit.scient. nat.c.32. *Usum autem legitimum cum tribus circumstantiis,* Quantitatis, Temporis & Loci, ex 5. in 6. Epid. 51. *suprà definiverim, in iis ut porrò occuper, non operæ modò precium; sed necessarium est requisitum.*

197. *Quantitas,* quod Hippocrates de alimentis innuit, & præclarissimè Sennertus noster monet, *bifariam consideratur; vel impropriè, ratione operis, pro definito præsidii adhibendi termino, ut parumné an multum evacuandum, resolvendum vel alterandum sit, diciturq; aliâs Quid agendum specificum: vel propriè ratione ponderis, pro copiâ, mole, dosi & efficaciâ remedii, ut qua dosi, quo valore medicina ad terminum illum præfixum pervenire queant.*

198. Terminum auxilii *ponit quantitas & magnitudo causæ,* Galenus l.parv.art.c.89.3.meth.med.3. 8.ejusd.15. *Causæ verò seu morbi quantitatem ostendit ejusdem à statu naturali recessus.*

Igitur

Igitur ad amussim præcognoscenda, quæcunq; secundum naturam insunt, tum ex gradu peccati æstimanda mensura juvantis, ut ἰσόῤῥοπον sit, & exactè magnitudini lædentis respondeat, Celsus l. 2. c. 21. *id est, quantum exorbitat, tantundem exigat è corpore, e.c. Si bilis ad libræ copiam abundet, remedium dabimus, quod evacuet ad libræ quantitatem. Si tribus gradibus à symmetria in calorem abiit, tot etiam contemperabimus. Et sic porrò in omni causarum genere. Quod Romanis in usu fuisse commemorant Annales, nullam etiam dubiâ fortunâ pacis vel amicitiæ spem hostibus facere, nisi prius ex Italiæ finibus discessissent: Idem hic medicus, non prius pugnæ suæ faciat finem, quàm morbus injuriarum. Ita recidivæ declinabit insidias, cui solemne plus tædii adferre primario morbo. Cautio tamen adsit,* ne quid nimis. *Quod tutius semper sit in dubiâ proportione aliquantulum infrà æqualitatem subsistere, quàm audendo limites debitos transilire. Hoc consilio Practici leviora utplurimùm præmittunt fortioribus, & Galenus cavet in 9. Meth. ne in synocha putri laborantibus tantum sanguinis emittamus, quantum morbus requirit; sed aliquid etiam ipsis viribus relinquamus.*

199. Dosin & ἐνέργειαν medicamenti *insinuat causæ resistentia seu contumacia. Quædam enim fixas egerunt in corpore radices, astralesq; impressiones admiserunt validas & difficulter mobiles; atq; istæ suæ fortis medicinis astralibus & potentibus averruncandæ. Aliæ verò fluctuantem penè mineram, tincturasq; superficiales ac facile resolubiles obtinent; & hæ leviori cedunt remedio. Hîc igitur contra formicas & mures belligeranti sufficere poterunt Stilponis & Pygmæi vires; At illic cum Leone vel apro Ætolico decertaturus Hectoris hasta, & Herculis opus habet robore. Galenus id discriminis probè nôrat. Ideò namq;* l. 1. de compos. medic. sec. loca, *Alopecias inveteratas & difficulter curabiles cum fortibus curare; incipientes verò & parvas cum imbecillibus properat, &* ibid. l. 2. *dolorem ex frigiditate contractum, qui recens sit, solo rutæ oleo calente syncipiti adfuso perfectè sanari posse;*

in

in inveterato autem euphorbio oleum exacuendum, & pharmacis pipere constantibus utendum esse contendit.

200. Geminis autem totum hoc efficere quimus rationibus, vel confertim, *simul ac semel quantumcunq; in culpâ est auferendo:* vel lentè *& partitis vicibus. Prior quidem semita id compendii & bonitatis habet, ut unico quasi ictu morbosam causam elidat. Verùm cùm sine certâ Naturæ jacturâ & dispendio tam magnus utrimq; conflictus, tanta humorum agitatio, tanta turbulentia accidere nequeat, illa quidem temerè nobis, qui naturæ trophæum erigere studemus,* ex Hippocratis instituto, 1. ʃ. 3. 2. ʃ. 51. & 6. ʃ. 27. *calcanda non est. Consulenda prius natura ægri. Hæc enim conflictatur, vel cum peracuto morbo, qui statim extremos habet labores, vel cum leviori, vel cum intermedio.*

201. Si mitius sit malum, *quod levem mutationem vires citrà dispendium benè ferant,* κατὰ πολὺ καὶ ἐξαπίνης *submovere licet. Pariter* in extremis *& periculosis morbis præstat periclitari, & extremum adferre remedium,* 1. ʃ. 6. 10. meth. med. 10. *quam blandimentis fovere & sustentare ægritudines: quia cùm celeriter historiam suam finiant, brevi quoq; internecionem sunt allaturæ, nisi universim & confertim æqualiq; manu ejiciantur: ut contingit in his, qui prosapiam suam ducunt à symptomaticâ translatione, à venenatâ aurâ, si turgens materia feratur orgasmo quodam per corpus, in ardentissimis febribus, maximis inflammationibus, vehementissimis doloribus, &c. in quibus ad lipothymiam usq; sanguinem mittit Galenus* in l. 1. aph. com. 22. & alibi. *At si morbi sint* mediocres aut Chronici, *sensim, lentè, & multo ocio melius depelluntur, quàm violentiâ: quòd nec vires dissipentur, nec ex largiore* μεταβολῇ *metus sit naturæ. Propterea Hydropicis serum* ἀθρόως, *& una vice subtrahere, Empyicis sectis pus universum simul exhaurire rarò caret periculo. Sed tamen hic observandum, ne nimis lente remediorum vires affectui præternaturali sint ludibrio, ne dum ingentem flammam exiguâ aquæ portiuncula restinguere satagimus,*

mus, *eandem excitemus*, prout faciebat Erasistratus adulator apud Galenum 5.meth.med.15.

202. Sic habuimus Quantum, nunc Quando, quo tempore administranda sint auxilia investigemus. Duo verò sub se complectitur tempus, εὐκαιρίαν *&* εὔοδον. Εὐκαιρίαν Hippocr. in Epist. *animam curationis vocavit. Galenus tanti fecit, ut medicum definire non dubitarit esse occasionis inventorem*, 6. Epidem. com. 5. text. 1. *Pindari calculo*: καιρὸς παντὸς ἔχει κορυφάν: τὸ δὲ γὰρ ἄκαιρον πανταχοῦ λυπηρόν, *imò* θανάσιμον. *Temporibus medicina valet, data tempore prosunt. & data non apto tempore vina nocent. Dicitur autem* εὐκαιρία *opportunitas illa temporis adhibendæ medicinæ, quam Hippocrates momentaneam & præcipitem, Galenus difficillimam, præceptisq; incomprehensibilem statuit*, l.1. ad Glaucon. *adeò, ut non vulgares solùm, sed & præstantes & exercitati medici in illâ sæpissimè delinquant. Communiter petitur* ex præsentiâ noxii, & absentiâ eorum quæ impedire possunt, vel prohibere. *Quare quotiescunq; affectus præter naturam ita dispositus est, ut facile, cum* εὐφορίᾳ *& bono removeri queat, audacter medicandum: At si vel vires repugnent, vel viæ obsitæ sint, vel malum rebelle, ut extingui tunc commodè non possit, suspendenda curatio.*

203. Huic fini ad unguem notandus cùm naturæ, *tum* morbi impetus, *& præter hæc* universalia morbi cœliq; tempora & varietates. Naturæ motus, *nisi calamitosus sit, semper promovendus. Siquidem illi soli militare debeant omnia præsidia: Atq; ex hoc fundamento Spagyrici in paroxysmis febrium sua Emetica vel Diaphoretica* εὐστόχως *propinant, quòd tum ferè adminiculantem & præeuntem habeant naturam, quæ modò in ventriculum cum nauseâ eructat, modò ad poros cutis febrilem propellit mineram.* Morbi impetus *attenditur ratione urgentiæ & turgentiæ, ubi tardare malum, & vel eâdem die*, 1. §. 24. 2. §. 29. 4. §. 10. *fons ærumnarum exhauriendus. Hoc enim respectu Galenus etiam mediâ nocte sanguinem subtraxit.* Ex morbi temporibus, *quia* περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη πάντα ἀσθενέστερα,

l. 2. §. 30. *fortiores quoq; medicinas exhibere licet. At in statu quia omnia ἰσχυρότερα satius est quiescere, quàm ab officio suo revocare & distrahere naturæ robur. Convenit igitur hîc gratis illecebris, quæ ad πεπασμὸν faciunt studere: Illic verò materias morbificas excludere. Ac circa initia quidem, si εὔφορα sint corpora & minera sequax, ut imminutâ illius copiâ, reliquum facilius concoquatur, quod ex Hippocr.* l. c. & t. 2. de diæta acutorum, l. 2. de fractura ossium, c. 27. 4. de acutis 64. *& Galen.* 5. in 6. Epid. 9. aliisve ad Hipp. commentariis *probant Trincavell. Paternus, Vallef. Argenter. & noviter Andr. Chioccus* l. 2. quæst. 5. *Sub finem verò & in declinatione, quando concocta est materia,* 1. §. 22. *& non integrè judicata præcidendus est recidivæ fomes. Ratione* cœlicæ constitutionis *tum* astrorum συζυγίαι, ortus, occasusq;, tum magnæ temporum mutationes *in Chronicis præsertim languoribus consideranda,* l. 2. de natura homin. t. 6. *& in quibus succi vel augentur vel minuuntur, secundum partem, aut secundum naturam,* l. 1. de natura hom. t. 38. 41. & seqq. *quibuscunq; judicari solent, vel perimere, vel desinere, vel in aliam speciem, aliumq; statum transmutare,* de aëre, aq. & loc. c. 6. *attendendum, ut convenienter naturæ vestigiis insistere, morbososq; exercitus commodius & facilius profligare possimus.*

204. Εὐτάξία *seu* ordo *in pluritate agendorum tantum regnat. Nam si unicum solitarium sit delictum, simpliciter expiari debet simplici remedio: ut si æstu incanduit corpus, frigidis rebus ad temperiem pristinam revocabitur: si sanguis tantùm luxuriet, ejus copia detrahitur. At si plura conspirent in nostrum interitum, perquirendum* cui primùm, cui deinde & impostetum *nos opponere debeamus. Itaq; causæ illæ seu noxæ morbosæ sunt vel disjunctæ, vel connexæ.* Disjunctæ, *quæ nihil inter se consentiunt, diversasq; radices & partes, quarum nec functio, nec usus communis obtinent. Vt si nebula visionem in oculo prohibeat, & calculus simul in ore vesicæ urinam remoretur. Hîc igitur distincta requiruntur remedia, possuntq; vel simul ambo,*

vel seorsim alterutrum tractari: nec refert cui primò medearis, cui post. Siquidem ex unius medela nihil vel commodi vel incommodi ad reliquum redundet.

205. *Connexa* complicatæq; *noxa vel omninò consentiunt, cùm unius curatio alteri sanando conducit, aut saltem nihil obstat: vel planè dissentiunt, cùm quod uni remedio, alteri est venenum aut obstaculum: vel partim consentiunt, partim dissentiunt, & sic unius cura alterius medelæ vel moram, vel opem adfert.* Si consentiant, *vel simul, vel seorsim, ab utrovis incipiendo tractare licet. E.g. sin albugine & suffusione teneatur oculus, nihil refert an hanc vel illam primò tollas: Sin ex frigida intemperie & simplici obstructione laboret epar, & intemperiem adimere licet intactâ angustiâ, & angustiam relicta intemperie, vel eodem medicamine, ut absinthio, fœniculo, &c. simul utramq; removere. Quod si planè* dissentiant, *& ad contraria medicum trahant præsidia morbi complicati, tam nec huic prorsus, nec illi; sed utriq; mediocritate quadam succurrendum, ne uno sublato superstitem exacerbemus, & sic pessundemus ægrum. Hoc consilio increscente phlegmone repellentia cum digerentibus permiscentur: in ventriculi frigida, & jecoris calida dycrasiâ temperata mixtim vel alternatim exhibentur, &c. At verò si* partim congruant, partim repugnent, *ab illo exordiendum cujus medicatio alteri si non prodest, tamen nec officiat, ut in Ophtalmia cum nebula, si quidem hæc acribus detergenda sit, nec perferre possit inflammatio, primùm phlegmone compescenda fuerit, tum auferenda nebula. Eadem est ratio ulceris cavi cum inflammatione conjuncti, ubi quidem nec carne impleri, nec ad cicatricem perduci potest ulcus, nisi prius ad pristinam temperiem partem revocaveris, tum carne impleveris, & sic demùm ad cicatricem perducas.*

206. *Atq; hunc quidem ordinem dictitat varietas complicationis: in universum verò seu morbi sint disjuncti seu conjuncti, aut quocunq; tandem nomine veniant, habenda præ omnibus cum* urgentiæ, *tum* causæ seu concomitantiæ *ratio,* 10. meth. med. I. *Nam*

quæ

quæ maximè urgent ἐξ ἀνάγκης, Gal. in §.19.l.5.3.meth.med.9.*primùm curanda, tum unde reliqua mala dependent, sine quibus scilicet aut non possunt curari, aut non subsistere.*

207. *Vrgere dicuntur, quæ cætera nocumenta suâ vel magnitudine, & cacoethia, vel lædendi vehementia & celeritate exuperant, ægrumq; non sine gravioris noxæ vel necis formidine fatigant & prosternunt. Hic periculum in mora. Itaq; suspensâ reliquorum medela hujus furor* ἀδιαλείπτως *compescendus, tum reconciliatis viribus capita seditiosi hujus tumultus rescindenda.* Extraordinariam *vocat hanc methodum Fernelius, quòd ordinem causarum non sequatur: Tanti me hercle usus, ut plurimùm gloriæ existimationisq; Medico sæpissimè pariat. Morti enim quam pernicies isthæc & acies sive symptomatis, sive causæ accelerat, qui compedes injicit, ille ægrum jam liberasse creditur. Imò sæpè accidit, ut quieti restituta natura, quod residuum est oneris ipsa excutiat.*

208. *Fingamus aliquem crebriore & inordinato immaturorum & acidorum vinorum (qualia sunt Austriaca pleraq; & Alsatica, quibus colica passio Endemia) potu, multùm Tartari in cellulis intestinorum coacervasse, ejusq; stypticitate acidâ exaltatâ intestinis totiq; nervoso generi adversissimâ, difficultatem quandam secedendi contraxisse: Adfluat tum bilis proportionata, & fermentet cremorem dictum Tartari, incredibilis statim propter nativum sulphuris flagrantis & aciditatis ponticæ dissidium in gyris & serpentinis illis flexuosis orietur tumultus, qualem sæpè inter spiritus acutos dum cõfundunt, etiam cum periculo magni alioquin vasis, exuscitare solent Chymici. Hinc deploranda & miserabilis adeò ventri carnificina sequetur, ut animus etiam deficiat ægros, nisi factâ spiritibus hostilibus viâ ex angustiis intestinorum ad articulos, musculos vel cutem prorumpant, inq; convulsivos motus, paresin, anthracem, scabiem vel icterum degenerent. Ad talem nunc effervescentiam & agoniam si vocetur Medicus, quid ille? Num ab ovo, ab incunabulis therapiam longâ serie deducet? Num im-*

bellibus Eccoproticis prius inimicorum potentiam, incerta viarum explorabit, inanemq́, remollientium, resolventium, discutientium turbam fortissimâ purgantium cohorti præmittet? Sic quidem ignem fodiet, camarinam movebit; verùm nihil promovebit. Citiùs lineam suam absolvet malum, quàm ille prolixam tædiosæ medicationis historiam. Quid igitur? quam primum ebullitionem laudatissimis Spagyricorum Laudanis, qualia sunt ex Mineralibus Manna Solis paregorica, vitrioli sulphur anodynum, spiritus vel dulcedo Nitri, Saturni, &c. *extinguet; litem componet, tormina sedabit; tum demùm ordine suo cætera convenienter administrabit. Hâc enim ratione non tantùm epilepsiam, articulorumq́, impotentiam præcavebit; sed naturam etiam compositis fluctibus animabit, proprio ut Marte ab impuritatibus illis morbosis se vindicet & liberet, aut saltim commodiùs ut artis ope relevari queat, efficiet. Parile stratagema in præcipiti materiæ noxiæ ad nobile viscus defluvio vel orgasmo, uterinis passionibus, Epilepticis paroxysmis, & id genus aliis, de quibus Fernelius* Therapeut.l.1.c.6.*militat.*

209. Causæ seu concomitantiæ in viâ curationis & generationis *rationem habent, tum* Impedimenta *omnia, sine quorum remotione cura nulla procedit, tum* Fomenta, *unde concatenatim cæteræ læsiones omnes in fieri dependent & producuntur.* Obstacula *vel sensus communis indicio prius removenda, quòd aliâs aut nihil fiat, aut parum rectè: ita ut catharsis ritè procedat, decet tum humores fluxiles esse, tum meatus, per quos ducendi patentes,* 2. §. 9. 11. m. m. 4. *Vt materiam tenuem in pulmones manantem tussi possis rejicere, prius incrassanda. Vt calculum ex vesicâ pellere possis, ille prius resolvendus, & via lubricandæ. Vt diaphoreticis, diureticis & calidioribus essentiis Chymicis tutò penetres corpus, primas vias defæcatas esse decet, ne sordes secum transvehant. Atq́, ex hoc fundamento universalia semper præmittere particularibus vel Localibus jubet Galenus* 11. Meth. 10. & 4. meth. med. 4. *Thessalum, tanquam qui curationis ordinem invertat, dum*

dum antequam totum expurgarit parti adfectæ medicinas adhibet; graviter reprehendit.

210. Fomentum seu causa fovens *ratione γενέσεως dicitur, ad quam cætera mala vel partium vasorumq́; opportunitate, vel operis officiiq́; necessitate consequuntur, ut si cerebrum compatiatur utero, uterus lieni, lien ventriculo, ventriculus epati: si ex præcordiis elevati vapores molestent cerebrum, istud inquinamenta sua iterum deponat in artus, pulmones, ventriculum, &c. Hic igitur ἀρχέγονον πῆμα prius tollendum, fons obstruendus; tum quo ordine, quo nexu reliquæ causæ concurrunt. Bene Galenus* 4. meth. 4. artis parv. c. 88. com. in 2. §. 25. *In omnibus omninò morbis, in quibus effectrix causa adhuc manet, ab hac auspicanda curatio est: cui adstipulantur Hermetici, quando non fructus morborum præcidendos; sed seminia & radices averruncandas eliminandasq́; esse clamitant. Ideò resolvendus morbus in suas causas proximas & remotas, procedendo postea ad remotiores & remotissimas, quodq́; in hac analysi ultimo loco inventum fuerit, id omnium primum in curatione peragendum, ab eoq́; medicatio omnis exordienda,* 11. meth. 10. 7. meth. 12. *ne vulgato nimis Agyrtarum ἀνδραποδιστῶν errore secundarium vel sympatheticum morbum relicto primario exasperemus verius, quàm curemus.*

211. *Restat Vbi agendum, seu* Locus, cui *videlicet adhibenda remedia, &* per Quem *ducendus morbus. Huic bono decet ex Anatome quarumcunq́;* partium & vasorum figuras, positus, ductus, coalitus, exertus, propagines, implantationes & consensiones exploratissimas *habere: ut dextrè, debitâ formâ & congruis locis remedium laboranti parti insinuemus, nec tamen injuriâ quadam vicinas vel intermedias adficiamus. Ac per contactum quidem quodlibet cùm agat, medicamen vel proximè partem adfectam contingere debet, vel illi regioni corporis applicari, quæ cum loco adfecto communicat, ut inde vis medica ad metam usq́; prorogari possit. Ita pectus & asperam arteriam Bechicis, aures Otenchitis, nares Errhinis, intestina*

crassio-

crassiora Enematibus, uterum Metrenchitis, vesicam per syringas eluimus, & pro Hepate dextris, pro Liene sinistris Epithemata vel Cataplasmata præcordiis applicamus.

212. Canales seu vias, per quas trahenda minera morbifica eleganter Hippocrates, sect.1.aphorismo 21.*complexus est:* Ἃ δεῖ ἄγειν, ὅκου ἂν μάλιστα ῥέπῃ, ταύτῃ ἄγειν, διὰ τῶν συμφερόντων χωρίων. *Quo quidam oraculo geminam* τέκμαρσιν *nobis ponit, ut observemus* 1. *Naturæ* ῥοπὴν. 2. *vasa conferentia. Per Naturæ verò* ῥοπὴν *oportet intelligere non tantùm motionem Naturæ criticam; sed etiam inclinationem & propensionem humorum, ut illæ medicum dirigant, & quasi manu ducant.*

213. Motio Critica *prout facultatis robore, non temporum certis periodis definitur, naturæ corporis sanabilis opus est. Itaq; hic expultricis impetus attendendus, & nisi sit calamitosus promovendus. Natura enim dux optima, quò præit, medicum è vestigio sequi decet. Ideò si murmura vel tormina in ventre purgare, si cibi fastidium, nausea, ructus, vertigo, dolores supra septum transversum fatigent, per vomitum evacuare præcipit* Hippocr.l.4.aph.17.18.& 20. *At si n expultrix ocietur, tum quò vergit, repit & inclinat materia peccans, ducenda est, quod volebat Paracelsus, cùm ambo emunctoria, morbi & medicamenti conjungenda esse doceret,* cap.1.tractat.de naturalis syphilidis curâ in Chirurg. M. *Ita bilem, quia levis, & sursum ferri solet per superna, melancholicum sanguinem per hæmorrhoides prolicimus. Ita pestis terrenæ vel aqueæ venenum Mercuriale, quia ad inguina & alas solet transmitti, eodem etiam convenienter trahemus. In Gonorrhæa fœtida, quia virulenta materia per obscœna secernitur,* εὐλόγως *eandem viam sequetur medicina. Quin erat in Belgio, qui decocto ligni cujusdam Diuretici omnem malignitatem Veneream per pudenda, queîs ferè primitùs contrahitur, revocare, sicq; omnem pudendagram curare solebat.*

214. Locorum seu viarum*, per quas educenda peccantes materiæ,* conferentia *quatuor characteribus innotescit.* 1. *Vt sint compendio-*

pendiosissimæ, rectoq; si fieri potest tramite, nec non κατ' ἴξιν Physicam locis adfectis inserantur. Ideò si minera mali in venis majoribus vel epatis gibbo delitescat, per urinas evacuanda, sed in cavâ parte vel primâ regione corporis si stabuletur, modò per vomitum, modò per anum excernenda venit: quemadmodum gibba pars cum vesicâ, ista verò cum ventriculo & intestinis communicet. 2. *Vt sint ignobiliores. Ideò Hippocr. l.6. §.17. Ophtalmiâ laborans; si alvi profluvio corripiatur, bonum, & l.6. §.25. Erysipelas externum intrò si revertatur malum esse dicit.* 3. *Vt evacuatio per meatum fiat naturalem excipiendis & excernendis fæculentiis illis dicatum; ut sunt intestina, vasa urinaria, palatum, nares, uterus, pori cutis, &c.* 4. *Vt via expedita planaq; sint, & morbo nullo laborent, aut ad illos proclives sint. Tunc enim adflicto non est addenda vel accersenda adflictio. Propterea in Phthisi vel Asthmate ab apophlegmatismis abstinemus: in oculorum passionibus à Ptarmicis: in Dysenteria, à catharticis validioribus.* Emetica hîc tutiora, phlebotomia, diuretica vel diaphoretica, prout ex hoc vel illo fonte perniciosi sanguinis rivi ducuntur. *Verùm has leges quandoq; frangit necessitas. Igitur ut aliâs, sic hoc loco urgentiæ vel majoris emolumenti ratio prævalere debet.*

215. *Atq; ita penicillo Philosophico ideam universæ Therapeutices adumbravi, fundamenta necessaria σὺν τῷ λόγῳ καὶ λόγῳ posui, quaq; viâ cum universali, tum particulari pro sanatione Medico peragenda Naturæ ductu indicavi, atq; ut consensus Hermeticorum cum Priscis constaret & Hippocraticis τὰ κοινὰ κοινῶς, τὰ δὲ κοινὰ κοινῶς reddidi. In quibus si vel liberior, vel quandoq; obscurior fui, de industriâ commune cum aliis feci. Prolixitati veniam apud æquum Censorem facilè cùm amplitudo, tum dignitas materiæ subjectæ conciliabit. Vt enim multa dixerim, plurima tamen aliis vel aliâs dicenda supersunt. Inanes plerasq; Italorum controversias, de genere indicationis, an syllogismus, enthymema vel conceptus simplex sit, de conditione revulsionis, &c. quòd Logicum potius acumen, quàm Medicam exerceant pru-*

 den-

dentiam studiosè præterii, ita tamen ut verbulo, quid mihi animi sit, semper intenderim. Quæ si non cuivis ad salivam faciunt, quid mirum? Nec omnia, nec omnes mihi ipsi placent, quînam ego omnibus? Neq; certè istud cupio; sed uni DEO *& probis ab arte & bonâ famâ viris me meaq; probari. Horum calculo sin hæc proba, est quòd Hymnum* DEO, *supremo Doctori Ductoriq; meo, grata mente canam: sin aliter, ecce paratissimus sum, quod ætatem & professionem meam decet, meliora docentem sequi.*

Q. D. E. N.

Προσθῆκαι πάρεργοι.

1. Ab Acroasi Peripateticâ & Academiâ Platonicâ non tam ὕλῃ, quàm παιδείᾳ καὶ λογογραφίᾳ in plerisq; discrepant Hermetici. Quorsum igitur convitia mutua?

2. Epilepsiam non ineptè Terræmotui ex Arist. 2. Meteor. 8. comparare licet. Ejus causa sunt spiritus pontici & maligniores in ultimo ventriculi cerebello & canali effervescentes, ejusdemq; membranulam tenuissimam vellicantes & lancinantes.

3. Paralysis plerumq; fit à pituitâ vel acidâ nervos obstupefaciente, vel dulci eosdem relaxante. Inde petenda quædam ratio, cur nunc motus tantùm, nunc sensus cum motu pereat.

4. Rectè vulgatus versiculus post pisces jubet comedere nuces.

5. Carnes suillæ magis pro palato, quàm tenerâ sunt valetudine.

6. In Gammaris & Cancris plus est medicinæ, quàm cibi.

7. Usum Stibii in Colicis planè reformidat Crollius, commendat præter Paracels. tr. 2. de contr. c. 3. Turrianus, Wecker. & P. Palmarius.

8. Re-

8. Remediorum nulla penuria, ſed noſtra plerorumq; turpis ignorantia. Ubicunq; medicus, ibi & medicina.

9. Quin datur medicamen calculum reſolvens tam in veſicâ, quàm renibus.

10. Et ut maxima pars eruditorum negârit, natura tamen non denegavit vera & genuina mortalibus Philtra. Ratio id docet, Analogiſmus & Experientia. Diſtinguendum verò hîc inter ipſum adfectum ſeu amorem, & effectum ſeu amplexum Venereum. Ille naturâ, hic voluntate regitur.

11. Opium quia ſummè diaphoreticum, & Aphrodiſiaſticon, & Maniacum, & inflammabile, & amariſſimum, quâ ratione dices frigidum lethaliter?

12. Aqua Martis extincti propter vitriolum aperitiva, malè igitur ad adſtringentium vocatur turbam. De lacte Chalybeato, ubi conſumptâ ſeroſâ caſeoſa colligitur ſubſtantia, quod obturet citiùs conceſſero.

13. Mirum! ex quovis Metallo Narcoticum, purgans, diaphoreticum & balſamicum fieri poſſe. An à principiorum hoc eſt diverſitate?

14. Antimonium purgans evadit tum à ſalibus, tum à nobilioribus menſtruis. Idem eſt experiri in Mercurio vitæ.

15. Gummi Chattajemu picrocholis inimicum, & ventriculo vix propinare tutò licet, niſi prius cum ſpir. vitr. corrigatur.

16. Ex ſalibus reſuſcitari poſſunt vivæ plantarum imagines: quid igitur ea ex Spagyricis quidam adeò extenuant?

17. An Moyſes ut reliquis Ægyptiorum diſciplinis, ſic Chymiâ inſtructus erat? Ejus argumentum, quòd aureum vitulum reddiderit πότιμον.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

dentiam studiosè præterii, ita tamen ut verbulo, quid mihi animi sit, semper intenderim. Quæ si non cuivis ad salivam faciunt, quid mirum? Nec omnia, nec omnes mihi ipsi placent, quînam ego omnibus? Neq; certè istud cupio; sed uni DEO *& probis ab arte & bonâ famâ viris me meaq; probari. Horum calculo sin hæc proba, est quòd Hymnum* DEO, *supremo Doctori Ductoriq; meo, grata mente canam: sin aliter, ecce paratissimus sum, quod ætatem & professionem meam decet, meliora docentem sequi.*

Q. D. E. N.

Προσθῆκαι παρέργοι.

1. Ab Acroasi Peripateticâ & Academiâ Platonicâ non tam νοίᾳ, quàm παιδείᾳ καὶ λογογραφίᾳ in plerisq; discrepant Hermetici. Quorsum igitur convitia mutua?

2. Epilepsiam non ineptè Terræmotui ex Arist. 2. Meteor. 8. comparare licet. Ejus causa sunt spiritus pontici & maligniores in ultimo ventriculi cerebello & canali effervescentes, ejusdemq; membranulam tenuissimam vellicantes & lancinantes.

3. Paralysis plerumq; fit à pituitâ vel acidâ nervos obstupefaciente, vel dulci eosdem relaxante. Inde petenda quædam ratio, cur nunc motus tantùm, nunc sensus cum motu pereat.

4. Rectè vulgatus versiculus post pisces jubet comedere nuces.

5. Carnes suillæ magis pro palato, quàm tenerâ sunt valetudine.

6. In Gammaris & Canceris plus est medicinæ, quàm cibi.

7. Usum Stibii in Colicis planè reformidat Crollius, commendat præter Paracels. tr. 2. de contr. c. 3. Turrianus, Wecker. & P. Palmarius.

8. Re-

8. Remediorum nulla penuria, sed nostra plerorumq; turpis ignorantia. Ubicunq; medicus, ibi & medicina.

9. Quin datur medicamen calculum resolvens tam in vesicâ, quàm renibus.

10. Et ut maxima pars eruditorum negârit, natura tamen non denegavit vera & genuina mortalibus Philtra. Ratio id docet, Analogismus & Experientia. Distinguendum verò hîc inter ipsum adfectum seu amorem, & effectum seu amplexum Venereum. Ille naturâ, hic voluntate regitur.

11. Opium quia summè diaphoreticum, & Aphrodisiasticon, & Maniacum, & inflammabile, & amarissimum, quâ ratione dices frigidum lethaliter?

12. Aqua Martis extincti propter vitriolum aperitiva, malè igitur ad adstringentium vocatur turbam. De lacte Chalybeato, ubi consumptâ serosâ caseosa colligitur substantia, quod obturet citiùs concessero.

13. Mirum! ex quovis Metallo Narcoticum, purgans, diaphoreticum & balsamicum fieri posse. An à principiorum hoc est diversitate?

14. Antimonium purgans evadit tum à salibus, tum à nobilioribus menstruis. Idem est experiri in Mercurio vitæ.

15. Gummi Chattajemu picrocholis inimicum, & ventriculo vix propinare tutò licet, nisi prius cum spir. vitr. corrigatur.

16. Ex salibus resuscitari possunt vivæ plantarum imagines: quid igitur ea ex Spagyricis quidam adeò extenuant?

17. An Moyses ut reliquis Ægyptiorum disciplinis, sic Chymiâ instructus erat? Ejus argumentum, quòd aureum vitulum reddiderit πότιμον.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

dentiam studiosè præterii, ita tamen ut verbulo, quid mihi animi sit, semper intenderim. Quæ si non cuivis ad salivam faciunt, quid mirum? Nec omnia, nec omnes mihi ipsi placent, quinam ego omnibus? Neq; certè istud cupio; sed uni DEO *& probis ab arte & bonâ famâ viris me meaq; probari. Horum calculo sin hæc proba, est quòd Hymnum* DEO, *supremo Doctori Ductoriq; meo, grata mente canam: sin aliter, ecce paratissimus sum, quod ætatem & professionem meam decet, meliora docentem sequi.*

Q. D. E. N.

Περιδῆκαι πάρεργοι.

1. Ab Acroasi Peripateticâ & Academiâ Platonicâ non tam ὁσίᾳ, quàm παιδείᾳ καὶ λογογραφίᾳ in plerisq; discrepant Hermetici. Quorsum igitur convitia mutua?

2. Epilepsiam non ineptè Terræmotui ex Arist. 2. Meteor. 8. comparare licet. Ejus causa sunt spiritus pontici & maligniores in ultimo ventriculi cerebello & canali effervescentes, ejusdemq; membranulam tenuissimam vellicantes & lancinantes.

3. Paralysis plerumq; fit à pituitâ vel acidâ nervos obstupefaciente, vel dulci eosdem relaxante. Inde petenda quædam ratio, cur nunc motus tantùm, nunc sensus cum motu pereat.

4. Rectè vulgatus versiculus post pisces jubet comedere nuces.

5. Carnes suillæ magis pro palato, quàm tenerâ sunt valetudine.

6. In Gammaris & Canceris plus est medicinæ, quàm cibi.

7. Usum Stibii in Colicis planè reformidat Crollius, commendat præter Paracels. tr. 2. de contr. c. 3. Turrianus, Wecker. & P. Palmarius.

8. Re-

8. Remediorum nulla penuria, sed nostra plerorumq; turpis ignorantia. Ubicunq; medicus, ibi & medicina.

9. Quin datur medicamen calculum resolvens tam in vesicâ, quàm renibus.

10. Et ut maxima pars eruditorum negârit, natura tamen non denegavit vera & genuina mortalibus Philtra. Ratio id docet, Analogismus & Experientia. Distinguendum verò hîc inter ipsum adfectum seu amorem, & effectum seu amplexum Venereum. Ille naturâ, hic voluntate regitur.

11. Opium quia summè diaphoreticum, & Aphrodisiasticon, & Maniacum, & inflammabile, & amarissimum, quâ ratione dices frigidum lethaliter?

12. Aqua Martis extincti propter vitriolum aperitiva, malè igitur ad adstringentium vocatur turbam. De lacte Chalybeato, ubi consumptâ serosâ caseosa colligitur substantia, quod obturet citiùs concessero.

13. Mirum! ex quovis Metallo Narcoticum, purgans, diaphoreticum & balsamicum fieri posse. An à principiorum hoc est diversitate?

14. Antimonium purgans evadit tum à salibus, tum à nobilioribus menstruis. Idem est experiri in Mercurio vitæ.

15. Gummi Chattajemu picrocholis inimicum, & ventriculo vix propinare tutò licet, nisi prius cum spir. vitr. corrigatur.

16. Ex salibus resuscitari possunt vivæ plantarum imagines: quid igitur ea ex Spagyricis quidam adeò extenuant?

17. An Moyses ut reliquis Ægyptiorum disciplinis, sic Chymiâ instructus erat? Ejus argumentum, quòd aureum vitulum reddiderit πότιμον.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

dentiam studiosè præterii, ita tamen ut verbulo, quid mihi animi sit, semper intenderim. Quæ si non cuivis ad salivam faciunt, quid mirum? Nec omnia, nec omnes mihi ipsi placent, quînam ego omnibus? Neq; certè istud cupio; sed uni DEO *& probis ab arte & bonâ famâ viris me meaq; probari. Horum calculo sin hæc proba, est quòd Hymnum* DEO, *supremo Doctori Ductoriq; meo, grata mente canam: sin aliter, ecce paratissimus sum, quod ætatem & professionem meam decet, meliora docentem sequi.*

Q. D. E. N.

Περιθῆκαι πάρεργοι.

1. Ab Acroasi Peripateticâ & Academiâ Platonicâ non tam οὐσίᾳ, quàm παιδείᾳ καὶ λογογραφίᾳ in plerisq; discrepant Hermetici. Quorsum igitur convitia mutua?

2. Epilepsiam non ineptè Terræmotui ex Arist. 2. Meteor. 8. comparare licet. Ejus causa sunt spiritus pontici & maligniores in ultimo ventriculi cerebello & canali effervescentes, ejusdemq; membranulam tenuissimam vellicantes & lancinantes.

3. Paralysis plerumq; fit à pituitâ vel acidâ nervos obstupefaciente, vel dulci eosdem relaxante. Inde petenda quædam ratio, cur nunc motus tantùm, nunc sensus cum motu pereat.

4. Rectè vulgatus versiculus post pisces jubet comedere nuces.

5. Carnes suillæ magis pro palato, quàm tenerâ sunt valetudine.

6. In Gammaris & Cancris plus est medicinæ, quàm cibi.

7. Usum Stibii in Colicis planè reformidat Crollius, commendat præter Paracels. tr. 2. de contr. c. 3. Turrianus, Wecker. & P. Palmarius.

8. Re-

8. Remediorum nulla penuria, ſed noſtra plerorumq; turpis ignorantia. Ubicunq; medicus, ibi & medicina.

9. Quin datur medicamen calculum reſolvens tam in veſicâ, quàm renibus.

10. Et ut maxima pars eruditorum negârit, natura tamen non denegavit vera & genuina mortalibus Philtra. Ratio id docet, Analogiſmus & Experientia. Diſtinguendum verò hîc inter ipſum adfectum ſeu amorem, & effectum ſeu amplexum Venereum. Ille naturâ, hic voluntate regitur.

11. Opium quia ſummè diaphoreticum, & Aphrodiſiaſticon, & Maniacum, & inflammabile, & amariſſimum, quâ ratione dices frigidum lethaliter?

12. Aqua Martis extincti propter vitriolum aperitiva, malè igitur ad adſtringentium vocatur turbam. De lacte Chalybeato, ubi conſumptâ ſeroſâ caſeoſa colligitur ſubſtantia, quod obturet citiùs conceſſero.

13. Mirum! ex quovis Metallo Narcoticum, purgans, diaphoreticum & balſamicum fieri poſſe. An à principiorum hoc eſt diverſitate?

14. Antimonium purgans evadit tum à ſalibus, tum à nobilioribus menſtruis. Idem eſt experiri in Mercurio vitæ.

15. Gummi Chattajemu picrocholis inimicum, & ventriculo vix propinare tutò licet, niſi prius cum ſpir. vitr. corrigatur.

16. Ex ſalibus reſuſcitari poſſunt vivæ plantarum imagines: quid igitur eà ex Spagyricis quidam adeò extenuant?

17. An Moyſes ut reliquis Ægyptiorum diſciplinis, ſic Chymiâ inſtructus erat? Ejus argumentum, quòd aureum vitulum reddiderit πότιμον.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

dentiam studiosè præterii, ita tamen ut verbulo, quid mihi animi sit, semper intenderim. Quæ si non cuivis ad salivam faciunt, quid mirum? Nec omnia, nec omnes mihi ipsi placent, quînam ego omnibus? Neq; certè istud cupio; sed uni DEO *& probis ab arte & benâ famâ viris me meaq; probari. Horum calculo sin hæc proba, est quòd Hymnum* DEO, *supremo Doctori Ductoriq; meo, grata mente canam: sin aliter, ecce paratissimus sum, quod ætatem & professionem meam decet, meliora docentem sequi.*

Q. D. E. N.

Προσθῆκαι πάρεργοι.

1. Ab Acroasi Peripateticâ & Academiâ Platonicâ non tam οὐσίᾳ, quàm παιδείᾳ καὶ λογογραφίᾳ in plerisq; discrepant Hermetici. Quorsum igitur convitia mutua?

2. Epilepsiam non ineptè Terræmotui ex Arist. 2. Meteor. 8. comparare licet. Ejus causa sunt spiritus pontici & maligniores in ultimo ventriculi cerebello & canali effervescentes, ejusdemq; membranulam tenuissimam vellicantes & lancinantes.

3. Paralysis plerumq; fit à pituitâ vel acidâ nervos obstupefaciente, vel dulci eosdem relaxante. Inde petenda quædam ratio, cur nunc motus tantùm, nunc sensus cum motu pereat.

4. Rectè vulgatus versiculus post pisces jubet comedere nuces.

5. Carnes suillæ magis pro palato, quàm tenerâ sunt valetudine.

6. In Gammaris & Cancris plus est medicinæ, quàm cibi.

7. Usum Stibii in Colicis planè reformidat Crollius, commendat præter Paracels. tr. 2. de contr. c. 3. Turrianus, Wecker. & P. Palmarius.

8. Re-

8. Remediorum nulla penuria, ſed noſtra plerorumq; turpis ignorantia. Ubicunq; medicus, ibi & medicina.

9. Quin datur medicamen calculum reſolvens tam in veſicâ, quàm renibus.

10. Et ut maxima pars eruditorum negârit, natura tamen non denegavit vera & genuina mortalibus Philtra. Ratio id docet, Analogiſmus & Experientia. Diſtinguendum verò hîc inter ipſum adfectum ſeu amorem, & effectum ſeu amplexum Venereum. Ille naturâ, hic voluntate regitur.

11. Opium quia ſummè diaphoreticum, & Aphrodiſiaſticon, & Maniacum, & inflammabile, & amariſſimum, quâ ratione dices frigidum lethaliter?

12. Aqua Martis extincti propter vitriolum aperitiva, malè igitur ad adſtringentium vocatur turbam. De lacte Chalybeato, ubi conſumptâ ſeroſâ caſeoſa colligitur ſubſtantia, quod obturet citiùs conceſſero.

13. Mirum! ex quovis Metallo Narcoticum, purgans, diaphoreticum & balſamicum fieri poſſe. An à principiorum hoc eſt diverſitate?

14. Antimonium purgans evadit tum à ſalibus, tum à nobilioribus menſtruis. Idem eſt experiri in Mercurio vitæ.

15. Gummi Chattajemu picrocholis inimicum, & ventriculo vix propinare tutò licet, niſi prius cum ſpir. vitr. corrigatur.

16. Ex ſalibus reſuſcitari poſſunt vivæ plantarum imagines: quid igitur eà ex Spagyricis quidam adeò extenuant?

17. An Moyſes ut reliquis Ægyptiorum diſciplinis, ſic Chymiâ inſtructus erat? Ejus argumentum, quòd aureum vitulum reddiderit πότιμον.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

X.
INAUGURALIS, DE PESTIS
Naturâ & Curâ, Disputatio:
ESAIÆ LESCHII GURA-SILESII.

THESIS I.

CUm infinita penè fœcundissimaq́; sit ægritudinum, quibus ob labem primævam adfligimur mortales, propago, ut singulis recensendis nulla lingua sufficiens esse possit, vereq́; Divinus Senex ὅλον ἄνθρωπον ἐκ φυσέων νόσον *esse dixerit in Epist. ad Damagetum: ad duo tamen summa genera, ceu census & capita, morbosam omnem familiam studiosa reduxit Antiquitas. Alios enim* σποράδας *seu sparsos: alios* πανδήμιους *seu communes & populares, fecerunt.*

2. Σποράδες σποραδικοὶ νόσοι *vel* διάφοροι *dicuntur, qui non universim multos ex eadem causa: sed forma specieq́; cùm differant, sparsim hunc vel illum adoriuntur. Quod videre est in vertigine, Nephritide, Aqua subter cutem, Anorexia & similibus, quæ eodem tempore, ex diversis causis & primordiis diversæ conditionis, sexus, ætatis hominibus accidunt.*

3. Πάνδημοι, πάγκοινοι, ἢ κοινοὶ, *sive populares & communes vocantur, qui ejusdem speciei cùm sint, communiter populum, hoc est, universim eadem ex causa, eodem tempore multos invadunt. Atq́; hi rursus dividuntur in* ἐνδημίους *&* ἐπιδημίους. *Fernelius adjicit* πανδημίους, *ceu distinctam speciem à prioribus, quòd illi aëris, isti victus communis vitia sequantur; quam ob rationem plurimos reperit asseclas, inter quos eminent Philippus Ingrassias, & Petrus Forestus. Verùm quia externam tantùm antecedentium causarum faciem differentia hæc exprimit: non* ὅλης, *non subjecti, non læsionis, necessitatem nullam video, ob quam à prisca Hippocratis & Galeni doctrina recedendum sit.*

4. Ἐνδη-

4. Ἐνδήμιοι, aliàs vernaculi, patrii, ſunt qui familiariter ejuſdem regionis vel civitatis incolas, quadam perpetuitatis lege, unde etiam perpetuos appellant, prehendunt. Talis eſt Colica pareſis Auſtriacis & Marcomannis, Bronchocele Carinthis, Scorbutus Belgis & Saxonibus ad oram maris Balthici, Phthiſis Luſitanis, Plica Ruthenis, &c. Quamvis enim aliis locis etiam cogniti ſint, & illorum intuitu ſporadici vocari poſſint: tamen iis populis, quibus familiariſſimi ſunt, ob eaſdem aëris vel alimentorum tincturas & prædeſtinationes, rectiſſimè vernaculi & Endemii cenſentur.

5. Ἐπιδήμιοι morbi ſunt, qui in ejuſdem ſortis plures ab eadem cauſa, non tamen vernacula aut perpetua, graſſantur. Et ſunt vel λοιμώδεις, vel μὴ λοιμώδεις. μὴ λοιμώδεις non maligni, quos mites vocat Galenus, rari ſunt: aliquando tamen accidunt ob aëris præcipuè exceſſum, ut ophthalmiæ, coryzæ, febres quædam momentaneæ, diarrhea, &c. Ex quibus commemorabilis inprimis eſt catarrhus & tuſſis illa, quæ Anno 1580. in Vngaria & Auſtria primùm cùm incepiſſet, mox per Thuringiam, Bohemiam, Hollandiam tam latè ſe diſſeminavit, ut ſex hebdomadarum ſpacio, univerſam pœnè Europam pervaſerit, tanta indulgentia, ut ne milleſimus quidem Wiero teſte, atq; is non niſi alias ob injurias, vita diſcederet.

6. Λοιμώδεις peſtilentes maligni crebriùs & aſperiùs ſæviunt in mortalium corpora: Suntq; vel exquiſitè maligni, quos Lethales, vel remiſſiùs, quos Salutares vocant: Non quòd illi ſemper in mortis, iſti ſalutis termino deſinant; ſed quod pro varietate malignitatis ἐπὶ τὸ πλεῖστον, utplurimùm. In ſalutarium numero ſunt morbilli & variolæ infantum epidemiæ, febres ardentes vel petechiales, Dyſenteria, & mirabilis illa paraplegia, cujus faciem Senex noſter Cous l.1. Epid. in Thaſo delineavit. Spaſmus item & convulſivi motus, qui Anno 1596. & ſequentibus Cattos & Weſtphalos præ aliis nationibus miſerè adflixerunt, Colica Æginetæ & ſimiles.

7. Qui lethales eſſe ſolent, vel ſimpliciter peſtilentes dicuntur,

vel cum additione. Cum additione, pestilentes dicuntur, vel propter complicationem adfectus, vel propter consequentiam symptomatis, quod communiter è vita tollit ægros. In horum censu sunt Sudor Britannicus, quem majorum nostrorum ætas post annum 1486. cum dolore & lachrymis vidit, Anginæ, pleuritides, peripneumoniæ, quas anno 1344. 1517. 1564. maximam hominum stragem edidisse ex Hieron. Fracastorio, Andr. Gallo, Wiero, Foresto, Schenckius & Reusnerus annotârunt.

8. *Simpliciter &* καθ' ἐξοχὴν *pestilens est, quem vulgari nomine, populari sensu* Pestem *nominamus: malum certè quo non crudelius ullum, postquam sibi vires acquisierit eundo; adeò, ut immanissimis Diris alios cum devovere volunt homines, pestilentiam imprecentur: quippe quæ internecina vi amplissimos agros suis colonis, cultissimas urbes suis civibus, populosissimas regiones suis incolis perditè spoliet & exhauriat: quod præter horribiles, quas Galen. l. de Theriaca ad Pison. Procopius l. 2. de bello Persic. Iacobus à Partibus, Heurnius referunt humani generis clades, satis superq; superiorum ætatum tyrannis & funera, quæ nulli non in oculis, in memoria hærent, convincunt. Propterea alii Furiam infernalem propter cruciatus: alii flagellum divinum, quod promerita peccatis pœna sit, vocant: alii à pascendo, quod omnia depascat, omnia devoret, devastet & consumat, ingeniosè derivant.*

9. *Atq; hæc cùm calamitosa sint & deploranda, tum verò nihil miserabilius, quàm quod à tam longinqui temporis memoria nullus adhuc tanto nodo vel cuneus, vel gladius Alexandreus, nulla universalis antidotus, nulla certa medela, ad quam tutò se recipere, cui per omnia fidere humana queat imbecillitas, vel aperta vel comperta sit. Originem verò trahit isthæc inopia ab ipsius pestilentis naturæ ignorantia. Nam quia causam, ideò quoq; rationalem curam nescimus. Siquidem fieri non possit, ut qui in cognoscendo morbo deficit, ad medicandum sufficiat medicus.*

10. Id

10. Id quod de perfectâ scientiâ, quæ proximarum causarum evidentiâ, mentem ἀμετάπτωτον reddit, subaudiendum est. Nam probabilitatem, qua nostri plerumq; pascuntur animi si quæris, etiam hic fortè invenias. Nec enim tam infelicia Præceptorum nostrorum ingenia fuisse credibile est, ut, cùm plurimum operæ & studii in exploranda pestis natura posuerint, ne hilum reperire potuerint. Age, legamus horum vestigia, & quid valeant humeri, quid ferre recusent, sub tam difficili pondere, probemus. Satius erit aliquousq; discendo in obscuris progredi, quàm in manifestis, quævè omnibus cognita, semper hæsisse. Quandoquidem πολὺ κρεῖττον μικρὸν προέχειν ἐν τοῖς μεγάλοις, ἢ πολὺ διαφέρειν ἐν τοῖς μικροῖς, & ex Columellæ sententia: Rei non magnæ quantulacunq; possessio non minima sit gloria; ejusq; quod necessariò desideramus μικρὸν μόριον κατιδεῖν ἥδιον.

11. Medicum igitur de peste, quam Græci λοιμὸν, alii Epidemiam pernitiosam vocant, πρόγυμνασμα publicis Academiæ hujus celeberrimæ judiciis commissuri, non ἀμεθόδως videbimur fecisse, si, quantum viribus nostris licet, ejus Naturam primùm ἐκ βυθοῦ produxerimus: tum per signa cognitæ curam, qualis ex innumeris scriptorum & medicamentorum farragine optima deprehensa fuerit, subjecerimus. Quod dum conamur, à benevolo Lectore, ad exemplum Aristotelis Ethici petimus, ne firmiores expectet vel requirat à nobis apodixes aut ἀκρίβειαν, quàm qualem subjectæ materiæ cùm obscuritas, tùm varietas tenuitati mentium nostrarum, ad Solis lumen instar Nycticoracis caligantium, permittit.

12. Naturam definitio, quam Philosophus τῆς οὐσίας γνωριστικὸν appellat, clarè satis docet, dummodò non ad τυχοῦσαν tantùm, sed etiam ἀκριβῆ καὶ πρακτικὴν διάνοιαν, quæ sola terminorum positione à Demonstratione differat, comparata sit: Verùm, ut ex iis quæ dicta sunt patet, talem hìc magis optare quàm sperare licet. Agamus igitur quod possumus, ac ejusmodi inveniamus ὁρισμὸν, qui si non exquisitæ scientiæ alicujus, tamen cognitionis sit principium. Id quod fiet, cùm proximum genus &

& differentiam ex subjecto & causa efficiente utcunque determinaverimus.

13. *Quantum ad genus. In eo conveniunt omnes, quòd Pestis accidens sit præter naturam corpus nostrum afficiens, ejusq; functiones gravissimè lædens. Cæterùm an causa sit propriè dicta, an morbus, sive mediatè, an immediatè primùm, an per aliud nos lædat, non omnes idem sapiunt.*

14. *Qui ad causarum censum referunt, hoc fundamento nituntur. Quòd non tantùm viventis corporis partes, sed & aër & fomites, qui extra corporis sunt constitutionem, peste contaminari vulgariter dicantur: cùm tamen morbus non nisi respectu corporis viventis, tanquam adæquati subjecti, à Galeno & cæteris Medicis definiatur.*

15. *Verùm isti pestilitatem & νοσερὰς ἀπορροίας vel μιάσματα, quæ modò in aëre volitant, modò in peculiari fulcro subsistunt, cum ipsa peste, habitu videlicet ac dispositione, quæ per illa quandoq; media à nobis imbibitur, confundunt. Nam quando aëris constitutio pestilens esse dicitur, id non formaliter intelligendum est, quasi aër peste laboret vel ægrotet; sed synechdochicè & causaliter, quòd seminaria morbosa sinu suo complectatur, quæ contactu demùm pestem in dispositis generare possunt.*

16. *Consideremus igitur pestem propriè, ut est dispositio seu constitutio corporis præternaturalis seu intus concepta, seu θύραθεν accepta sit. Hæc vel est Similaris, vel Dissimilaris, vel Communis. Ad dissimilarium vel communium, seu solutæ unitatis continuitatisq; classem, qui revocare voluerit, sanè nullus hucusq;, quod sciam, compertus est, nec qui possit bona ratione, reperietur. Nam dolores, anthraces, bubones, si quis objicere vellet, hunc ego symptoma cum morbo, accidens cum rei essentia, τὸ ἐπιγέννημα cum primario affectu ἀπαιδεύτως confundere, redarguerem. Quare ut similaris morbus pestis sit, consectarium est.*

17. *Sunt autem similares morbi, quod commodissimè primus*

docuit

docuit Sennertus,duum generum. Alii temperiei seu qualitatum manifestarum, quæ ex mutua elementorum commixtione, prosiliunt: alii totius substantiæ, seu occultarum proprietatum, quas Hippocr. δυνάμεις ἀῤῥήτους, Galenus ἰδιότητας τῆς ὅλης οὐσίας, Hermetici cherionios, astrales & essentiales, quòd essentialium principiorum conditionem & σύγκρισιν sequantur, appellitant. Videndum igitur, unde prosapiam suam ducat pestis.

18. Ac intemperiei quidem morbi cùm in plures iterum differentias abeant, qui præterquam ad calidam δυσκρασίαν pestem reducere voluerint, non facilè reperias. Illorum verò plurimos. Quin maxima Dogmaticorum pars pestem aut nihil aliud, quàm extremum febris gradum esse, aut certè cum febre necessariò complicatam indubitanter asserit, ut videre est apud Horat. Augenium, Antonium Portum Firmanum, Iulium Alexandrinum, Palmarium, Alexandr. Benedictum, aliosq; qui pestem cum pestilente febre semper confundunt, & pro eodem agnoscunt.

19. Geminis argumentorum hi pugnant lacertis. Primùm authoritatis, dein rationis. Pro authoritate locum citant Hippocratis ex l. de flatibus, ubi docet febrium alias communes esse, quas pestes vocat, alias privatas, quæ à diætæ labe proficiscuntur. Ex quo, ut omnem pestem esse febrem communem evincat, mirificè præter alios se torquet Augenius.

20. Rationis quoq; duplicia proferunt fundamenta: I. Quòd nullus detur morbus acutus sine febre continua, ex Galeni mente 1. Epidem. s.3. t.3.3. de diffic. respirat. cap.9. de victus ratione c.2. II. Quòd omnis pestis à profunda quadam & excellenti putredine, qua Balsamus vitæ destruitur, & calor igneus in universum corpus dispergitur, emergat; secundum communem sententiam & Præceptorem in 1. de Diff. febr. c.4. 1. in 6. Epid. t.29. 3. in 3. Epid. t.12. & 23. Ex quibus necessariâ volunt deducere consequentia, pestem omnem δυσκρασίαν cordis esse calidam.

21. *Verùm istæ machinæ tanti non sunt, ut nos à veri tramite dimoveant. Tantum enim dissidet pestis à febris natura, ut & hæc sine illa, & illa sine hac subsistere possit. Quod facile nobis erit iisdem armorum generibus, quibus illi contra nos concertârunt, evincere. Primò namq. Hipp. 3. Epid. 3. in statu pestilenti multa partim cum, partim sine febribus accidisse narrat, quæ terrorem potius quàm periculum denunciabant.* Εὐπόεισον *divini Senis sensum* κατὰ πόδα *sequitur, & assequitur Galenus in hujus loci & alterius, qui est 6. Epid. 2. exegesi, item l. 9. simpl. cap. de bolo Arm. quam exhibet pestilenti si febriat non nisi cum vino lymphato; si febris absit cum meraco.*

22. *Dein fidem huic assertioni fœneratur indubia historiarum veritas, qua compertum habemus, pestes quasdam tanta violentia homines adortas esse, ut protinus ipsos è medio sustulerint antequam febrili paroxysmo quidquam concederetur temporis. Annotavit id Iacobus de Partibus in pestilentia, quæ sua ætate instar Basilisci infernalis dimidiam hominum partem demessuit, & Valleriola in alia, quæ Galliam Narbonensem adflixit, ubi repentè instar syderatorum, qui peste correpti fuerunt, conciderunt, cùm alioquin illis neq. pulsus, neq. urina, neq. alia de ullo testarentur calore. Ac talem pestem fuisse reor sub Romulo, in qua, ut Plutarchus loquitur, homines statim sine morbis, id est, febrili languore moriebantur.*

23. *Eandem professionem vis veritatis extorsit Alexand. Benedicto c. 2. Mercuriali c. 18. Capivac. l. 6. c. 36. Foresto l. 6. obs. 10. aliisq., ut palàm testarentur, homines interdum prius veneno inter domesticas & forenses actiones, vel publica negocia in templis, in via sine ullo caloris sensu signoq. fuisse jugulatos, quam locus putrefactioni & accensioni partium solidarum, humorosarum, spiritualiumq. per naturam dari potuerit.*

24. *Docet id symptomatum quoq. vehementia, contagis lædendiq. ratio; quæ si à simplici intemperie germinare possunt, qui non causones aliive caloris excessus tàm subitò nos feriunt & prosternunt, quî non*

non adeò se diffundunt ad plures nationes? Aut quid obstat, quod frigidis contemperari nequeat pharmacis, quod frigidissima quandoque bruma non remiserit? Cur æquè illos, quibus interna æstuant præcordia, quàm quibus in venis alget sanguis, invadit? Quæ singula me herclè tanti sunt, ut evidentissimè quod intendimus ostendant, ab altiori principio, quàm relollaceus calor est, prosapiam suam pestilentes ducere morbos. Quod antequam κατασκευαστικῶς *quoque demonstrem, paucis satisfaciendum prius est argumentis, quæ pro contrariæ sententiæ firmamento prolata sunt.*

25. *Anthoritatem Hipp. quod concernit, magni illam facimus: sed pravè ad suum dogma stabiliendum, eam extorquent. Hoc ait Hippocrates dicto loco, omnes febres communes vel epidemias esse* λοιμώδεις: *Non contra, omnem pestem esse febrem epidemiam. Est enim pestis ratio generalior, quàm epidemiæ febris: ut nulla hîc sit anadosis mutua, nulla* ἀντιστροφὴ*: quod cùm modò Galeni authoritate, exemplorumque fide confirmaverimus, non est quod pluribus nunc urgeamus. Præsertim cum ipsum Augenium prioris quoque enunciationis necessitatem, an omnis febris communis pestilens sit; in dubium revocare videamus, l.6. de febr. c.1.*

26. *Iam rationes & ipsa nutant. Primam quidem falsitatis experientia convincit. Nónne cholera, syncope, venena epota peracuti sunt morbi? Protinus enim ac invaserunt, extremos pariunt labores. Et tamen febrim nullam secum trahunt sociam. Sic Tetanus & Apoplexia tam acuti morbi sunt, ut ille quatuor diebus, 5. §. 6. hæc septem, 6. §. 5. perimere soleat: tantum tamen abest ut febribus implicentur, ut potiùs ab iisdem supervenientibus solvantur 4. §. 57. Quin conceptis verbis idem nobiscum Galenus docet 5. aph. com. 30. & 2. aph. 19. quem videas. Quid verò quòd & ipsi pro se eundem Præceptorem citârint t. 20? Rx. Galenum iis in locis agere non de omnibus acutis morbis in genere: sed de iis tantùm qui cum febribus oriuntur, quas tum demum inseparabiles necessariò & continuas, non intermittentes esse contendit.*

 27. Quod

27. Quod deinde de putredine adferunt, id valdè putidum est, tametsi doctorum claritate & suffragiis plurimùm nitatur. De illa verò quia commodior posthac agendi dabitur occasio, nunc quidem illius Elencho supersedebimus. Sufficit modò demonstrâsse, pestem nec de febris natura esse, nec febri necessariò conjunctam. Quo constituto, cùm nec calore solo, quod jam probavimus, nec frigore aliavè qualitate manifesta simplici, vel composita, humorali vel nuda, quod omnes fatentur, pestis definiri possit, ἐξ ἀνάγκης sequitur esse totius substantiæ, quem Hippoc. divinum, Hermetici astralem, quod astrum internum & superiores potentias petat; alii occultum, quod planè abditis jaculis vitæ insidias struat; durinsculè Fernelius Formæ morbum, quod formale partis impugnet, denominant.

28. Quam sententiam præterquàm quòd astralis, cæcaq; lædendi pernicitas & vehementia, inopina virium vitæq; νέκρωσις, celerrima μιασμάτων ad quosvis optimè valentes transfusio confirmat, evidentissimè quoq; causarum omnium tam προηγουμένων, quàm efficientium, juvantium item medicamentorum rationes demonstrant, quæ cùm à tota substantia agant & occultis vel astralibus proprietatibus, in eundem censum & pestis ut veniat, necessarium est.

29. Probabitur id paulò post pluribus; nunc quia morborum astralium maxima latitudo, ad specialiores eam restringamus conditiones. Sunt igitur ex morbis divinis alii lethales, alii vitales; alii acuti, alii diuturni: alii populares, alii sporadici: alii contagiosi, alii non contagiosi. Quas differentias hîc præ aliis oportet considerare, quòd genus pestilentiæ latissimum ad certam quadantenus determinent speciem. Ac lethalem quidem, eumq; peracutum & contagiosum adfectum, pestem esse, adeò palàm facit funerum frequentia, necisq; celeritas, pernix insultus, ægrotantium ilias, ut nullus tam rerum humanarum imperitus sit, qui negare possit. An verò per Epidemiam definiri possit, de illo magnos quosdam authores dubitasse videmus.

30. Sagacissimus namq; rerum medicarum scrutator Sennertus,

tus, cui quicquid hic est opellæ, acceptum sine pudore ferimus, ex Eustachio Rhudio, hactenus pestem morbum popularem vel Epidemium dici posse concedit, quatenus à causa contagiosa, quæ pluribus communicatur, ortum suum habet: Cæterùm ad morbi pestilentis naturam istud non attinere, sed accidens quoddam esse extraneum: quod vel causam communem, vel effectum pestis, contagium scilicet, sequatur. Etenim posse aliquem peste laborare in quadam civitate, tametsi nullum habeat mali socium. Verùm pace tanti viri, actus primus cum secundo confunditur. Quemadmodum enim lethalis dicitur hic morbus, non quod omnes quos invasit, jugulet, sed quod semper vitam oppetat & extinguere possit. Ita quoq; contagiosus & Epidemius dici potest: non quod actu semper per contagem in alium pluresve se diffundat & multiplicet, sed quod se diffundere & multiplicare possit. Quandoquidem istud de necessitate pestis sit & natura, ad illud verò plures circumstantiæ & patientis dispositio, quæ multifariam agentis actionem ferè ligat, requirantur.

***31.** Nec diffiteri potest id ipsemet Sennertus, quando sufficere ait, ut morbus ille plures inficiendi, atq; in populum passim se diffundendi potestatem habeat, etiamsi nondum actu Epidemius vel popularis sit. Nimirum potestatibus non effectis definiuntur habitus. Ex quo cùm constet de generica pestis ratione, nunc ad subjectum & causam efficientem progredi nos convenit.*

***32.** Quantum ad subjectum, non facilè quidem ullam in tota hominis compage reperias particulam, quæ non pestilentis luis experiatur impetus & truculentiam: veruntamen nullam æquè ac cor, vitæ fontem adfligi cognoscemus, si animum ad functiones ejus proprias, quæ omnium primò & maximè labascunt, convertamus. Nimirum illud primò læditur, cujus vires fatiscunt, actiones vitiantur; quin Galenicorum judicio, actiones perpetua necessitate principiis suis attestantur. In peste igitur, quia nunquam non vitales actiones, quæ cordi tribuuntur, cespitant, nunquam non vita in angusto est, & præsentaneo peri-*

culo: imò lethali facultate pestilens definitur virus, ut cor partem primum adfectam & πρῶτον δεκτικὸν statuamus, oportet. Hoc videlicet afflicto, reliqua quoq; membra in luctum sese vertunt, ac pulchritudinem exuunt.

33. De causa efficiente proxima intricatior est ratio, & major authorum dissensio: quæ tamen ad summa duo redigi possunt capita. Alii enim terribilem & insolitam morbi faciem ac perniciem attendentes, de peculiari quoq; & potentiore causa, quæ totâ substantiâ cordi inimica sit, occultoq; modo pugnet, cogitarunt: Alii ne parum scire viderentur ex ignorantiæ asylo ad putredinem confugerunt.

34. Sed isti cùm viderent plurima putrescere, quibus tamen nihil pestilentiæ inesset, varios & inexplicabiles putredinis labyrinthos, quibus se occultarent, commenti sunt. Fracastorius enim non nisi sordidam ac profundam putredinem agnoscit: Augenius excellentem & magnam, quæq; proximè ad corruptionem tendat: Anton. Portus plura conjungens, largam, profundam, sordidam, conclusam, ad minima elaboratam, & in lentore constitutam: Alexander Massaria peculiarem terminum & gradum putredinis, quem nemo forsitan satis explicare possit, effinxerunt.

35. Sed quomodocunq; putredinem describant atq; definiant, pestis naturam & causam per eam non satis explicant, nec veritati satisfaciunt. Primò namq; putredo per solas qualitates manifestas lædit, calore nimirum extraneo corpus incendente, separante humidum à sicco, & tandem mutante id, quod putrescit, in fimum & terram, ex Arist. 4. mete. potestq; à putredine non nisi qui in primarum ac manifestarum qualitatum discordantia consistit, morbus excitari. Atqui pestem esse longè alius generis & conditionis, satis patet.

36. Secundò, nulla putredo tam subitò generari, tamq; subitò hominem jugulare potest, ut quidem pestis solet, quin nec adeò diu tam excellens & magna, tam sordida, profunda, & ad rei corruptionem tendens (qualem describunt) in corpore nostro latere, ut nulla de se indicia præbeat.

37. Præ-

37. *Praterea plurima febres putrida reperiuntur, in quibus tanta est putredo, ut quocunque ea nomine appelletur, longè major sit, quàm sæpe in peste animadvertitur, quæ nihilominus pestilentes non sunt. Et contra multi, quibus nullum vel in habitu, vel in humoribus vitium, peste afficiuntur: alii verò in quibus magna humorum putrescentium colluvies hospitatur, & vel tertiana, quartana, ulceribus vel aliis, etiam fœdis morbis laborant, nullam ex peste molestiam sentiunt, tametsi frequentiùs etiam cum peste infectis conversentur, quàm alii qui optimo corporis habitu gaudent.*

38. *Adhæc si pestis dependeret à sola putredine, scopus & præservationis & curationis ad solam putredinem esset dirigendus: At verò in peste si hoc feceris, aut nihil proficies, aut parum, nec nisi per accidens. Nobilioribus igitur opus est medicinis, sublimioribus antidotis, quæq; latente ἀντιπαθείᾳ, quam nullus hucusq; nominare potuit, venenum pestilens demoliantur: de quibus pleni sunt omnium medicorum libri.*

39. *Quamvis verò plerumq; Bezoardica illa, desiccandi aperiendiq; facultate participent; ut propterea Minadous ad putredinem pestilentem tollendam ea sufficienter dotata esse scribat; nondum tamen effugit nostra retia. Nam si manifestis illis qualitatibus agunt, ut quidem vult, alexiteria, cur cùm plurima sint, quæ longè validiùs exsiccant & reserant; non illa quoq; in catalogum medicamentorum, quæ pesti resistunt, ascribuntur? cur non alexipharmaca in reliquis etiam putridis febribus exhibentur? Nimirum aliud quiddam est, & divinius in hisce antidotis, quàm quod elementorum indolem imitatur, cujus beneficio pestilentiam abigere creduntur.*

40. *Vlterius, si tanta tamq; excellens, tam sordida ac profunda est putredo, quæ corpus in peste ad interitum tanta rapit velocitate, quomodo tam subitò corrigi, & unico quandoq; sudore auferri potest? cùm constet in aliis febribus, in quibus non tantus putredinis gradus ex istorum autorum opinione, tam citò corrigi & emendari non posse.*

41. Tan-

41. *Tandem, cùm nulla putredo certam aliquam habeat analogiam ad certam duntaxat animalis speciem, quî fit, quòd pestes eam plerumque pensi habeant? Observatum enim est, non semel grassatas fuisse pestes, quæ pueros & juvenes non lædebant, & solos senes affligebant. Ita & pestes fuêre, quæ sub Austrina constitutione planè cessârunt, sub Aquilonia verò totas urbes depopulatæ sunt.*

42. *Quibus certè persuademur, malum hoc non cognitis & evidentibus qualitatibus, caloréve putredinali; sed viribus occultioribus totiusq; substantiæ malignitate ac venenositate vitam nostram aggredi. Id quod non tantùm præceps internecio, viriumq; lapsus, subitus ob aërem haustum vel contactum insultus, febris absentia, aliaq; id generis symptomata, quæ à mera putredine, sive extensiva illa sit, ut in Elephantiasi, sive intensiva, ut in febribus ardentibus, esse nequeunt, clarissimè docent: Verùm & Aretæus olim & Hippocrates, & post hos Galenus comprobant: quando iste 3. in 3. Epid. 75. 3. de loc. adf. 7. 2. in 1. prorhet. 17. & l. de theriac. ad Pison. cap. 67. talem vim pesti inesse scribit, qualis est in medicamentis deleteriis; atq; ideò alexiteriis, ut quæ καθ' ὅλην τὴν οὐσίαν agunt 6. in 6. Epid. 5. 1. de antid. 1. infringendam censet in l. de theriac. ad Pisonem & Pamphiliam.*

43. *Porrò quænam sit veneni istius vel malignitatis natura specifica, & quomodo ab aliis venenis differat, fatemur nos ignorare. Ideò sub occultæ potentiæ munimento nos occulimus. Neq; difficulter patimur nos in ignorantiæ asylum cogi. Siquidem non minima sapientiæ pars sit, quædam æquo animo ignorare velle, Scal. ex. 307. s. 29. & in omni vita preciosissimum sit intelligere & nescire quod nescias, Cælius Rhodig. l. 1. lect. antiq. c. 7. Præsertim cùm adeò multa lateant animos in natura temperatos, illudant curiosis, ac velut à ciconia vulpes, quod est in fabulis, ita nos hisce in rebus eludamur, vitreum vas lambentes, pultem non degustando, ut elegantissimè loquitur subtilitatum Magister exerc. 218. s. 8. exerc. 307. s. 21.*

44. *At fuerunt quidem magni animi & doctrinæ viri, qui, ut*

ut naturam veneni pestilentis oculis repræsentarent, multum operæ locârunt. Præter alios in hoc genere sudavit Quercetanus noster, qui, cùm propriis destitueretur nominibus, analogicè Napellinum, aconitale & arsenicale illud vocavit, propterea quòd vehementia modoq; lædendi maximè conveniant. Verùm si accuratè quæ de venenosis illis pharmacis commemorat, cum pestis symptomatibus contuleris, animadvertes ea non tam specie quàm genere deleterio & internecino reciprocare. Id quod multis posset ostendi documentis, nisi res satis esset aperta, & in immensum ideo διήγησις nostra cresceret. Itaq; lubenter eidem amplissimam largimur congruentiam, ut appositè quoq; pestilens virus per napellinas illas tincturas explicârit: Verùm specificam identitatem negamus. Atq; ut τῷ εἴδει quoq; eadem sint, quia tamen nedum patet, quæ sit Napelli, aconiti, arsenici formalitas, ne pestis quidem essentiam satis notificare potest & exprimere.

45. *Sic igitur ex rei principiis, postquam confecimus in quo pestis cum aliis morbis consentiat, in quo discrepet, quantulam licet, nunc inde teximus definitionem; quòd* Pestis sit morbus astralis Epidemius, contagiosus, occulta proprietate vitæ inimica, cor vehementer adfligens.

46. *Ex his verò cùm adumbratam quandam de natura pestis cognitionem haurire liceat: nunc ut prophylaxin commodiùs instituere possimus, ad reliquas quasq; causas remotiores devenimus: Illæ verò sunt vel extrà nos constitutæ, vel in nobis sitæ. Inter externas primùm numeranda venit causa causarum, summus rerum arbiter Deus: qui non secundum ordinariam tantùm potestatem per naturalia media, verùm etiam secundum absolutam omnipotentiam sine causarum secundarum concursu, pestilenti calamitate hominum scelera vindicare, & justitiæ suæ jura potest exsequi, ut patet ex Levit. cap. 26. Num. 14. Deuter. 26. 2. Regum 24. Amos 3. Ezech. 5. Actor. 17. & inprimis memorabili historia, quam ex l. 9. c. 9. histor. Ecclesiast. Eusebii tangit Quercet. in Alexicaco cap. 5. Quin ipsi gentiles divinam hic agnoverunt ul-*

Hh tionem,

tionem, ut constat ex Homer. 1. Iliad. Plutarch. in vita Romuli, & aliis pluribus.

47. *Cæterùm hæc ad Theologorum spectant pulpita: nos quod physicos decet, in naturales tantùm inquirimus causas. Eæ sunt triplices, Aer, victus, & contactus. In aëre plerumq; mali causa: quin nullus peste laborat, à quo non pestilentes ἀπόῤῥοιαι effluant, illumq; contaminent. Inficiatur quidem id Mercurialis, quod si tantillum pestilentis malignitatis contraheret aër, omnia animalia necaret, cùm in momenta copiosissimus inspirando attrahatur: Ideoq; non nisi in dispositis ad generandum intus in corpore venenum, quatenus calorem præternaturalem accendit, facere posse statuit.*

48. *Verùm sensus pœnam incurrit, novam rationem dum exsculpsit. Abundè namq; compertum habemus, plurimos extemplo post haustum venenosum aërem mortuos, ut venenum demùm in corpore generari non potuerit. Quin gravissimæ omnium & perniciosissimæ, quæ ab aëris labe sunt, pestes esse creduntur. Nec urget sequela quam necit: Propterea quòd actiones efficientium non sint efficaces, nisi in idoneis subjectis: cùm quodlibet secundum propriam conditionem, non agentis virtutem recipiat. Deinde non totus aër veneni naturam induit; sed hinc inde tantùm inquinatur: quo fit, ut nec omnes interimere possit, sed eos tantùm qui præter aërem purum inquinamentum illud absorbent.*

49. *Suscipit verò aër malignitatem vel ex superioribus, vel sublunaribus. Ex superioribus sunt sidera, quæ licet simpliciter bona sint, & ad variarum rerum conservationem & generationem opes suas mirâ benignitate conferant: tamen ex accidenti quoq; corruptionem causant, proq; diverso congressu, varias quemadmodum in homine, sic aëre & universo, mutationes efficiunt, quod non Hippocr. tantùm in l. de aere, aquis & locis affirmat, sed cotidiana quoq; testatur experientia.*

50. *Quales autem astrorum sint συζυγίαι, quæ ratio & irradiatio,*

tio, quis influxus, tam facilè est definire, quàm ipsam pestis essentiam. Astrologi maxime ab infelicibus Iovis & Martis, aut Iovis, Martis & Saturni combinationibus, cladem hanc deducunt: Item si contigerit Eclipsis triumphante Marte: Volunt quidam quando Saturni stella motu suo transit igneæ triplicitatis signa, Arietem, Leonem & Sagittarium, utplurimum pestes oriri: sed de his, quod captum nostrum excedant, Astrologos disserere permittimus.

51. *Ex inferioribus malignitas in aërem disseminatur ab exhalationibus venenatis è terræ cavernis ac specubus vel jam patentibus, vel ob terræ motum hiatu facto, unde vapores valdè tetri ac fœdi, in locis inprimis metallariis, exspirant, & inficiunt aërem. Ex lignorum & cadaverum sub dio putrescentium copia & similibus aliis, quod historiæ docent, & abundè D. Augustinus l.7.c.31. de civit. Dei confirmat illius pestilentiæ documento, quæ ex locustarum mortuarum copia exorta cum fuisset, in solo regno Masinissæ 80000. hominum peremit: Item ex venenosis peste infectorū exhalationibus; ex sentinis navium, lacubus, stagnisq́; corruptis, inprimis ex iis, in quibus linum aut cannabis macerata fuerunt.*

52. *Contrahit verò aër hanc malignitatem, inprimis si non ventiletur, si annus à ventis in totum sileat, & vapores putridi conclusi quodammodo, non possint discuti, sed majorem malignitatem acquirant.*

53. *De victu multi negant, inprimis Donat. ab Altomari, & Horat. Augenius, an Epidemiam nostram producere queat, quod communis morbi, communis sit causa. Quasi verò non victus etiam communis esse posset: Imò sæpissimè non nisi communia diviti cum paupere conceduntur, ut pocula, sic fercula, in castris præcipuè, annonæ caritate, obsidione diuturna, &c. Si venenis inficiantur putei, vel eadem labe conspurcentur crescentia, ut fruges, fructus horarii, &c. sicq́; mucorem vel rubiginem contrahant.*

54. *Exemplum hujus rei tragicum extrema Hierosolymæ no-*

bis exhibet obsidio, cui simile est quod ex Avenzoare citat Gerard. Columba l.1.c.4. Ipse Gal. de succ. bonit. & vit. c.1. ob depravatum victum pestem exortam, & per plurimas Romano Imperio subditas gentes multis deinceps annis continuò sæviisse, meminit. Quamvis talem pestem per se solam diu durare non posse remur, quin contagii seminaria ex peste laborantium corporibus assiduè exspirantia, in aerem tandem deriventur.

55. *Ultima superest causarum externarum, contagium seu contages, cujus præter quàm Mercurialis docet, expressam satis mentionem faciunt majores nostri, ut videre est apud Quercetan. c.2. l. de peste: quamvis primus Fracastorius eam sibi sumpserit enodandam. Est verò contactus duplex, vel immediatus vel mediatus: Ille non nisi per aërem; hic verò insuper per fomitem accidit, aut corpus intermedium. Qui per aërem fit, iterum duplex est, vel ad distans, quando ex remotioribus locis concepta advehit seminia, quod in peste Attica factum, quam ex Æthiopia Athenas usq; cum ventis migrâsse scribit Thucydides & Lucretius: vel ad præsens, quando ex vicinia ob continuum peste laborantis effluvium* λοιμικὰ τὰ σπέρματα *haurimus.*

56. *Fomitem suppeditant ea corpora, quæ contagium promptè recipere, commodè retinere aliisq; communicare possunt. Promptè recipiunt corpora rara, laxa, multisq; foraminibus ac poris pervia: Minus apta ad recipiendum sunt dura, solida & compacta. Hinc Mercurialis simplices eos nominat, qui tempore pestis monetas tractare verentur: verùm quia rubiginem contrahere possunt, sæpè etiam immunda sunt & sordidæ, nullum dubium est, quin humentibus peste infectorum manibus si contrectentur, seminaria quoq; suscipere possint.*

57. *Diutiùs conservant corpora quæ nullo insigni qualitatum excessu, quæ vim illorum infringere possint, sunt prædita; quæ immota nec ventorum flatibus multum exposita. Ac possunt quidem ejusmodi semina aliquandiu vestibus suis etiam circumferre homines, quæ alios postea inficiant, ut non sine ratione per certum temporis spacium à consuetu-*

ſuetudine vulgi laudabiles Reſpubl. arceant eos qui ex ſuſpectis locis adfluunt: Verum ut intus in ſinu, in corpore ſine ſenſu, ſine noxa diu foveant, fieri nequit. Propterea quòd venenum hoc ſummè efficax ſit, & proinde citò lædat, matureq́ue iterum à calore noſtro tanquam hoſte infenſiſſimo oppugnetur.

58. *Faciliùs communicant, ſi corpora illa incaleſcant, moveantur & agitentur. Ita ſæpiſſimè obſervatum eſt, ſeminia quæ per aliquot annos in funibus, trabibus ociosè delituerant, facta commotione demum ad deplorandas clades prorupiſſe, inq́ue infinitum ſeſe propagâſſe.*

59. *Atq́ue hæc omnia cùm pro calamitate Epidemia ſatis ſint efficacia, inventi tamen præterea ſceleſti ſunt nebulones, qui diabolicis artibus certâ concinnare didicerunt pharmaca, quibus eandem labem diſpergerent. Exempla nimis ſunt obvia apud Livium Dec.1.l.8. in vita Commodi Imperatoris. Iordan. tract. 1. de peſt. phæn. c. 18. Augen. tom. 1. l. 1. Epiſt. 1. & Querc. l. de peſte: quorum memoriam nuper refricuerunt in Sileſia Francoſteinii & Wratiſlaviæ pollinctores, qui ex rebus quibuſdam pulverem conflârunt, & paſſim diſſeminârunt tantæ virulentiæ, ut quicunque leviter tantùm attigerunt, protinus vitam cum morte commutârint.*

60. *Ita habuimus cauſas efficientes externas: ſequuntur internæ. Iſtæ iterum duplices: vel* προκαταρκτικαὶ, *vel* προηγούμεναι. Προκαταρκτικαὶ *ſunt animi inprimis adfectus, inter quos palmam tenent triſtitia, terror, metus & imaginatio vel attenta de malo cogitatio. Imaginationi ſanè quidam tantum tribuerunt, ut eam ſine aliqua cauſa extrinſeca in corpore peſtilens venenum generare poſſe docuerint. Quid verò metus, quid terror poſſit, ſatis in propatulo eſt; cùm quo quiſq́ue eſt meticuloſior, hoc citiùs peſtem contrahere videamus: contra veſpillones, lurcones aliosq́ue projectæ audaciæ homines tantò magis immunes, quantò cordatiores. Nimirum ita profunde & fortiter cordis ſinubus venenum attractum inſerunt pathemata, ut ægrè quantumvis maximâ medicus*

 cone-

conetur industria, iterum ejici possit, adeoq; perrarum sit illos evadere, qui terrore metúve morbum accersiverunt.

61. Sunt tamen & alia quæ faciunt, quò venenum faciliùs contrahatur. Aër namq; dispersa cùm malignitatis foveat semina, qui per ipsam asperam arteriam & spiracula cutis attrahitur, & ad cor defertur, accidit ut qui frequentibus ob æstum internum per vehementes motus, &c. respirare tenentur, patentiores quoq; & ampliores poros habent, quales sunt in corporibus mollioribus, & post usum balneorum, citiùs contagium attrahant vel admittant.

62. Προηγουμένη, *est dispositio corporis ob quam quis faciliùs peste corripi queat; debetq; certam analogiam cum causa venenosa habere. Verùm cùm pestis nos lateat indoles, fit ut nec analogiam, nec dispositionem ex analogia illa deprehendere vel definire possimus. Neq; hîc ad sexum, ætatem aut temperamentum vitæq; genus est refugere, cùm nec infimæ sortis, nec lautæ conditionis hominibus sæpenumerò parcat, non validis nec valetudinariis, non juvenibus nec decrepitis, sed æquâ tyrannidis lege viros & mulieres, calido frigidóve temperamento præditos, temperantes & helluones, cacochymicos & evecticos ex humana tollat societate.*

63. Quæ utut ita se habeant, aliquam tamen licet exinde comprehendere facilitatem; si inter corpus quod communicat & quod recipit intercedat aliqua similitudo. Vt enim causa illa præter naturam priori adversa, tamq; potens fuit, ut communicans vincere potuerit: ita & alteri quod communicanti simile, adversa est, satisq; potens ut illud æquè ac prius inficere valeat. Vnde fit, ut interdum solummodò consanguinei à consanguineis infectionem patiantur; atque integræ familiæ deletæ sint. Observatum quoq; est, multos quibus cum peste infectis nulla intercesserat sanguinis conjunctio, impunè cum iis conversatos fuisse: qui tamen à consanguineo infecto idem malum facilimâ occasione contrahebant. Ideoq; refert Schenckius in observ. suis ex Cardano, quòd aliquando Basileæ solummodò Helvetii peste fuerint

rint ucti, atq; eo tempore vix unus atq; alter Gallus vel Italus obierit.

64. *Ita si pestilens venenum cum aliquo manifestarum qualitatum excessu vel putrilagine, cum occulta cordis vel totius dispositione concurrat; aliquâ pravorum humorum sentina, citiùs seminaria illa in similiter temperato vel cacochymico corpore radices agere possunt. Atq; hinc est quòd prægnantes quoque facilè corripiantur, quia pravorum succorum copia turgent, quàm qui sunt optima constitutione.*

65. *Explicatis hac ratione pestilentiæ causis, nunc ad differentias deveniendum esset: sed quòd formales hæ sequantur & essentiales proprietates, quæ* θαυμαστοὶ *magis sunt quàm scibiles, eas reddere possibile non est. Ratione causæ in cœlestes & elementales (intellige interna elementorum) has iterum in igneas, aëreas, aqueas, & terreas, ad Paracelsi arbitrium distinguere licet. Vulgus ratione subjecti primarii in Ephemeram, Hecticam & putridam dispescit, quam divisionem suis relinquimus authoribus, quòd parum ad rem faciat, atq; in hoc potiùs laborabimus ut cognitæ pestis curam proponamus.*

66. *Cognoscitur verò pestis per peculiaria sua signa. Eaq; vel est futura, vel præsens. Futuram pestem præsagiunt causæ antecedentes, ut grandia populi delicta, quæ ad ultionem Æternum sollicitant Numen: vicinæ gentis vel civitatis quæ cum nobis communio, contagia; magna fames: Nam* μετὰ λιμὸν λοιμός. *Item malignæ siderum conjunctiones, Eclipses, cometæ, uberior chasmatum proventus, parelia, trajectiones inusitatæ & multum fœtentes, capræ saltantes sulphureæ, lampades nocturnæ propè terram, ingens cœli rubor per multos dies, ros melleus copiosior, pluviæ inusitatæ, ferri, sanguinis, carnium, lactis, ranarum caudatarum, murium, lumbricorum, lapidum, atq; id genus plura. Non quod singula necessariò: sed quod omnia contingenter pestem prænuncient.*

67. *Huc faciunt anni temporum decursus præter naturam: ut ver calidum & siccum, æstas calida & humida, hyems pluviosa, aëris nimia*

miæ siccitates vel humiditates, fœtor & nebulæ: Si serpentes, angues, canes, lupi in homines præter morem sæviant; si bubones nocturni capillati clamitent, cavernas deserant, de die appareant, & ad alias regiones divertant: Si aves ex propriis nidis discedant; & ova dulcesq; pullos deserant: Si nimis multiplicentur muscæ, araneæ, locustæ, vermes, mures & reptilia, ut limaces, erucæ, ac insecta reliqua.

68. *Conjecturam quoq; facit panis, si recens clibano extractus, calidusq; lanceæ impositus, ac sub dio per noctem unam aëri expositus, mane mucidus ac putridus videatur: ovum item nuper editum, aut pomum si per noctem aëri exposita putredinem contrahant: si legumina vermiculentur: sin ædium parietes non in locis subterraneis, sed in supremis, tabulata quoq;, muri, linteamina & lectisternia præter solitum humescant.*

69. *Sic aquæ fœtor & caligines subvirescentes, inq; summitate pingue quiddam instar telæ araneæ natans non ex optimis sunt præsagiis; item si præter naturam crassiores sint molliores aut calidiores. Si fontes qui antea limpidi fuerant & clari præter evidentiam cœnosi & turbulenti reddantur, pisces moriantur, & ranarum quæ in tergo cineritii, in ventre lutei vel diversi coloris sint, invalescat copia in viis & littoribus: si rubetæ & culices majore numero aquis innatent, cancri contra & aves aquaticæ undas deserant, aut ex his quàm plurimæ moriantur, plerumq; pestis aqueæ sunt prodromi.*

70. *Ex terræ labe sinistri quid portendunt boletorum fungorumq; graveolentium copia: sata item, germina, vites, arbores fructiferæ & cerealia si marcescant pereantq;, fructus injucundi, insipidi, vel mali saporis sint, aut vermium tinearumq; injurias plus æquo persentiscant: item si animalia sub terris in cavernis delitescentia, ut mures, talpæ, &c. latebras suas deserant, cæteriq; greges & armenta pereant.*

71. *Quibus & alia conjungere licet omina: ut si carnes justo citiùs putrescant; si prægnantes levissima ex occasione frequentissimè abortiant: si exanthemata, ecthymata, variolæ atq; morbilli non modò infan-*

infantes, sed & adultiores corripiant, pluresq́; interimant, aut anthraces & carbunculi frequentiùs erumpant.

72. Tandem si spectra & lemures noctu terreant mortalium animos: Si querulæ nocturnæq́; voces, horrendi strepitus in aere, instrumentorumq́; vespillonum sonitus in cœmeteriis audiantur, aliaq́; id generis terriculamenta frequenter objiciantur. Ac istorum quidem signorum omnium quò plura concurrunt, quòq; graviora & vehementiora sunt, eò certius calamitosum aut pestilentem prænunciant annum.

73. Quæ præsentem pestem ostendunt, & ipsa varia sunt. Nihil enim mali est quod pestis secum trahere nequeat: Verè ut Protheus omnium morborum faciem assumit, omnium pallio se contegit. Videas hunc sitire, illum ardere, alium vomere, alium vigilare, alium stertere, delirare, sudare frigidum, exspirare fœtidum. Inprimis tamen ad antecedentia hìc respiciendum & consequentia. Antecedentia sunt omnes causæ & περιςάσεις: Vbi quidem maximam suspicionem præbet epidemia & contagium, si videlicet populariter tum grassetur pestis, aut cum infecto conversatus fuerit æger. Consequentia sunt tum actiones læsæ, tum excreta, tum qualitates mutatæ.

74. Ex actionibus læsis maximè demonstrativa est repentina atq; insperata virtutis vitalis dejectio, quam causa præcesserit nulla manifesta, nullæ vigiliæ, nullæ insignis evacuatio, non inedia vel injuriæ externæ. Hanc consensione quadam reliqua deinde sequuntur symptomata, ut sunt frequentes animi defectus, syncopæ, palpitationes cordis, respiratio parva, difficilis, crebra: pulsus parvus, obscurus languidus, inæqualis, frequens, interdum etiam moderatus.

75. Inter excreta numerandæ vomitiones vehementes, sinceræ vel æruginosæ: alvi profluvia immoderata. Sudores pauci, frigidi & particulares, in præcordiis, fronte & cervice. Vrinæ nunc tenues & crudæ: nunc turbatæ & jumentorum urinis similes: aliquando lividæ aut coloris plumbei, frequentèr fœtidæ, quandoq; oleaginosæ: quin & sanis nonnunquam in maxima virium imbecillitate similes.

76. *Ad qualitatem mutatam pertinet facies cadaverosa, Hippocr. vel erysipelatodes: lingua scabra, halitus fœtens, maculæ, exanthemata, bubones & carbunculi: qui quomodo ab aliis differant, ut in lue venerea, &c. optimè docet Quercet. ad cujus lectionem te remitto. Ubi notaveris ex commemoratis signis non omnia simul apparere, sed alia aliis, neq; ex uno vel altero seorsim, sed pluribus conjunctim: atque omnium maximè ex contagio, nocendi vehementia & necandi celeritate conjecturam esse capiendam.*

77. *Nunc ad curam progressum facimus, quæ duplex est, prophylactica & therapeutica. Utriusq; autem à Divino numine facienda exordia: cujus iram non thure & hostiis, sed precibus & inculpata vita ad misericordiam flectere debemus. Facere volebant hoc Ethnici, quando Podalirius & Machaon in bello Trojano ab Apolline Græcorum exercitui immissam pestem, non arte sed sacrificiis abigendam censebant, quos postea imitati sunt alii magno numero, ut videre est apud Heurnium l. de peste, c. 1. Quantò igitur magis Christianos nos decet esse devotos, ut sub umbra alarum omnipotentis Dei nostri securi confidenter ambulemus contra timorem noctis, & sagittam quæ volat in die, & pestem quæ vagatur in tenebris, quæq; vastat in meridie.*

78. Πεϱφυλάξεως *ratio in duobus consistit: vel enim causam vel subjectum respicit. In causa est tum aër, tum contagium, tum victus. Aërem igitur vel declinare vel immutare nos decet. Declinamus, quando maturè in locum serenum tutumq; nos recipimus, nec facilè recedimus. Periculosius enim est è loco salubri in locum infectum transitus, consultiusq; ii faciunt, qui domi manentes periclitantur, quàm qui abeunt, & peste nondum sopita, ad certam perniciem redeunt.*

79. *Quia verò officii vel pietatis ratio non semper permittit: istud inprimis observandum est, ne quis in publicum se facilè conferat, nisi una atq; altera hora post Solis exortum, cùm caliginosus aër & vapores probè discussi & absumpti fuerint: Tum infectionis illius malignæ in aëre causa præcidenda, si in manibus id nostris fiet. Cavernæ & hiatus*

hiatus terræ in culpa si sint, occludendi. Cadavera insepulta sepelienda, aut alio modo amovenda. Insuper quæ vel fovere vel propagare luem possunt, auferenda: ut fimus & stercora in publico & privatis ædibus cumulata, potissimùm suillum & anserinum: Quandoquidem constet ista in pestilenti constitutione esse maximè noxia. Dandaq; opera, ut quantum fieri potest omnia putrida extra civitatem ædesq; ejiciantur: quòd contagium facilimè recipiant, & tandem in malignitatem degenerent.

80.. Adhæc aëris correctioni studendum est. Si qualitatum excessu peccet, contemperandus contrariis: si conclusus situm quendam contraxerit, eventandus, luculentaq; flamma vel ex simplici ligno, vel medicatis & suaveolentibus, ut junipero, lauru, cypero, absinthio, &c. castigandus est: quod & Hipp. Athenis, & Acronem Agrigenti felicissimis ausibus fecisse legimus.

81. Huc faciunt poma odorata, quæ manibus detenta grato odore aërem perfundunt, olfactaq; non cerebrum tantùm, sed & cor maximè confortant. Eorum cùm plurimæ passim in antidotariis, atq; alibi prostent descriptiones, videndum ut illas vel seligamus, vel ipsi componamus, quæ præsenti constitutioni & personæ sunt convenientissimæ. Ne nimia subtilium aromatum copia viam veneno faciamus, caputq; calidius, vel mulieres hystericas lædamus. Præstat pila fraxinea cui spongia aceto scordii, ruthæ, fl. tunicæ, aq. rosac. vel fl. arant. madida, inclusa sit.

82. Nec abs re fuerit suffitum è troch. è camphora, baccis junip. succino: Aceto ros. galegæ, fl. tunicæ, nitroso vel vitriolato super lamina ferri candente asperso, aviculis Cypriis, atq; id genus aliis, quæ præterquàm quòd tota substantia malignitatem pestilentem corrigunt, putredinem quoq; inhibent.

83. Victus communis si in magna annona caritate calamitosus sit, & evitari non possit, emendari tamen debet bezoardicis, quaq; malignitati resistunt & corruptioni, ut zedoaria, baccis juniperi, &c. Car-

nes, pisces, in aceto vel omphacio cum pauco sale macerentur, mox salsedine elota coquantur, condianturq́ iis quæ quidem præstò sunt medicinis.

84. *Propter contagium vitanda frequentia hominum, conversatio item cum infectis, præcipuè si sint sanguine conjuncti, & salva pietate liceat; claudendæ fenestræ quæ respiciunt domos infectas. Vel sin omninò cum infectis nobis loquendum sit, faciamus hoc ore averso, nec vento secundo sed adverso. Cavenda contagii semina, quæ suis fomitibus vel advehuntur vel conservantur & propagantur. Ideoq́ à commerciis cum infectis vel de infectione suspectis abstinendum: sæpè immutandæ vel suffiendæ & eventandæ sunt vestes: ædes à sordibus & telis aranearum liberandæ: removendi canes, feles, & id genus alia.*

85. *Hac igitur ratione præcavemus externas veneni injurias: restat nunc ut subjectum muniamus, ne facilè impressiones in Astronomiam suam admittat. Est verò subjectum aliud partiale, Cor: aliud integrale, totum corpus. Sanè cordis quæ dispositio fortissimè recalcitret, non nisi ex eventu demum cognoscitur.* Ἐν πλάτει *juvant, tum alexiteria, quæ intus assumta robur illi simul aspirant: tum foris admota quæ vitæ arcem ab insultibus deleteriis præmuniunt.*

86. *Ex internis quæ balsamum vitalem, ne auram malignam facilè complectatur, animant, infinita penè numerantur tum simplicia, tum composita. Ex simplicibus gregem ducunt zedoaria, nuclei juglandis cum ficubus, foliis aliquot ruthæ & butyro recenti; baccæ juniperi in aceto quodam bezoardico maceratæ, allium cum butyro recenti & frusto panis, rad. angelic. imperat. valer. levist. aceto correctæ, & quæ passim extant alia.*

87. *Compositorum non minor apud authores seges, ut magis de imbellium inani turba quàm penuria antidotorum conqueri possimus. In his eminent elect. de ovo, theriaca Androm. Mithrid. vel Germanica Fuchsii, antidotus luis Quercet. Saxonica Moibani, viperina cum ol. salis, confectiones cordiales, &c. nucum. Aquæ theriacales, campho-*

phora-

phorata. Vinum Creticum cum aliquot sp.rof.& vitrioli guttis, morsul. liberant. flor. sulphuris, Impertor. camphor. inuncti ol. cinnam. angel. junip. Extracta verbenæ, tormentil. millefol. scorzoner. cum propriis suis salibus facta. Pulveres varii bezoardici, ex viperis, specieb. cordialib. &c. In quorum dextro usu semper ad circumstantias, ne eadem cachecticis, prægnantibus, phlegmaticis, infantibus præscribantur; sed reliquis etiam coïndicantibus satisfiat, attendendum est. Tum variandæ medicinæ, ne eidem jugiter assueta natura, pro ludibrio posthac habeat.

88. Externa vel topica eodem collimare debent, quo interiores antidoti. Huc itaq; pertinent aquæ, unguenta & olea, balsama & extracta cordialia, quibus facies conspergitur, os eluitur, manus mundantur: Auribus item, temporibus, naribus, arteriis pulsantibus & cordis regioni illinuntur. Huc quoq; referunt nonnulli τῶν περιάπτων loco placentulas ex arsenico aliisq; venenosis confectas. Paracelsus Xenechda sua, linguam vivo colubro ultima Lunæ quadra extractam, Marsilius Ficinus Mercurium testa nucis avellanæ inclusum commendant, alii alia, quæ utut vi magnetica ad extrahendum è corpore infecto venenum, pollere concedam, quid tamen ad προφύλαξιν faciant, nondum ex observationibus & rationibus quas accumulant, percipere potui.

89. Ita fuit subjectum partiale: totius habebitur ratio, siquidem omnium ægritudinum præsciderimus fomitem, illudq; integra asseruerimus valetudini. Itaq; plethoricum si sit, sanguinem dememus: si cacochymicum, purgabimus iis quæ de bezoardicis quoque participant viribus, & spiritus clarificant, ut sunt pil. pestilent. Ruffi, aloë balsamica cum extract. rhab. pil. Bavaricæ Bayri, de hiera cum agar. alephang. triphera Persica, morsuli de citro solutivi, &c. Simili ratione alia succorum tollemus vitia: ubi sanitati restitutum fuerit corpus, in eadem decenti sex rerum non naturalium usu conservare conabimur. De aëre qui corrigendus sit, jam diximus.

90. Victus nisi planè pravus sit, temerè non est mutandus;

quia nec exquisitæ victus leges strictè servari possunt: nec quatenus cibus, potusq; alimenta sunt, pestilenti veneno resistunt: nec pestis causa esse queunt. Quinimò si nullam ex consueto victu gravitatem vel noxam percipiat, sed potius integra sanitate & valetudine fruatur, is servandus. Possumus tamen aliquid bezoardicorum addere, atq; hac ratione victum medicamentosum, qui simul nutriat & veneno resistat, efficere.

91. *Abstinendum verò à victu, qui facilè in corruptionem tendit, quiq; pestilens venenum fovere, vel communicare, vel augere potest. Itaq; si pestis radicem habeat in inferioribus, vitemus tubera, boletos & universum fungorum genus. Suspecta inprimis est brassica præcipuè capitata, quia aërem corruptum faciliùs cavernosis ac sinuosis foliis concipit, ac diutiùs fovet & conclusum retinet. Vitandi item fructus qui ab aëre pluviisq; noxiis aliquid inquinamenti susceperunt. Quantitas victus sit moderata: Quia ut inedia & sitis diuturnior vires exhauriunt, corpusq; enervant, ita nimis larga repletio vires nimio onere premit.*

92. *In somno, vigilia, motu & quiete mediocritati studendum: Hæc enim si excesserint, corpus calefaciunt atq; rarefaciunt, augetur respirationis necessitas, qua aër inquinatus majori copia in cordis penetralia rapitur, vires præterea dejiciuntur, atq; ita causæ disponentis rationem obtinent.*

93. *Inprimis omnes animi affectus moderandi sunt, abjiciendus timor & intenta de peste cogitatio, animus sit tranquillus, spesq; in Deum directa.*

94. *Alvus quotidiè suum officium faciat, ne aliqua colluvies excrementorum colligatur. Quod si aliquid collectum fuerit, evacuetur per blanda, non per vehementissima, quæ multum commovent & exagitant corpus pharmaca, ut sunt scammoneata & colocynthiaca. Qui proni sunt in sudores matutinos, eos non negligant, nec impediant, vel detineant. Nam si fortè veneni aliqua scintillulla concepta fuerit, hac ratione extinguetur.*

95. Tantum de præcautione: nunc ad eorum qui peste laborant curationem accedimus: Ubi quidem duplex se offert indicatio, una virium, altera morbi. Vires quia maximoperè concidunt & urgent, valentissima quoq; quæ cor reficiunt, indicant præsidia: Morbus quia occultis telis pugnat, occultis quoq;, & quæ non ratione, sed sensibus inventa sunt, profligandus remediis. Nullus verò segnitiei, nullus socordiæ locus. Ni subitò morbum jugulemus, dumq; in procinctu est, frustrà est quicquid conaberis ubi vitæ prædia devastavit. Itaq; cùm rebus planè conclamatis, aut sine quadam spe non liceat tractare ægros, prognostica vitæ mortisq; signa priùs consulenda sunt, an indicationibus nostris satisfacere possimus, an verò à medicando desistere nos deceat.

96. Etsi verò alii prognosticorum hac in parte certitudinem funditus tollere conentur, autoritate Galeni 3. Epidem. comm. 3. aph. 36. Hipp. 6. aph. 19. Et experientia ducti, cùm sæpè pestis in facie salutem, & in tergo funus gerat: tamen cùm potiùs de difficultate prognosticorum quàm nullitate concludant, quædam huc referemus. Sunt autem duplicia hæc prognostica salutis & mortis, quæ modò omnia, modò pleraque saltem observantur. Quò verò plura sunt, eò certior mortis aut salutis conjectura.

97. Mortis dicuntur ea, quæ Medicum ab agendo revocant, monentq; ne desperatis juxta summi dictatoris Hipp. edictum, manum admoveat. Hæc verò duplicia sunt, communia & propria. Communia sunt illa, quæ in aliis quoq; observantur morbis, & hæc vel futuram vel præsentem, & jam instantem mortem arguunt.

98. De futura morte sunt phrenesis, respiratio difficilis & anhelosa, singultus frequens, oris per interiora frigiditas, assidua corporis jactatio, facies cadaverosa, nausea immedicabilis, & odium ciborum omnium, maximè eorum, quibus æger antea summè delectabatur.

99. Excrementa quoq; diligenter observanda, & quidem primò sudor frigidus, maximè is, qui è fronte instar guttæ & aquæ salientis

tis prorumpit, alvi profluvium nimis liquidum, fœtidum summè, atrum aut virescens, urina conturbata, nigricans vel livescens & summè fœtens.

100. Demum prædicta utplurimùm confirmant aspectus inconstans & incertus: nervorum subsultus & convulsio insolita: oculorum contorsio frequens: suffusio, balbuties & vox rauca.

101. Instante verò mortis hora, quando corporis harmonia jamjam dissipari, spiritus exhauriri, & calor nativus extingui incipit, pulsus deprehenditur formicans, ungues summè lividi, digiti manuum & pedum frigidi, contracti & demissi, singultus exasperatio, respiratio plurimùm intercepta, labra retracta & quasi inversa. Deinde observari cœperunt nares summè acutæ & frigidæ cum quodam livore: tempora subitò collapsa: cutis aridior, & quasi terrestris, in cujus tamen superficie veluti aliquid roris deprehenditur, aures multum frigidæ, pellucidæ & quasi contractæ; pediculi dum subitò ægrum deserunt: venter turgens cum summo ægri mœrore & creberrimis suspiriis, iisq; profundis multùm.

102. Hæc & similia mortem, cùm in peste, tùm aliis morbis futuram & instantem arguunt: Proprium verò in peste signum mortis, est vel generale, vel speciale.

103. Generale, est virium collapsio subitanea, sine ullo externo vel dolore, vel symptomate alio graviori, eò quod veneni vis cor petat. Inter specialia plurima sunt: è quibus hîc potiora si quæ videbuntur, disquisitioni subjiciemus. Hæc autem vel ad symptomata, vel ad tumores referri poterunt.

104. Inter symptomata sunt pulsus languidus & summè inæqualis, vomitio creberrima, Syncope, & tremor cordis. In censu quoq; horum sunt: gravitas capitis aut somnus multus, quamvis ætas nostra aliquot vidit, in quibus multo somno laudabilis virium recuperatio facta. Mens turbata cum balbutie ad tertium, quintum aut septimum diem, mortem notat; hæmorrhagia quoq; ex ore, naribus, alvo & vesi-

ca per-

ca per initium, summè lethalis, ut & nigrorum vomitio, aut per alvum dejectio, & excrementorum fœtor.

105. *Deniq; ætas & temporis conditio huc spectat. Testibus enim multis, virgines nubiles à peste infectæ ferè commoriuntur omnes: senes, pueri & mulieres Luna senescente, & puerperæ tempore omni extinguuntur.*

106. *Tumorum verò consideratio signa quoq; dictitat minus fallacia. Primò autem omnis humor si palindromen fecerit, calamitosus, eò quòd materia ad cor recurrat: vel si ferro incisa pars, inflammata livescat & nigrescat, nec non inflammatio omnis circa fauces & præcordia, ita morte funesta est.*

107. *Deinde lethale, si tumor tardius erumpat: calamitosum quoq;, si ex carbunculis apertis spumosum, non saniosum pus effluat: si pustula in iis nigra & dura, si minores quoq; carbunculi & copiosiores. Ita bubones pauci sunt magis periculosi quàm multi, si subitò evanescant, si virides, rubei, citrini, & duri: si pulli gallinacei, pipiones, & ranæ impositæ non emoriantur: si cordis aut ventriculi regionem occupent.*

108. *Ex papulis pessimæ sunt & summè venenosæ virides, ceruleæ, lividæ & nigræ.*

109. *Salutis signa sunt ea, quæ Medicum ad agendum solicitant, Cùm autem contrariorum eadem ratio, pleniori enumeratione supersedendum existimamus, si paucula hæc adjecta fuerint. Primò autem minus periclitantur omnes ii, qui antidotum assumptum non evomunt, quibusq; vires integræ. Deinde humoralis pestis majores dare creditur inducias, spirituosa contra: omnium verò periculosissima, quæ solida occupat, ut & ea, quæ mixta, in qua spiritus, humores, aut etiam ipsa solida infecta.*

110. *Ex hisce ubi cognoverit Medicus, an quicquam moliri liceat, extemplò ad medicinas properet: quas ita comparatas esse decet, primùm ut gratam cordi adspirent auram: deinde ut venenum evacuent.*

 cuent.

cuent. Quæ cor à proprietate confortant, abundè docent authores medici. Maximè verò conveniunt terra sigillata Toccacensis vel Silesiaca, cornu cervi, confectiones fl. & cort. arant. citrii, conser. rosf. viol. tinctura calendul. fl. borag lapid. pretiosor. & coralliorum, ac inter cætera magisterium perlar. liquidum, & aurum potabile verum.

111. Quæ venenum evacuant, quædam à proprietate id faciunt, quædam cōcitata expultrice. Quæ à proprietate faciunt, sunt vel interna vel externa. Interna sunt alexiteria vel bezoardica dicta, quæ totius substantiæ dissidio venenis repugnant. Suntq; vel simplicia, qualia natura exhibuit, vel composita seu præparata, quæ ars elaboravit. Ex simplicibus habentur angelica, carduusbened. valeriana, dictamnus, scabiosa, morsus diaboli, vincetoxicum, pimpinella, rutha, scordium, acetosa, absynthium, calendula, veronica, scorzonera, imperatoria, Zedoaria, gentiana, baccæ juniperi, poma citria, lapis bezoar, unicornu, cornu cervi, bolus arm. terra sigillata.

112. In compositis seu præparatis mirificè ingenia sua ostentdrunt potiùs quàm experientiam artifices, nec quisquam est, alteri qui se submittere velit, qui non aliquid invenisse se glorietur. Hinc adeò in immensum antidotorum excrevit catalogus. Maximè verò laudabiles sunt præter eas, quas suprà in prophylaxi numeravimus, Diascord. Fracastor. antidot. Matthioli & Guidonis de Cauliaco, pulvis rubeus imperatoris vitæ, & viridis Quercetani.

113. Spagyrici ne parùm videantur profecisse, sua quoq; proferunt extracta, tincturas, olea, balsama, salia & essentias vegetabilium ac animalium, quæq; ex mineralium & metallorum regno, laudabili studio, salubri consilio deprompserunt magisteria: ut sunt fl. sulphuris myrrhati, sp. tartari, nitri, vitrioli, antimonii cinabrium, sulphur & sal, diaphoreticus liquor Mercurii, bezoardicum minerale simplex, vel cum reliquis metallis animatum, spiritus Saturni, turpethum Veneris fixum, & quæ ex auro & Mercurio seorsim vel conjunctim fiunt Bezoardica cætera: de quibus non attinet plura dicere, quòd paucis sint cognita, & in arcanis serventur.

114. Ex-

114. Externa duûm item sunt generum: quædam enim venenis ut resistere possint spiritus vitales corroborant: quædam vi magnetica conceptum virus extrahunt. Illa sunt antipathetica veneno, modò commemorata; si in eam formam redigantur, ut de collo suspendi sacculo inclusa, temporibus aut sinistræ mammillæ, qua cor acuminatur, adfricari queant. Magnetica sympathiam quandam cum malignitate colunt, ob quam, accedente naturæ robore, virus proliciunt, ut ex arsenico Xenechda, viperarum, scorpionum, item anatis, ciconiæ: quæ pro elementi pestilentis ratione varianda, & emunctoriis usitatis pone aures, ad inguina, alas, & ubicunq; bubonis vel anthracis rudimenta critica conspiciuntur, applicanda sunt.

115. Concitata expultrice venenum pestilens evacuant antimonium hyacinthinum, quod tantoperè prædicat Matthiol. & Hantschius, aurum vitæ, quod fortunatis Kegleri nobilitatum successibus: quibus substitui possunt alia ex stibio & Mercurio medicamenta, quæ cum impetu quicquid in corpore maligni est, modò per vomitum, modò per secessum, modò per externum habitum exturbant. Verùm hæc non nisi in principio, dum vires nondum exhaustæ sunt, atq; inprimis si impuritatibus corpus refertum sit, aut sursum vergat veneni malitia, vel à victus corruptela pendeat, locum habent. Diagrydiata quia incendunt corpus, flammam potiùs augent.

116. De venæ sectione hic disputatur, an locum habere possit. Plurimi enim quòd non sanguis peccet, sed occulta qualitas, quodq; cum sanguine quoq; vires, quæ aliàs deficiunt, exhauriat, ceu pestiferam fugiendam censent: Citant in hanc rem plurima sinistri eventus exempla, quæ habet Paræus l.21. chirurg.c.24. Alii aliter sentiunt; nam & partem humorum, qui computruerunt, detrahi, & corpus eventari ac infrigidari ajunt. Ex qua controversia ut breviter nos expediamus, sciendum, à veneno quidem non indicari venæsectionem, sed à plethora: quæ si cum peste concurrat, sui depletionem indicat, & tutò, quod per eam onere gravi naturam liberet, consequenter etiam curam genui-

nam pestis promoveat, à medicis administrari potest, dummodo fiat in principio, & vires ac reliqua circumstantiæ permittant.

117. Posset adhuc de pluribus disputari; ut de phænigmis, plura etiam de dextro medicinarum usu, de symptomatum & carbunculorum, anthracum θεραπεύειν moneri: Verùm quòd hæc particularia nimis sint, & in infinitum abeant, partim etiam ex generali medendi methodo, & vulgatis constent authoribus, nolumus ea cum tædio prolixiùs repetere. Hîc pedem figimus, & sicubi non ubiq; recti ac veri tramitem pressimus, veniam petimus, avidi meliora doceri. Faxit Deus, ut theoria tantæ Furiæ potiùs quàm praxi occupemur, cùm medicum æquè ac ægrum & invadat & perimat.

COROLLARIA.

1. NIhil agit Telesius, quando c. 18. de unica anima, contra Galenum statuit: Pulsificam virtutem à cerebro non à corde provenire. Neque tamen Galeni authoritate 6. de usu part. c. 8. moveor, ut sentiam à fibris rectis contractis cor dilatari. Nam si fibræ, quæ à basi ad cuspidem cordis porriguntur, contrahantur, cor quidem brevius fit, non tamen dilatabitur, sed potiùs constringetur, ut lineali demonstratione solidè & subtiliter probari potest; ex sententia Nicolai Maroneæ apud Chioccum l. 3. quæst. 12.

2. Observatum est in aliquot mulierculis, cùm multos annos menstruis albis laborarent, nihilominus fœtus vegetos & incolumes edidisse, perseverante semper ista ante & post partum eluvie: Unde dubitatur per quæ vasa uteri excernatur, interna vel externa? Crediderim quòd per externa; Ideò quòd orificium uteri post conceptum tam arctè claudi dicatur, ut ne specilli quidem cuspidem admittat; Neq; ex naturæ more existat, per nobilioris visceris substantiam excrementa

eva-

evacuare, siquidem alia via præstò sit. Nempe semini concipiendo, non superfluitatibus separandis dicatus est uterus.

3. Somnium est Mundini de pluralitate cellularum matricis, quibus fœtus pluralitatem & gemellorum ortum adscribit. Unus enim revera in utero est sinus, linea saltem distinctus. Si hæc causa gemellorum, unde nunc bini, nunc plures generantur, cùm tot reperire non liceat κόλπους?

4. Alia in parte ictum, alia, & quidem adversa, fracturam cranii, ἀπήχημα dictum, contingere, præter Celsum posteriores ferè adfirmant. Nec omnis experientiæ tantorumq; virorum suffragiis deroganda fides. Rarum tamen hoc putârim cum Paræo, & iis tantùm contingere, quibus calva est ἄῤῥαφος, aut futuræ nimis arctæ. Schenck. obs. chirur. 63. & Tagliacot.

5. Commodiùs dixeris, Erysipelas à bilioso & fervente sanguine prosapiam suam ducere, quàm à bile. Indicio est color rubeus, tumor qualisqualis, calor non exulcerans, ut in Herpete: obesi, carnosi, faciliùs eo plectuntur quàm macilenti, fusci: carnosas etiam partes, femora, crura, faciem, collum ut plurimùm prehendit, & ab anno plerumque 20. ad 40. quo tempore sanguis maximè dominatur, 1. Prognost. t. 33. Gal.

6. Si narcosis à frigiditate, cur torpedini, croco, absynthio, fellibus animalium ea vis tributa quæ negata glaciei? Atqui hyoscyamum, cicutam, mandragoræ poma scirrhosos resolvere tumores, nôrunt qui interiora rerum scrutati sunt.

7. Agnus castus, ruta, semen cannabis, calore nimio semen absumere dicuntur, propterea Venerem in viris sopire: sed cur non eâdem ratione & sanguinem, qui materia seminis, & facilior dissipatu, absumunt, tabemq; producunt? cur non idem gariophylli, medicamenta piperata, vina generosa præstant, quæ maximè calida cùm sint, aphrodisiastica tamen esse non prohibentur?

8. Purgantiũ virtus sita in sale Mercuriali potissimùm. Quare per sp. vini extrahenda non sunt. Hic enim ad se prolicit sulphur, ac sal ferè intactum relinquit. Prudentiùs faciunt, qui per aquas destillatas, quæ salia resolvunt & absorbent, ejusmodi extractiones instituunt. Diaphoretica verò, quorum essentia in sulphure, optimè per spiritum vini possunt extrahi.

XI.

INAUGURALIS, DE LUE VENEREA DISSERTATIO:

JOHANNIS KEILII BRESLA-SILESII.

THESIS I.

Foedum dictu, trux aspectu malum est, ut si quod aliud, Lues Venerea: illa multis quidem, quo ad enormes effectus nimis explorata; caterùm paucis admodum, quoad obscuram ejus naturam & essentiæ rationem claro veritatis lumine perspecta. Vt non abs re facturum me putem, si modò sub disputationis incudem eam revocavero. Non eo quidem animo, ut quævis Asclepiadarum παράδοξα ἄδοξα *de præsenti materia in apricum producam: Hoc enim foret Hydram Lernaam sine viribus Herculis aggredi, cujus capite uno truncato, decem alia subinde repullularent: sed ut maximè tantum vel necessaria, vel fructuosa queam attingere.*

2. *Quare in iis duntaxat meum exercebo ingenium, meas periclitabor vires, primùm quæ ad tam virulenti* παθήματος *familiam & indolem cognoscendam; deinde quæ ad illius sobolem extirpandam facere videbuntur. Neq; id alienum futurum ab elegantiâ medicâ: siquidem ad sanitatem vel reparandam, vel conservandam tota comparata cùm sit, nihil indignum majestate sua ducat; nihil eorum intermittat, quæ ad salutem & integritatem corporum humanorum faciunt.*

3. *Va-*

3. *Varia verò vel nascendi sors, vel hominum invidia, an ambitio? malo huic dedit nomina. Itali namq; quòd per exercitum Gallorum primùm disseminata sit in universam Europam, reliquarum gentium consensione morbum Gallicum appellavêre. Galli contrà, quòd ex Italiâ & obsidione Neapolitanâ colonias suas duxerit, Italicum & Neapolitanum vocarunt. Alii scabiem Hispanicam, serpiginem alii Indicam nominavêre: propterea, quòd ceu pretiosam mercem ex Indiis ad nos primi detulerint Lusitani. Ab injuriis nationum temperare sibi qui voluerunt, alii pudendagram, quòd in pudendis ferè prius, quàm aliis partibus conspicua sit, alii syphilida & Luem Veneream, quod ex impura Veneris & amoris usu nata sit, indigitarunt.*

4. *Cæterùm hæc parum ad rhombum; majoris emolumenti vel momenti fuerit ex genere, subjecto & causis naturam morbi definire, quàm in vocabulis ludere. De Genere maximè controvertitur, ut tot penè sententias diversas, quot auctores, qui de hoc malo scripserunt, numerare liceat. Sanè in hoc concordant omnium calculi, quòd Lues Venerea sit affectus præter Naturam; sed an causa sit morbifica, an morbus propriè dictus, plurimùm discordant.*

5. *Nam, ut reliquos taceam, duumviri illi Patavini, morborum Victores Herculei, Saxonia & Capivaccius c. 1. libris de morbo Gallico propriis, Montaltus item l. 2. de homine sano c. 11. illam ad causarum morbificarum classem revocant: eâ ratione freti, quòd labes hæc non viventes modò corporis partes, quæ necessaria morborum omnium conditio est; sed spiritus quoq; vagos, lac item, semen, & cæteros humores; quodq; gravius urgent, lintea & id generis indumenta alia contaminet.*

6. *Sed annôn perperàm isti μιάσματα Gallica cum morbo ipso confundunt? Certè non in veneno illo, cujus vehiculum stragula, ichores & similia, Luis essentia collocanda esse videtur; neque ut illa curet Medicus advocatur; sed ut præternaturalem partium διάθεσιν & tincturam ab impresso virulentiæ vestigio relictam deleat, & in sanitatem*

tem transplantet. Quare ut scabies, ut pestis, aliæq; dispositiones νοσηραὶ, quæ vitam suam à contagio vel humoribus trahunt, ex morborum territorio nō proscribuntur; Ita cur Lues Venerea, quòd medio spirituum, linteaminum, ichorumq; contrahatur à partibus, ex hoc censu rejicienda sit, nulla subest ratio.

7. *Quin si is adfectus, qui parti viventi παρὰ φύσιν adhæret, & ejus actiones sensibiliter lædit, morbus est, ex veritate definitionis, quam posuit Galenus noster l. de differ. sympt. c. 1. & receperunt unanimi consensu Dogmatici, utiq; Lues etiam Venerea propriè dictus morbus erit: Siquidem adeò evidenter utrumq; κριτήριον istud obtineat, ut nemo, nisi cui Ambubajarum æmulatione, de quibusvis altercari libido est, negare possit.*

8. *Quibus ita constitutis, ulterioris indaginis est, ex quânam morborum familiâ sit? Audias enim ab aliis ad intemperiem, ab aliis ad unitatis divisionem, ab aliis aliò trahi. Qui ad Intemperiem referunt, nec ipsi consentiunt: Alii enim calidam & siccam; alii frigidam & humidam judicarunt.*

9. *Pro caliditate & siccitate pugnat inter alios Iohan. Bapt. Montanus, cùm aliis argumentis, tùm inprimis ab effectis, quæ sunt uber sanguinis crassi, tosti & mordacis, adustæq; melancholiæ proventus, qui in superficiem protrusus, floridum faciei colorem in lividum & nigricantem transmutat, cutem pustulis durioribus, quæ nec à pituita, nec bile provenire possunt, defœdat, & ulcera cava rotunda producit, quæ iisdem cùm remediis curentur, quæ veteres Arabes ad ulcera à sicca & torrida materia comparârunt, ut communi quoq; natura vel causa participent, opus esse dicit.*

10. *Verùm hanc opinionem abundè falsitatis cùm invadendi, serpendiq; modus, tùm curandi ratio convincit. Nam ut à communissimis, quæq; omnibus notissima sunt incipiam, omnis Intemperies, sicca præsertim, quæ ad patiendum potius quàm agendum nata est, paulatim contrahitur, longaq; mora demùm humores atrabiliares colliguntur;*

At

At lues hæc, quamvis non semper subitò se prodat, sed interdum, ut rabidi canis virus, aliquandiu in corpore delitescat, repentè tamen semper contrahitur, quandoq; etiam illo ipso vel altero die, aut brevi admodum spacio, ulceribus aliisq; symptomatibus se manifestat.

11. Adhæc cedò, quæ Intemperies contage serpere unquam visa est? aut quî fit, quòd contraria contrariorum remedia cum sint, iis medicinis, quæ calefaciendi & siccandi facultate plurimùm valent, ut Ligno Guajacino, Sassafras, decocto juniperi apud Afros, teste Scalig. exerc. 181. sect. 19. Lues è corpore profligetur? Hæc utiq; magis cùm torrerent succos, tùm comburerent epar, & vel in cinerem redigerent.

12. Neq; verò, quia cutis deflorescit, pustulæ duræ efflorescunt & ulcera phagedænica, ab intemperie statim siccâ dependet Lues: quia nec perpetuum id est; cum diuturni sæpiùs dolores, quos Hipp. frigidos vocat, 1. Epidem. 6. nec rarius Atheromata, Steatomata & Oedemata, quæ à phlegmate gelido Galenus derivat, l. de tumor. præter natur. c. 9. & Avicen. l. 4. Fen. 3. tract. 2. c. 4. hîc oriantur & progerminent: Nec sanè necessarium est, ut ubicunq; tubercula illa melancholica apparent, jecur exæstuet, quippe quæ non tam ex epatis temperamento, quàm causæ pravitate & malitia, ut posthac pluribus demonstrabo, proficiscuntur.

13. Rondeletius igitur istius dogmatis absurditatem cùm agnovisset, & tamen indignum putaret majestate medicâ ad sacram Divûm anchoram, qualitates nempe occultas confugere, ut Ixion pro Iunone nubem, sic ipse pro veritate nebulam & γλαύκωμα arripuit, dum δυσκρασία partium externarum frigidâ & humidâ labem hanc definivit, in l. de morbo Italico.

14. Intemperiem esse inde persuasum habet, quia massam sanguinis inficit, & cacochymiam efficit, à quâ postea pustulæ, ulcera & tumores alii protuberant. Frigidam & humidam esse contendit; quia à calidis, siccis & hydroticis curatio, & verò in symptomata frigida degenerat. Tumores enim Indicos sin aperias, pituitam & pus viscosum stil-

lant, dolores noctu potissimùm increbrescunt & exacerbantur ad motum serosarum aquositatum; quin & præ reliquis membris articulos, ligamenta, partesq; alias frigidas, quæ pituitoso succo nutriuntur, infestant, τὸ ψυχρὸν autem, ut habet aph. 18. sect. 5. πολέμιον ὀστέοισι, τὸ δὲ θερμὸν ὠφέλιμον. Et quas plures adducit conjecturas: quibus tamen quàm parùm suam confirmet, vel aliorum infirmet sententiam, age dispiciamus.

15. Primum erroneum est quod præsupponit, à quavis intemperie partium αἱμάτωσιν vitiari, & κακοχυμίαν pullulare. Cùm enim functiones tum lædi dicantur, cùm earum principium seu organon læsum est, quomodo integro jecore sanguificatio læsa continget? Vix ulla elabitur hyems, in qua exteriores partes non algeant, & tamen natura illa thesarus, sanguinem dico, nullam exinde labem contrahit.

16. Dato tamen, omnem cujusq; partis intemperiem sanguini notam inurere, sola tamen hoc muneris haud obtinet: id quod ἀξιόπιστα Dogmaticorum decreta sanciunt, quibus quomodocunq; læsas partes ἀτελῶς & vitiosè agere ratum habemus. Nulla igitur vel sic causa erit, quæ nos eò cogat, ut Intemperiem Gallicæ Luis genus esse credamus: Quandoquidem alia quoq; vel epatis, vel aliorum viscerum vitia sanguinem vitiare possint.

17. Sic alterum illud à contrarietate desumptum argumentum pariter vacillat. Quòd enim scribit, arida & fervida primis suis qualitatibus morbum Italicum debellare, tantùm non sensus pœnam meretur. Salsa pariglia & rad. China, Lign. Quercus (Mercurium nunc taceam) primas post Xylo-Guajacum tenere creduntur, & tamen temperata esse in activâ qualitate, vel parum excedere; in passiva verò ad secundum gradum pervenire docent Mercat. l. de Morbo Gallico, c.10. Palmar. l.1. c.15. Hier. Capivac. c.8. & Hercul. Saxonia c.25. & 26.

18. Vtut verò non omni calore pharmaca illa privemus; hoc tamen διαῤῥήδην inficior, vel chinam, vel salsam, aut ipsum deniq; Guajacum igne suo Lui Venereæ bellum indicere; sed potiùs vi quâdam

Alexi-

Alexiteriâ in humido oleoso ac pingui residente. Ideò namq; ligni medullaris substantia externo præfertur cortici, qui tamen acrimoniâ suâ & amaritudine fortius exsiccat, digerit & attenuat ligno. Ideò Saxonia calidissima Fernelii suspecta reddit opiata, & Sylvaticus controver. 70. longa vorborum serie illorum taxat consuetudinem, qui bis semper de die Guajaci usum urgent, quod febriculam sæpissimè excitet. Montanus quoq; Veronensis Consult. med. 62. sanctè confirmat, lignum hoc calidæ si constitutionis ægro propinetur, majorem evidenti suâ qualitate noxam inferre, quàm occultâ balsamicâ juvare possit, seq; rei illius sæpissimè fecisse experimentũ, ac propterea caliditatem illam aq. Endiv. vel fumiterræ castigandam esse censet.

19. *Quin si qualitatibus elementalibus horum antidotorum metiri fas est virtutem, cur stulti ad Indos usq; navigamus, ab iis ut accommodata transportemus remedia? Æquè enim potenter exsiccantia & calefacientia nostra promit tellus. Si solis hydroticis pugnandum est, cur cervi lachrymam, quæ tanta copia sudorem prolectat, ut totum penè corpus in sudorem resolvi credas, Gallicæ lui non opponimus? Cur cùm plurima nobis sint Diaphoretica, solùm penè Guajacum pro determinato & genuino luis alexipharmaco vulgus venditat?*

20. *Symptomata verò quod attinet, quæ pudendagræ superveniunt, sin algoris tantùm, ut volebat Rondeletius, fructus sunt & crescentia, quî fit, quòd medicamentis omnibus tam sint rebellia? quòd igneis non cedant pharmacis? cur non in Leucophlegmatiâ vel anasarcâ, eadem ubi δυσκρασία partium triumphat, paria quoq; subsequuntur accidentia? cur non & ipsa μιάσματα νοσερὰ exhalant, vel contage se propagant?*

21. *Apparent sanè in adfectis hac lue tumores pituitosi; verùm ex nulla frigiditatis necessitate; cùm nec perpetuò, nec solùm efflorescant; sæpius rhagades, caries erodentes: semper ferè depilationes & Gonorrhææ virulentæ ac fœtentes, non sine acerrimo caloris sensu.*

22. *Quamvis etiam ex tophis apertis pituita manet, ea ta-*

men non à lue, sed corporis subjecti natura prognata fuit, nec ipsa propriè rationes causæ continentis formales; sed sub eâ contenta virulentia gerit: quò fit, ut citra ministerium specificorum & appropriatorum quoq; tolli radicitus nequeant. Adhæc non dulcis aut insipida, quæ frigiditatis; sed salsa, putrida cum sanie, quæ caloris immoderati proles esse dicitur, effluit.

23. *Simili ratione cruciatus Indicos noctu magis ingravescere experimur, non tam quia crudum phlegma atra bili permistum, quod quædam illorum apostematum causa existit, tum temporis circa lacertos movetur, sed inprimis, quia membra remotiora caloris nativi, veri illius Heliotropii, radiis & influxu destituta frigent, ita ut humores minus digeri, & poris oppilatis per insensilem* διαπνοὴν *discuti haud possint, quam rationem assignat Langius Epist. Medic. l. 1. Epist. 42.*

24. *Quòd autem seminales partes & frigidiores hîc potissimùm laborare scribit, illud ipsis, non quâ frigidæ sunt, accidit; sed quâ seminales ob cæcam quandam analogiam, & antipatheticam proprietatem veneni: vel quâ debiliores, minus externis injuriis resistunt, aut promptius noxia quævis recipiunt: vel ob certam subjecti dispositionem, quâ pravis succis & pituitosis refertum est humoribus, aut Principe membro laborat: vel etiam quâ cum analogo sibi alimento, aut ob communem sanguinis labem Gallicum virus susceptant.*

25. *Quod si ex cujuslibet symptomatis facie de morbi hujus specie conjectandum, facilius in priorem Montani sententiam pedibus ivero, quàm quidem præsentem. Quòd plura sint quæ caliditatem, quàm quæ frigus suadeant. Cui enim alteri gonorrhæas ardentes cum hypersarcosi? cui ulcera & phymata serpentia? cui caries illas Venereas, in quibus non secus ac acerrimis murium dentibus carnes ossaq; exeduntur? cui saburram atrabiliarem, aliaq; innumera, fervida & encaustica accepta ferremus accidentia, nisi extremæ caliditati? Quam aliam rationem imaginaremur, cur juvenes potiùs aliosq; calida natura, quàm decrepitos & extorres senes corripere soleat, nisi τῶν ἰσοργύλων*

αἰτῶν

αὐτῶν πρὸς τὴν ὑποκειμένην ὕλην ἀναλογίαν? Et hæc tamen omnia non morbo, sed calidæ subjecti naturæ, & rectè quidem placuit adscribere. Cur ergò & nobis non liceat frigidos effectus ad subjectum referre?

26. *Ex his & similibus cùm alii nudam Intemperiem, ad constituendum Luis istius genus non sufficere deprehendissent, & ad bubones, dolores immensos, gummata, psoram contumacem, ulcera serpentia, &c. mentem convertissent, insuper solutæ unitatis morbos addendos censuerunt: sed præter omnem rationem. Nam quæcunq; Venereos miserè torquent dira Exanthematum genera, lichenes, serpigenes, herpetes, steatomata, & tubera alia, non ipsa luis sunt idea, sed eam instar umbræ, nec tamen necessariò semper & eadem, sed alia aliâs, vel in aliis consequuntur: ideoq; vel in symptomatum, vel morborum ex consensu aut δευτεροπαθημάτων classem revocanda sunt, nec si curationem videas & causam formalem, ita vulgatis ulceribus similia sunt, ut pro iisdem haberi possint. Quin ut in vulneribus à morsu rabidi canis, vel venenati teli aliud ipsa continui solutio est; aliud virulentia, ob quam adeò mali moris & lethalia sunt: sic in hisce vel bubonibus, vel ulceribus aliud est quod videmus oculis; aliud formale, quo sunt & πρώτως lædunt: id est, non simplices sunt bubones, sed Gallici & sui proprii generis ac conditionis.*

27. *Fuerunt præter hos & alii, qui magis intempestivo antiquitatis venerandæ, quàm simplicis veritatis studio, ne quid neglectum esse, vel non observatum à veteribus fateri cogerentur, eandem hanc labem cum Elephantiasi Græcorum, vel Arabum Lepra fecerunt. Sed facilè redarguuntur. Nam præterquàm quod rarissimè externa illa Elephanticorum facies hic se prodat, etiam cum se prodit, non ita tamen ex asse respondet, ut non plurimas liceat annotare differentias.*

28. *Nam 1. Arabum lepra pro incurabili planè fuit habita. 2. Leprosi semper generant filios leprosos. 3. In Elephantiasi tota cutis redditur ostracosa, quæ obducit universum corpus, ut universalem etiam totius corporis cancrum appellaverint veteres: nullas hic pustulas*

est animadvertere. [4] *In Elephantiasi sub lingua oriuntur tubercula, & glandulæ sub auribus.* [5] *Supervenit Satyriasis, & immoderata quædam Veneris cupiditas.* [6] *Decidunt pili omnes, & quidem pili axillares primùm, tum & reliqui. Quæ si conferre singula cum Lue volueris Indica, maximum quidem observabis discrimen. Quia & generosis hæc promptè cedit medicamentis, nec in filios semper se propagat, & pluribus cutem pustulis deformat; nihil sub lingua, sub auribus tuberosi est animadvertere, nec pili omnes decidunt, Venus verò vel adeò languet, vel friget, ut odio sæpè maximo mulieres obscænas prosequantur.*

29. *Ex quibus omnibus cum constet elumbes esse rationes, quas pro temperie, vel aliis manifestis qualitatibus congerunt Authores, necessariò ad occultarum qualitatum asylum confugimus, iisq́ morbis, quos alii Astrales, alii occultos, alii totius substantiæ vocant, Luem Veneream computamus. Ejus evidentia patet tum ex antecedentibus, tum consequentibus, curatione videlicet & causa continente proxima, quæ non calore, non frigiditate agit; licet cum iis sæpè complicetur, sed proprietate recondita naturæ, sive essentiali virtute, ut paulò pòst demonstrabo. At hæc modo quæ agunt à tota substantia, occultis viribus, Astralibus potentiis agere dicuntur. Iam qualis causa proxima continens, talis morbus; cujus naturæ remedia curativa, ejusdem morbus. Luis Venereæ causa continens est occulta, & remedia totius substantiæ, vel Astralia. Quare ejusdem quoq́ naturæ morbus ut sit Lues Venerea necessarium est.*

30. *Etsi verò Galenus, cui de iis affectibus, qui Methodo & Indicationibus inveniuntur propositum fuit agere, nullibi de his ex professo tractarit, ab authoritate tamen illius negativè nos arguere non licet; neq́ verò illius curationem eos prorsus effugisse credibile est, cùm lib. 11. simpl. c. de cancris fluviatilibus, se de iis quæ substantiæ proprietate quid agunt, seorsim librum conscripturum, promittat. Et ne agnoverit quidem, ipsius tamen ignorantia veritati nihil præjudicat. Proficiunt enim secula in melius, & ut Vives loquitur 1. de causis corrupt.*

art.

art. multa cogitat posteritas, quæ vel aliter credidit, vel omninò ignoravit vetustas. Ita nempe fiunt τῶν τεχνῶν ἐπιδόσεις. 1. Ethic. 7. Si judicata & comperta mutentur in melius. Neq; verò primi sumus, qui in hunc censum Luem Veneream redigimus, fuerunt ante nos plures, qui idem magno animo fecerunt, ut Fallop. lib. de morb. Gall. c. 20. Paræus l. 18. chirurg. c. 1. Palmarius l. 1 de Lue Venerea, cap. 1. Mercat. lib. de morb. Gall. c. 1. & 2. Columbus l. 1. de peste, c. 24. aliiq; complures. Quorum auctoritas facilè nos à novationis vel procacitatis crimine liberare potest.

31. Nunc ad αἴτιον illius partis quæ πρώτως hac labe conspurcatur deveniendum est. Id quod εὐλόγως præstabimus, si ad actiones læsas attenderimus. Rectissimè namq; Galeni judicio actiones attestantur suis actubus, & principiata suis principiis, unde fieri non potest, ut illa functio sublata vel depravata sit, cujus principium vel organum integrè & debito modo se habet. Læditur verò hîc non una quadam actio, sed quamplurimæ, vel simul, vel diversis in subjectis ac temporibus: quare nec affectus quidem iste privatæ alicui parti proprius ac peculiaris erit, sed communi seu publicæ, cujus munia in totum corpus se diffundunt, illudq; moderantur ac sustentant.

32. Harum verò tres numerantur, Cerebrum, Cor & Epar. Cerebrum, licet noxam quandoq; cum nutrimento suo recipiat, primò tamen læsum dici nequit, quia sensum & motum duntaxat id partibus præstat, quibus integris nihilominus hæc adfectio subsistere potest: Nec Cor, quia nulla hîc ἀσφυξία, nulla virium insignis jactura deprehenditur, nullæ lipothimiæ, nullæ palpitationes urgent, quod fieri oporteret, si cor virulentis sanciaretur morsibus. Relinquitur igitur Epar, quod πρῶτον δηλητικὸν, præcipuum fundamentum, basin & radicem tanti mali esse, quæcunq; sequuntur symptomata convincunt.

33. Sanguinem namq; & humores omnes corrumpere, factaq; congestione impuritatum Cachexiam quandam inusitatam introducere, ac tandem in dolores chronicos, vel torpedinem quandam abire, aut gum-

gummata & tubercula in ostiis & periostiis, vel scabiem ferinam, pruritum intollerabilem, ulceraq; chironia in carnibus & cute producere quid, nisi facultatis naturalis est vitium? Hinc nempe capillorum defluvium & lassitudo spontanea, hinc fissuræ, verrucæ, totaq; calamitas dependet. Breviter hic universa Oeconomia naturalis aberrat, tam θρεπτικὴ, *quæq; sub his comprehenduntur* πεπτικὴ, ἐκκριτικὴ, *&c. quàm* σπερματοποιητικὴ *seu Generatrix; quare ut Oeconomus quoque, seu Archæus naturalis in epate ceu throno suo residens vacillet necesse est. Quam sententiam approbant præstantiss. Medici, Fallop. l. de morb. Gall. c. 13. Anton. Musa, Brassavola, Montanus, Anton. Gallus, l. de ligno Guajaco, Massa, Matthiolus, Mercat. l. 1. de morb. Gall. c. 1. & Fernelius.*

34. *Quamvis autem & alias partes affici contingat, & contabescere hoc malo, ut patet in capite, faucibus, partibus genitalibus, ossibus & cute, istud tamen nec perpetuum, nec idem semper est, neq;* πρωτοπαθῶς *accidit, sed per consensionem vel consequentiam, ob spirituum, caloris vel alimenti communis quod omnes particulæ, seu calidæ seu frigidæ, sanguineæ seu spermaticæ sint, ab epate expectant, vitium ac virulentiam, quam corrigere cùm nequeant partes aut secernere, in societatem querelæ abeunt.*

35. *Neq; verò si plura adfligit membra, si Prothei cujusdam vel chamæleontis instar omnium penè morborũ larvam assumit, omnium colore & pallio se obvelat, ob id unicus cessat esse affectus, quod Mercato visum. Ita enim & febris totum simul & partes omnes obsidens cordis passio dicitur esse, & Apoplexia cerebri, licet omnia subjecta injuriam istam percipiant. Quare hic potiùs ad communitatem principii causæq;, cujus malitia spiritus Mechanici adeò labefactantur, ut ex Naturæ instituto regere nequeant actiones, quàm ad varietatem* τῶν συμπτωμάτων *respiciendum est, cùm hæc aliis alia, illa verò omnibus eadem specie naturâq; suâ existat.*

36. *Ad causas jam descendimus, quæ duplices sunt, vel effectiva,*

væ, vel passivæ. Effectivæ sunt vel proximæ, vel remotæ. Causa proxima, quæ & ὁμόχρονος, & ἄμεσος, & συνεχὴς dicitur, utpote quâ sublatâ tollitur adfectus, non est aliqua manifesta qualitas, ut ex superiori discursu patet, sed astralis seu essentialis, quam ipse Montanus proprii dogmatis tædio, aut veritatis splendore, innominatam δύσφραστον ἢ θαυμαστὸν, Rondeletius quoq; malignam alicubi & venenatam appellat; utpote quæ Deleteriorum more abscondita totius substantiæ proprietate lædit, sibiq; simili adfectione alterat & vincit, immutatq; corpus, eo modo, quo id cibus, ut Galenus loquitur l.3. de temper. c.2. & 4. l.1. de sem. c.16. l.5. de simpl. med. fac. c.18. & 19. & l.3. ibid. c 22.

37. *Docet id tum contagii, tum symptomatum ac juvantium ratio.* 1. *Contagii, quia illius nullam causam evidentem, ut in Ophtalmiâ, Phthisi, Scabie possumus reddere; nec nisi externi alicujus occursu primitus contrahitur, nec unam aliquam certam particulam, quâ fit contactus, semper observat, sed modò hanc primùm, modò illam inficit, atq; aliter ac aliter disponit.* 2. *Symptomatum; quæ tot ac tam varia sunt, ut non nisi ad formalem aliquam certamq; proprietatem, seu virtualem potestatem, quæ totius substantiæ dissidio balsamum, seu internum epatis astrum ita obscurat & debilitat, ut radios suos integrè in subjecta corpora vibrare, eaq; vel illustrare, vel vegetare nequeat, meritò referri possint. Adhæc tam contumacia sunt, ut imbellia quævis vulgi tela, quibus aliâs tamen cadere solent, facilè superent, & mirâ ferociâ fastidiant eludantq;.* 3. *Iuvantium remediorum, quæ non ratione ac Methodo, sed per solam experientiam, observatione scilicet & epilogismo comperta sunt prodesse, ut illi ipsi quidem fatentur, qui obscurarum causarum latebras ceu indignas persona medica superciliosè repudiant. Quod si nunc Indicatorum non constant rationes, E. nec Indicantium. Est enim mutua inter hæc duo relatio. Quod si nec Indicantis curatorii, seu morbi ac causæ continentis clara & aperta est ratio, cur nos pudeat ingenuè nostram profiteri ignorantiam?*

38. *Vocavimus autem proprietatem hanc occultam, Astralem,*

& Essentialem, libertate Chymica: non quod à sYderum pendeat concursu vel influxu: sed quòd Astri interni seu principii effectivi essentialis ac formalis, prout externis elementorum qualitatibus hæc opposita sunt, arbitrium legesq; sequatur. Hermetici namq;, præter firmamentum illud superius, & præter communia elementa, aliud quoddam & divinius, quod Cælum & Astrum internum vocant, in mixtis hisce agnoscunt, à quo speciei λόγοι, omnesq; scientiæ, dona, virtutes, artes ac prædestinationes effluant & propagentur.

39. Cæterùm internæ rerum formæ cùm nos lateant, Astralem hanc facultatem non nisi ab eventu definire licet, quòd Archæum, calorem & spiritus vegetatricis, quæ in epate vigent, Mechanicos, naturali quadam ἀντιπαθείᾳ impugnet, & peregrinis impressionibus tingat ac depravet: tandem etiam per universum corpus, medio spirituum ac humorum disseminata omnes partes naturali sua pulchritudine exuat, inq; luctum, mærorem & errorem præcipitet. Quod non mirum videbitur illis, qui ex naturalium rerum historiis didicerunt alia venena solis pulmonibus, alia soli cerebro, alia cordi, alia vesicæ tantùm infesta esse: atq; hac ratione quoq; evenire posse, ut labes hæc solùm epar, ceu partem principem, ejusdemq; ministros, ceu subditos consequenter adoriatur.

40. Porrò ex remotis aliæ sunt aliis remotiores. Prima & extrema omnium simpliciter est justa Dei vindicta, quâ vagas & obscœnas hominum libidines coërcere procul dubio voluit & flagellare. De naturali verò causa, quæ tam fæcundo semine primùm labem hanc in fertilem Europæ agrum disperserit, cùm paulò ante ducentos annos, ne de nomine quidem nostris cognita esset, plurimos videas dubitare.

41. Nam qui nihil sub Sole novum, nihil quod à priscis Sophiæ & Hygiiæ Mystagogis neglectum sit, in Medicina reperiri putant, ne hunc quidem morbum adeò vel insolentem, vel recentem esse contendunt, ut non ab Hippocrate suis coloribus depictus sit. Citant in hanc rem, l.3. Epid. sect.3.t.22. & 23. ubi Divinus Senex eadem ferè recenset sympto-

symptomata, quibus cottidiè Gallicâ Lue conspurcati conflictantur: qualia sunt caput totum glabrescere, mentum ossaq; denudari ac decidere, variæ defluxiones, ad quas abscessus, lichenes, tubercula circa fauces, inflammationes linguæ, ὀστοκόπος dolor, sacer ignis, &c. consequuntur: Gravissimum verò omnium esse malum, cùm pudenda urget, id quod pluribus videre est apud Vallesium 4. Epid. comm. 1. ac Silesiæ nostræ lumina, Ioh. Langium lib. 2. Epist. 15. & Hieron. Reusner. exerc. 1. de Scorbuto pag. 56. & seqq.

42. *Verum ut accidentibus & externâ facie ad nostrum adfectum, quæ modò relata sunt, accedant, naturâ tamen suâ, specie ac formalibus conditionibus longè dissident. Nam* 1. *antiquorum illa ulcera profunda ac sordida non inficiebant alios; at quæ hic apparent contagiosa sunt, & latissimè contactu serpunt in alia corpora.* 2. *apud antiquos defluvium capillorum aliter accidebat, atq; ex aliis causis, raritate nempe cutis, & defectu vel acredine nutrimenti: hîc verò & subitò, & sine manifestâ causâ, tam in ciliis, barbâ ac superciliis, quàm capite, axillis & inguine contingit.* 3. *Dolores, non ut hîc noctu exasperabantur, facilè cedebant anodynis, hîc contrà magis magisq; instant.* 4. *Pustularum & id genus exanthematum prompta erat medela per levem κάθαρσιν & ablutionem seu inunctionem externam: hîc verò adeò mali moris, ut purges, resolvas, abstergas quantum velis, nunquam tamen pellere possis, nisi validiss. alexipharmacorum, quæ totius substantiæ viribus Gallicæ pravitati bellum movent, opem & auxiliares imploraveris copias.*

43. *Quæ cùm viderent alii, in eam venerunt sententiam, ut cum optimo antiquitatis eruditæ Promo-Condo Plutarcho in 8. conviv. probl. 9. crederent τὰ νοσήματα τὴν φύσιν ὥσπερ τέρατα φύειν, atq; id ex jure divino esse, ut augmentatis peccatis, pœnæ quoq; augmentur, & novi morbi generentur, quod intelligere est ex Levit. c. 26. & Deuter. c. 28. Itaq; revera novum morbum, nec veteribus visum, nec ante hæc secula cognitum esse statuunt; sed an à siderum infaustis congressibus,*

 an

an ex monstroso particularis naturæ abortu primùm prodierit, alii aliter censent.

44. *Astrologi qui sublunarium exortus, ad astrorum varias ... referunt, hujus quoq; luis proventum superiorum trium Planetarum, & Mercurii in signo Libræ, & octava hemisphærii domo, quæ ægritudinis est, conventui imputant. Aiunt præterea Iovem combustum fuisse, ac illo ipso anno 1483. Calend. Novembr. in eâdem domo & signo Martem & Venerem coïvisse, & Iovem cum eâdem: Bis item Lunam in Tauro & in Scorpione lumine suo privatam, & quæ plura id generis coacervant ominosa, ut non aliunde, quàm ex cœlo suam originem traxisse calamitatem istam doceant. Vtut verò magnam astris in hæc inferiora, quo ad generationes & transplantationes rerum potestatem ex æquo largiamur, nondum tamen videmus, quomodo combinationes illæ & aspectus tantarum ærumnarum causa & fons esse potuerint.*

45. *Etenim si Epidemicorum morborum consuetudine, quod Leoniceno placuit, à malignis radiis derivata & propagata est hæc lues, cur non paucis diebus plures personas, plures urbes vel regiones adflixit; sed paulatim ab uno atq; altero scorto per contagem in hunc vel illum libidinosum Gallicani exercitus militem, dum obsideretur Neapolitana civitas serpsit? Quot exinde salubriores in domo sanitatis apparuerunt aspectus, quæ vim priorum planè infringere potuissent? Ita enim omnes morbi Epidemici ab Hippocrate celebrati, ita exanthemata & ecphymata cursum suum mutatis vicibus absolvunt & repetunt, vel planè exspirant; ut manifestum quidem evadit ex pestilentibus constitutionibus, & inprimis sudore Anglico, qui cùm plures eodem tempore invasisset, non nisi sui memoriam, semine planè suffocato, apud posteros reliquit.*

46. *Etsi verò Fallopius & Palmarius scriptis mandarint, indies Luem hanc consenescere vel contabescere; ut quæ nunc regnat, fæditate cum nascente malo non sit comparanda: propter nimirum ulcera in*

ra in magnitudinem quernæ glandis exporrecta, spurcam ab iis profluentem saniem, fœtorem intolerabilem, & pustulas ex nigro virescentes, vel conspectu ipso stomacho stomachum facientes: ejus tamen historiæ physicas alias, quàm ab astris rationes reddere conatur Lemnius l. 2. de occult. nat. mirac. c. 14. falsitatem verò obstipa clamat experientia, & symptomatum sævissimorum progenies, quibus qui conflictantur verè βίος est ἀβίωτος, ut sæpe in pollinctorum malint deturbari sandapilas, quàm tot doloribus, tot ulceribus & foraminibus, tam interiorum, quàm exteriorum partium miserandum in modum confici.

47. Alias itaq; causas attulerunt alii. Paracelsus l. 2. chirurg. magn. tract. 1. c. 7. derivat ex coitu Galli Leprosi cum scorto impudenti bubonibus inquinato: quod deinde contactu omnes infecit, qui in illius amplexus iverunt: atq; sic ex bubonibus & lepra luem hanc ortam, orbem universum perreptasse: quemadmodum ex equi & asinæ coitu mulorum genus existit. Cæsalpinus l. 4. artis medicæ, c. 3. causam refert ad corruptum vinum. Ait enim Hispanos, cùm in oppido quodam montis Vesuvii à Gallis obsessi essent, de industria quidem cessisse civitate, sed post se satis severam hostibus Nemesin & insidias ultrices, Vinum nempe, quod Græcum vocant, sanguine leprosorum infectum reliquisse: Gallos igitur ingressos mœnia, se ad satietatem explevisse, ac paulò post sævissimis symptomatibus, quæ Lepram seu Elephantiasin referrent, conflictari cœpisse.

48. Sed præterquàm quod nullas hi consequentium possint reddere rationes; Elephantiasi certè non adeò similis semper hic est affectus, ut pro illius sobole seu spuriâ, seu legitima possit haberi; adhæc præter rationem monstrorum latissimè se diffudit & propagavit in omnes nationes, atq; ut reliqua taceam, contra claram historiarum fidem nonnisi inani persuasione & relatione unius militis nititur hæc assertio, ut propterea nullum pænè meruerit applausum.

49. Quocirca satius est historicæ veritati, communiq; sententiæ præbere assensum, quàm unius aut alterius fabuloso commento. Pro-

dunt verò annales per Christophorum Columbum, & Americum Vespucium, ex Occidentalibus nuper repertis Insulis primùm Luem hanc cum Indicis mulieribus hâc labe, ceu patriâ ac vernaculâ infectis in Europam fuisse delatam, aliisq; obscœnis scortatoribus communicatam ab impudicis prostibulis, Hispanorum astu demùm Gallorum cohortes, cum anno 1492. vel ut alii numerant 1493. Neapolitanum regnum bello contra Alfonsum Arragonum regem, Carolus VIII. persequeretur quoq; contaminasse. Eandem deinceps, cùm factâ pace fuisset exauctoratus & dispersus exercitus, reliquis Italiæ partibus, & Galliarum incolis levi brevis alicujus voluptatis precio tanquam ponderosam mercem Indicam venum venisse. Atq; ita factum, ut morbus hic propter mutua commercia gentium omnibus nimis innotuerit, de quo antehac soli conquerebantur Indi.

50. *Quare novus hic est morbus, noviter cognitus, licet non ἁπλῶς, sed nobis & nostræ plagæ. Nam ut ex modò relatis cognovimus, & iis qui hodierno adhuc seculo Indias illas visitarunt, tam frequens est & communis, in Americâ præsertim, Insula S. Dominici & Florida, ut vernaculus illis & Endemius esse putetur. Vocant suâ linguâ Buam & Zail, vel BoroZail, ut Thevetus animadvertit. Ab his igitur cum auro & preciosis aliis rebus per Lusitanorum navigia in Italiam pervenit, & ex Italia in universam penè Europam; ut sic de primâ vel occasione, vel causâ nunc constet abundè: consequens est ut reliquas externas intermedias quoq; recenseamus.*

51. *Illæ verò omnes in uno contactu conveniunt. Extra verò contagium à nullo contrahitur, nulli communicatur, nisi quæ ex primordiali seminis parentum labe in liberis repullulascit, quæ tamen & ipsa contactu primùm contracta fuit. Est autem contactus omnis vel virtualis, vel corporalis. Virtualis, cùm citra corporeum objectum sola virtus communicatur. Corporalis, qui fit ad sensum: cùm se mutuò tangunt, agens & patiens. Virtualis hic locum non habet; quamvis enim virulentia Gallica levis admodum sit, ac ferè corporis expers, sen-*

susq;

fusq; nostros effugiat: simplex tamen & per se non consistit vel grassatur, sed à certo vel humore, vel corpore sustentatur ac propagatur. Relinquitur igitur corporalis.

52. *Ac potest quidem iste variis contingere modis; lactatione, profusis osculis, tegumentis, linteaminibus, ac inprimis impuro Veneris usu. Nutrix enim immunda si sit, cum lacte pullo labem hanc instillat: Amasia circa fauces laborantis labia si quis ardentius mordeat, aut lingua colludat, cum saliva vitium sibi adfricat, in stragulis aut indusiis sanie vel ichoribus gallicis contaminatis si quis dormiat, vel exerceat se vehementius, facilè sordes concipit, maximè verò omnium inficitur, qui cupidinis æstu lascivius cum impura congreditur: qua de causa etiam Lues hæc Venerea & Syphilis dicta fuit à Fracastorio. Huc quoq; referunt alii poculorum ac mensæ communitatem, & frequentiora cum infectis commercia: verùm in tanta mali frequentia non observata fuerunt nocuisse, neque certè in tanto veneni lentore possunt, nisi tertium quoddam interveniat, ut solo chirurgorum documento convenienter probat Hercul. Saxon. Pract. l. 9. c. 2.*

53. *Sic igitur habuimus causas effectivas, passivas seu* ἐπιτηδειότης *voco habilitatem subjecti, ad promptius imbibendam tincturam, recipiendasq; impressiones & signaturas Gallicanas. Videmus enim alios aliis faciliùs corripi hac lue, sæpeq; accidere, ut cùm plures circa idem tempus cum eadem rem habuerint Veneream, vix tamen unus atq; alter hoc concubitu offendatur, reliqui immunes discedant; cujus certè ratio non ab extrinseca causa, sed interna dispositione petenda est. Hæc verò tribus dijudicatur notis, 1. ex robore mumiæ balsamicæ, seu spiritus naturalis, 2. ex adfectu animi, 3. demum ex apparatu corporis.*

54. *Ex Manna nostra cœlesti, seu Naturæ Vulcano potissima petitur ratio, quia cùm principale sit, quod in hoc morbo patitur, cæterasq; partes in sympathiam solummodò trahat & condolentiam, præcipuas etiam vel resistendi, vel rebellandi vires ut obtineat oportet. Itaque*

que quò validior erit & robuſtior, hoc difficilius ſuccumbet. Cæterùm in quo nam ſpecifica ἀντιπαθείας iſtius proprietas & conditio conſiſtat, nec mente comprehendi, nec ſtylo exprimi poteſt: Propterea quòd ipſius quoq; veneni Gallici formalis ratio noſtros lateat animos, nec niſi à poſteriori ſenſuum arbitriis ſe ſubjiciat.

55. *Inter adfectus animæ palmam in cauſando tenet ardentior amoris flamma, & effrenis coëundi cupiditas. Nam quò quiſq; vehementiori percitus Oeſtro ad Venerem rapitur petulantiùs, hoc profundiùs ſe immergit in vaſtum ærumnarum Gallicarum gurgitem. Hinc fit, ut ſenes, quiq; frigidè amant, aut non ſatis avidè ſuas concubinas ineunt, tardiùs afficiantur: juvenes contra, qui non niſi præſentibus epulis intenti impetuoſius ruunt in amplexus deſideratos, ob calorem & efferveſcentiam ſpirituum facilimè labem ab attritu & baſiis contrahant.*

56. *Apparatus corporis ſpectatur in tribus, in calore ſcilicet, laxitate pororum ſeu meatuum, & mollitie partium. Nam qui frigidiores ſunt temperamento vel ætate, difficiliores ſunt ad contagem recipiendam, quàm quibus æſtuat circum præcordia ſanguis: quibus habitus corporis & cutis eſt ſiccior, durior aut calloſior, rariùs plectuntur mollioribus partibus vel conſtitutionibus, ut videre eſt in obſcœnis, ore, quibus facilimè communicatur malum. Tandem ut fuliginoſi vapores & lenta ſanies tranſire poſſint, meatus oportet eſſe patentes. Quare quibus habitus rarior, pori ampliores, proclives magis ſunt ad luem, quàm quibus denſior natura vel uſu contigit. Cætera pudor non ſinit commemorare: conſulas licet authores, qui ſatis in hac materia fæcundi.*

57. *Id modò reſtat, ut ſubductis in unum rationibus definitionem quandam conſtituamus, non qualem accuratiores Logici urgent, ſed qualem obſcuritas rei concedit, quòd* Lues Venerea ſit morbus chronicus & occultus epatis ex contage ab impura Venere primùm natus, naturalem facultatem à totius ſubſtantiæ diſſidio

dio insigniter lædens. *Quam descriptionem velim esse clausulam & epilogum eorum, quæ fusius de abstrusâ tam difficilis adfectus naturâ huc usq; protulimus. Nunc ad species seu differentias non essentiales quidem & quidditativas, quas ignoramus: sed accidentales & respectivas descendimus.*

58. Istæ desumuntur vel à subjecto, vel à causis, vel à tempore, vel à magnitudine, vel motu. A subjecto; Sic alia Matthiolo dicitur melancholica, alia pituitosa, alia biliosa, alia sanguinea, non quòd ex his ortum trahat, sed quòd pro subjecti conditione cum illis complicetur, eiusq; stupendæ malignitatis characterem imprimat. A causis, alia dicitur esse nativa, quæ paterni aut materni seminis aut sanguinis menstrui labe in utero contrahitur: alia adscititia, cujus iterum tot differentiæ, quot contactus modi. A tempore, alia est recens vel incipiens, alia in augmento, alia in statu, quæ fixas in corpore radices egit, & inveterata seu confirmata dicitur. A magnitudine, quædam magis minúsve intensa & vehemens est, tum essentiæ ratione, tum ob symptomata quæ graviora, leviora, majore minoréve numero consequuntur. Ratione motus, una alterâ citius lineam suam absolvit & periodum: quædam in corpore sopita delitescit, alia suis se prodit & manifestat argumentis.

59. Quibus hac ratione constitutis, nunc à παθολογίᾳ ad θεραπευτικὴν prosilimus. Hujus verò, de sententiâ clarissimorum virorum, Andr. Laurent. l. de crisib. & Heurnii de modo discend. medic. tres sunt partes: διάγνωσις, πρόγνωσις & θεραπεία ipsa. Ubi quidem θεραπεία per se discitur & expetitur: reliquæ verò propter medelam. διάγνωσις quidem, quia nisi suis ex signis Pathognomonicis adfectus prius cognitus sit; curari nequit: Prognosis verò, ut quid naturæ relinquendum, quid arte corrigendum, quantumq; promittendum constet, ne vel turpis lucri causâ, vel inanis gloriæ aucupio, majora viribus suis Medicus aggrediatur, vel polliceatur.

60. Igitur de signis prius agemus tam diagnosticis, quàm prognosti-

gnosticis, tum de medicinis. Ex Diagnosticis alia sunt communia & generica Luis, alia propria specierum seu differentiarum. Communia desumuntur ab antecedentibus & consequentibus. Antecedentia sunt contages; at si quis spurcæ Veneris notitiam habuerit, aut multum osculatus fuerit infectam: vel etiam stragulis & vestimentis impuris usus fuerit, aut cum Gallicana scabie contaminato dormierit, certam satis præbent conjecturam; verùm quòd turpia hæc sint, sæpè pudet ægros ea confiteri, illos præsertim qui castitatem in cœnobiis aut virginitatem mentiuntur. Quare si factum neget æger, aliunde hæc expiscari licet, consulendi mores & adfectus, amici, congerrones, ministri, aliaq́ plures circumstantiæ, ex quibus conjicere possimus, quod suspicamur.

61. *Consequentia sunt symptomata omnia quæ comitari solent istum adfectum, quorum certè tam ampla seges, tantaq́ farrago, ut centonem omnium malorũ luem Veneream dicere possis; quippe quæ Prothei cujusdam instar omnium morborum faciem assumit, omnium ægritudinum apparitor est & proxeneta. Hinc dolores illi immensi ossium vel artuum: hinc tot tubercula scirrhosa, tot universi corporis verrucæ, tam virulenta gonorrhæa, acris stranguria, tot sordida pudendorum ulcera, vulvæ penisq́ foramina, inguinum bubones, uvulæ & ossis cribrosi exesiones, tendonum & membranarum ab ossibus divulsiones, pericranii & cranii ad meningas usq́ erosiones & caries, cachexia, cadaverosa facies, deplorandæq́ carnificinæ proficiscuntur. Quin tantum est morbi vaframentum, ut internas etiam partes pancraticè adoriatur, fœdisq́ pustulis & ulceribus trachæam, pulmones, ventriculum & epar inquinet, adeò, ut nulla sit calamitas, quam non trahere possit sociam. Dignum mehercle flagellum iis, qui ob effrenam libidinem nulla Veneris adsuetudine satiantur, nulla continuatione lassescunt, tametsi cum Beltrando Ferrerio & similibus voluptatum portentis, vel inter amplexus & basia deberent exspirare.*

62. *Illa verò cùm in aliis etiam quandoq́ comparere soleant adfectibus: nec de necessitate simul & semel efflorescant hic singula, sed nunc*

nunc hoc, nunc illud, nunc plura pauciòraq́, satius fuerit artificiosâ conjecturâ propriam, quam reconditam habent observare conditionem, quâ discrepant à simplicibus vel non Venereis malis; quàm externa omnium lineamenta colligere.. Deprehenditur autem illa conditionis proprietas ex duobus, ex malignitate, & ex qualitate noxæ. Malignitatem sive virulentiam abstrusam manifestant juvantia: si videlicet non cedant vulgaribus, quæq́ aliâs proficere solent, & per Indicationes inveniuntur, præsidiis; sed mitescant ab appropriatis & specificis, quæ toto genere huic venenositati adversa, eidem capitalem dicam scribunt. Atq́ istud satis evidens est Luis ab analogiâ patientis & agentis depromptum argumentum.

63. *Per qualitatem noxæ noto peculiarem lædendi rationem, quæ suis etiam notis deprehenditur, alia esse à vulgaribus, modò quis attentius velit perpendere. Nam ut de dolore tantùm dicam Gallico, aliter certè suos torquet subjectos, quàm in aliis vel cephaleæ, vel arthritidis, &c. speciebus contingit. Ex causa enim frigidâ, & in frigidis locis exortus esse cùm videatur, acutissimus tamen est, mordacissimus, & maximè vehemens, ita ut abradi sibi ossa, & aliquando comburi putent adfecti: præterea præter consuetudinem acutorum in longius tempus se protrahit, chronicus est, rebellis, & noctu magis fatigat, quàm interdiu. Ita tumores præter naturæ solitas leges subjecta sibi ossa & membranas carie corrodunt, aut si ex parte resolvantur, semper tamen aliquid nodosi & tuberosi, vel carnosi post se relinquunt. Vlcera simili ratione licet parva sint, ad cicatricem tamen non perducuntur; si profunda sint, callosas quasdam eminentias intus calamitosè fovent, semperq́ ossibus molesta sunt & injuria. Sic pustulæ aut ex nigro subvirescentes & flavæ apparent, & humorem albuginis oculi æmulum, vel subrubrum cum quadam lividitate emittunt; aut crustosæ sunt, & talem eminentiam in fronte & capite fovent, ut arietis cornua æmulentur, aliaq́ accidentia secum trahunt, quæ vulgò non possunt observari. Vide Saxon. l. 19. c. 8. & 9. Fallop. tract. de morb. Gall. c. 23. aliosq́.*

64. *Quòd si nunc de distinctis singulorum symptomatum quaras causis, non alias possum tibi reddere, quàm à causa morbificæ ratione, & subjecti corporis dispositione. Causa namq; universalis cùm sit, & Oeconomia naturalis Archeum, qui omnium alimentorum attractiones, mixtiones, separationes, concoctiones, impuritatumq; excretiones moderatur; quiq; majora majoribus, homogenea homogeneis, harmonicè adaptat, & quantum in se est, heterogenea abarcet & evincit, cùm hunc, inquam, naturæ δημιουργὸν communem perniciosa labe inficiat, non mirum, si subjectis membris omnibus, quibus præest tabum adeò malignum communicet, eorumq; ministeria infinitis modis depraventur. Causam enim universalem sequuntur indefiniti, pluresq; & æquivoci in particularibus effectus.*

65. *Verùm nonnihil etiam in subjecti dispositione situm est; nam pro hujus indole variant quoq; accidentia luis: Quibus enim, v.g. cutis languet & exteriores partes, si modò virus etiam in humore tenui qui facile transmitti possit, stabuletur, illis prorumpent pustulæ, psora, impetigo, lichenes aut tumores præter naturam: Quibus caput imbecille, iis talpæ fiunt in eodem, defluxiones ad pectus, &c. maligna, vel graves etiam & intolerabiles dolores. Ita si venenosa qualitas in tenui, acri & mordaci hæreat succo, vel cutim invadit & alopeciam generat exesis pilorum radicibus, vel si mordacior fuerit, exulcerationes pariet, easq; pro loci & decubitus varietate in aliis locis alias, in intestinis dysenterias, in naribus ozænas, in faucibus aphtas, in ossibus & membranis caries, & quæ singula hîc non numerari, sed in praxi à docto Medico facile animadverti possunt.*

66. *Progredior ad signa specierum, quas ab exterioribus constituimus circumstantiis, & primò ratione causarum: an ascititia, & coitu, osculis, vel alio contactu contracta sit, docet ægri relatio, tum quoq; id probabiliter arguit, si in pudendis, ore vel cute labes quædam ante reliquas, vel præ reliquis conspecta fuerit ærumnis. De nativa suspicari licet ex suspectis parentibus: si fœtus in lucem vitalem prodeant emaciati,*

ciati, ulceribus pleni, cœci, absq; ciliis, superciliis, aut capillis, quæ arte corrigi nequeant, sed terræ demùm, quicquid contra niteris, credant infantem. An verò cum lacte nutricis aliquid virulenti suxerint, maligna linguæ, palati, faucium ulcera primùm docent, tum verò reliqui etiam, qui succrescunt, fructus acerbi.

67. *Subjecti constitutionem docet habitus corporis, sed & ἀντιδράσεως. Pituitosi namq; si redundent succi in corpore, diutini & nocturni dolores potissimùm urgent; articulorum ligamenta & ossium tunicæ contagiosa & virulenta humiditate emollescunt, dolore premuntur, aut sensu vel motu privantur; gummosi & difficiles tumores, qui, nisi subjectas membranas putrefecerint, resolvi nequeunt, oriuntur, & id genus alia. In bilioso corpore maligna succrescunt ulcuscula, & pustulæ carboni seu prunæ similes. In melancholico difficilima curatu existit, gravissimosq; & implacabiles capitis dolores, hæmorrhoides ulceratas & cancrosas excitat fistulas. In Plethorico demùm in bubones, alarum & adenosarum partium tumores, pustulas rubras & mitiores abit abscessus.*

68. *Ratione motus nunc citius, nunc tardius periodum suam absolvit. Observatum est præter Ingrassiam à Fernelio l.2.c.14. de abdit. rerum causis. Cardan. in l. Hipp. de alim. Saxonia & Fallopio, aliquando 20. vel 30. annorum intervallo fomitem mali quasi sepultum in ipsis medullis delituisse, ac tandem repullulasse in multam ægri perniciem. Hic itaq; latentis seu occultæ luis signa colligenda sunt, ut maturè medicinis obviam procedamus malo: Videndum, an præcesserint symptomata Gallica, ut bubones, gonorrhæa, caries, &c. quæ tamen sine ratione desierunt, & aliâs iterum emergunt. Quærenda ex ægro de promptitudine in Venerem, an impotentior à suspecto factus sit coitu, an in lassitudinem spontaneam & ulcerosam inciderit, an contristetur sine causa, an insomniis perturbetur, &c. Hæc enim de morbo suspicionem movent, maximè si circulus sub oculis lividus appareat, facies pallescat præter rationem, urina cum ardore exeat, pudenda pruriant, & non-*

nunquam ulcerentur. Aliqui ex ſanguine detracto & congelato ſi conſpergatur ſalis micâ, & non efflorescat roſeo colore indicium capiunt, aliqui etiam ex urinis, prout quiſq; plura aliis obſervatione collegit.

69. *Magnitudo morbi cognoſcitur ex ſymptomatibus, quæ vel multa numero, vel pondere multis graviora ſint, ut ſi tinnitus, caruncula, verrucæ meatus in pene, magna gonorrhœa, magniq; dolores urgeant. Vel ſi unumquodq; ſymptoma in ſuo genere alia peſſima obtineat accidentia: ut ſi caries ſit profunda & ſordida, & livida, & dolens, ſimul cum inflammatione. In ſpecie: Mitiſſima cenſetur, in quâ ſolum capitis & barbæ pili ſenſim & citra ullam corporis offenſionē defluunt: paulò deterior, quâ univerſa cutis crebris maculis & lentiginibus, modò rubris, modò flavis non extuberantibus aſpergitur: Gravior eſt, quæ non ſolùm maculas, ſed veras puſtulas profert, primùm quidem circa frontem & tempora, poneq; aures, dein in capite, tandem verò & in reliquo corpore, quæ neglectæ, in vera degenerant ulcera. Omnium perniciosiſſima eſt & funeſtiſſima, cùm præter alias partes ſolidas quoq;, ut oſſa, vincula, membranas, nervosq; adoritur, unde Tophi, nodi, dolores & cruciatus noctu præſertim infeſtiſſimi.*

70. *A tempore morbi quæ petuntur differentiæ maximi ſunt uſus, quò ad prognoſin & medelam: nam cum illis & iſtæ variant. Signorum igitur alia incipientem, alia augeſcentem, alia confirmatam & inveteratam luem ſignificant. Sanè morbi per initia non adeò certa ſunt indicia, niſi ex Veneris ſinu prodierit. Non enim licet ex oris, papillarum, uberum, digiti, alteriusq; partis ulceribus ſtatim de lue judicare; tametſi calloſa ſint & κακοήθη, quòd ſola ſi appareant pathognomonica non ſint: ſed oportet expectare, an paulatim ulterius ſerpant, dolores excitent, guttur exaſperent, & vocem lædant, his enim certiores reddimur notis de ſpecie morbi.*

71. *Alioquin apparere ſolent in luis hujus principio corporis gravitas, ſpontanea laſſitudo, vagi per corpus inſurgunt dolores, perit vividus faciei color, lividus circulus oculum ambit, ſomnus interrumpitur,*

pitur, accedit mæstitia, calor insignis in volis manuum & pedum plantis, quibus si accedat pudendi caries, ulcera vel pustulæ, fluxus genitalium virulentus, quam gonorrhæam vocant abusivè, vel bubones, jam de morbi specie nō amplius dubitabimus; præcipuè si coitu id mali conceptum sit, vel paucis post eum diebus invaserit, & quidem post coitum cum eo vel illâ, cujus non optimè audiit fama vel valetudo.

72. *Ad hæc crescente malo sequuntur alia: Lumborum dolor; pustulæ duræ, crustosæ, graves, cum vel absq; sanie, in peritonæo, ano, locisq; vicinis, capite, barba, gutture & palato; capitis ac barbæ pili sine manifestâ causâ decidunt; dolor implacabilis, caput, humeros, brachia, sternon, ac parte anteriore cubitum tibiamq; exercet, deq; noctu recedente Sole gravius insurgit, cum Sole redeunte remittit; scabies & impetigo, corpus totum, ac inprimis faciem contaminat; fissuræ ῥαγάδες dictæ manus ac pedes miserè vexant, & verrucæ genitalia contumaciter occupant.*

73. *Cùm ad extremum lues pervenerit statum; observabis ulcera fistulosa, phagedænica, cancrosa magnam partem carnis depavisse: Tophos & gummata irresolubilia variis in locis congelasse; cariem ossa in tibiis, brachiis, cranio, palato & naribus exedisse; uveam relaxatam vel corrosam; vocem vel ablatam, vel raucam; hypersarcoses in penis meatu vel vesicæ orificio succrevisse. Quibus accedunt tremores membrorum, insignis memoriæ læsio, ferinæ destillationes, inexpugnabiles aurium tinnitus, Asthma, Phthisis, Febris Hectica, casus oculorum, dentium, nasi, aurium, aliorumq; membrorum, quæ certissimè ultimum morbi terminum adesse demonstrant.*

74. *Iam ad Prognosin. Ubi in genere tenendum, luem hanc non lethalem vel acutam; sed chronicam esse, contumacem, & medicamentis rebellem, plus minus pro varietate differentiarum. Ratione subjecti namq; facilius sanatur sanguinea, post hanc biliosa, difficilius pituitosa, omnium difficilimè melancholica. Adhæc quibus cachecticum seu cacochymicum est corpus, viæq; arctiores, tardiùs restituuntur iis, quibus*

viæ

via excernendarum impuritatum per hæmorrhoides, rariorem corporis habitum, & laxam alvum sunt patentes. Ratione sexus: Mulieres, quibus largior Mensium effluxus post haustum virus contingit, citiùs liberantur viris. Ratione temporis: Commodissimum medicationi creditur ver & æstas incipiens. Ratione ortus: Nativa plerumq; non nisi cum vitâ deserit infantes. Ratione progressus: Exitiosissima, quæ à pudendis sensim partium continuatione interiora viscerum pervadit, nec nisi cum totum conspurcarit corpus in habitum se prodit; aut si ab exterioribus intrò remeet ad cerebri membranas, ad spinam, fauces vel pulmones: sæpissimè namque ob symptomatis vehementiam occidunt suffocatione, phthisi, vel marasmo. Ratione magnitudinis: Quò grandior, hoc ægriùs medelam recipit; quòq; fixiores ætate radices egit, hoc difficiliùs eradicabitur. Ratione symptomatum: Bubo, defluvium capillorum, acrochordones, scabies, lichenes, leviorem ostendunt fore curam; difficiliorem gonorrhæa, scirrhosi tumores, fixi dolores, vel caries ossium, cicatrices & fistulæ callosæ, ulcera cancrosa, verrucæ, tinnitus aurium, marasmus, & similia.

75. *Hactenus in signis hæsimus, nunc ipsam palæstram & curiam practicam ingredimur. Hanc verò faciunt geminam: Vnam prophylacticam, alteram propriè dictam curativam. Prophylaxin aliam ratione subjecti, aliam ratione causæ instituunt. Ratione subjecti: ut* δυσπάθειαν *quandam concilient, vel toti, vel parti. Toti, tum exquisitè ab omnibus impuritatibus & superfluitatibus, ex quibus molestia quædam accedere posset, corpus liberando; tum illud muniendo & confirmando corroborandoq; in quem finem tot Electuaria & Opiatæ ex scordio, Mithrid. Conserv. Buglos. rosar. &c. Fallopio, Palmario & Saxonia descripta sunt: Parti, ut pudendis varia ratione abluendis, abstergendis; & quas alias technas indignas Medico & viro Christiano proferunt. Consultissimum est vitare contagii semina, & ab omni vetito & fœtido abstinere concubitu: quam legem & Medicina sanitatis studiosis, & sacra pagina Christianis, & Ethica bonis omnibus imponit.*

76. Θεϱα-

76. Θεραπείαν mali veram primùm Empiria & analogismus invenit; sed nunc methodus & ratio dirigere vel promovere debet. Procedit autem Methodus ex Indicationibus: Indicationum tres vulgò numerantur species: Curatoria, Vitalis & Præservatoria, ad quas accedit etiam Mitigatoria symptomatum, si nimis urgeant, & causæ rationem suscipiant. Curatoria desumitur à morbo & causa continente, quibus auxilium θεραπευτικὸν è diametro debet esset oppositum. Verùm cùm Indicationes ex notioribus concludant; morbi verò & causæ proximæ occulta sit natura, fit ut ne quidem in exactam juvantium cognitionem ducere nos possint. Oppugnandus igitur morbus iis, quæ experientia & usus docuit illi esse adversissima. Præservatoria Indicatio respicit causas antecedentes seu intermedias; quæ vel fovere malum istud, vel hebetare ac impedire medicaminum vires solent, ut sunt plethora, cacochymia, &c. Vbi quidem pro fomitis & objecti varietate nunc purgandum, nunc phlebotomandum, nunc resolvendum, nunc aliud quid agendum. Vitalis de viribus est solicita, non cordis tantùm, sed omnium viscerum, ac inprimis partis adfectæ: hìc itaq; tum cavendum, ne robur & tonus epatis fortibus aperitivis relaxetur; tum videndum, ut quæ ex proprietate illi grata sunt, administrentur.

77. Ex his ut natura prior curatoria, dignitate verò vitalis ἔνδειξις; sic tempore reliquas antecedere debet in usu Medico Præservatoria. Ita enim ipse Galenus præcipit, ut quod in analysi ultimò fuerit inventum, in executione omnium sit primum. Agemus igitur prius de cura præservatoria, ut fomitem malo, vel impedimenta veræ curationi futuræ demoliamur, & vias reliquis medicinis, quo liberè penetrent, faciamus. Id quod fiet, si vitia succorum correxerimus & partium. Sunt autem partium vitia morbi vel in Intemperie, vel obstructione, &c. quæ si curationem mali impediant, præ reliquis tollenda sunt, prout Indicationes praeunt. Succorum vitia frequentiora sunt, & mage προφύλαξιν urgent, consistuntq; vel in quantitate sola, vel qualitate simul. Si

sola quantitate seu copia luxurient, minuendi sunt nunc lenientibus, nunc Emeticis, nunc sanguinis missione.

78. *Lenientia sunt tum Eccoprotica dicta, tum Enemata. Eccoprotica locum habent, si in intestinis & ventriculo fluctuent superfluitates excrementitiæ: Enemata, si in crassioribus intestinis hæreant. Sunt autem hæc varianda pro varietate circumstantiarum. Nam si melancholicus sit æger, & sequax humor, cum passulis laxativis, vel Lenitivo Montagn. relaxanda alvus: si tenacior sit, cum sena vel diluto, vel pulvere: si pituitósus, cum melle rosat. Hierâ picrâ simpl. vel Agarico: si biliosus, cum Fl. Cassia, cum Rhabarb. Mannâ, Syr. rosar. solut. &c. Enematum ratio & usus satis notus. Emetica verò in hoc casu decet esse mitiora, ne virulentia, quæ nondum occupavit totum corpus amplius disseminetur.*

79. *Sanguis mittitur in plethorâ per sectionem venæ, quæ liberaliùs parciusvé instituenda, prout magis minusq́ abundat: parciùs tamen si sanguis adhuc sit integer, ne videlicet labes in venas omnes derivetur, vel in centrum ex habitu; largiùs verò si ad plethoram accesserit impuritas. Ita enim non plenitudo tantùm exhaurietur, sed & corpus, si flagret interno æstu, eventabitur, & demptâ parte vitiosæ materiæ, ut reliquam facilius vincat natura juvabitur, & pro reliquis auxiliis vel purgantibus, vel sudoriferis, ut rectiùs procedant, corpus præparabitur. Atq́ hæc in principio statim sunt peragenda.*

80. *At si vitium aliquod qualitatis complicetur cum quantitate, jam non simplici evacuationi superflui, sed & correctioni noxiæ qualitatis studendum. Est verò illa qualitas vel ex elementarium & manifestarum grege tantùm, vel labis Venereæ particeps. Si manifesta tantùm, iis corrigenda contrariis, quæ ex asse vitiosæ respondent constitutioni: V. g. si fervida bilis luxuriet, contemperabimus medicinis quæ modicè refrigerant & humectant, cùm quadam incidendi facultate: cujus generis sunt Syr. de s. Violar. Borrag. Cichor. s. vel cum Rhabarb. cum Aq. vel decoct. hordei, rad. Cichor. bugloss. prunor. damasc. & acetos.*

tos.citri vel vitrioli illam contemperabimus. Vehementer verò refrigerantia & siccantia cum adstrictione hic non sunt ex usu: propterea, quòd humores ferè sint impacti, & ad frigiditatis effecta inclinent. Sic si mucilago pituitosa Tartarea primas obsederit vias, decoct. anisi, fœniculi, dauci, scord. & cum melle rosaceo, syr. de corticib. citri & spir. Tartari, iis scilicet, quæ digerendi, incidendi, calefaciendi vires obtinent, castiganda veniet; atq; eâdem lege fæx melancholica cum dilutioribus Syr. ex Borrag. Lupulis, quæq; humido calore potius liquant; quàm igneo calore exsiccant & indurant, præparanda est.

81. *Verùm istud vitium manifestarum qualitatum rarò per se & solùm consistit; sæpissimè contrà impressum characterem & signaturam virulentia Gallicæ refert. Quare non iis tantùm corrigendum contrariis, quorum ratio aperta est; sed occultis etiam, quæ experientia veneno huic adversa esse comprobavit. Vt sunt ex vegetabil. lignum sanctum, guajaci, sassafras, juniperi, querc. buxi, rad. chinæ, salsæ parillæ, smilacis asperæ, arundinis, cyperi, valerianæ. Ex animalibus antidotus serpentum. Inter mineralia triumphat Mercurius seu simplex, seu metallor. modò hæc omnia convenienter præparata & administrata fuerint. Nam pro diversis scopis & indicationibus etiam diversimodè præparata in usum trahuntur.*

82. *Itaq; mucus & gummata si pro purgatione facilitanda sint & præparanda, exhibebimus decocta rad. valerianæ, garyoph. lign. & baccar. juniperi. Salia item Levistici, Imperatoriæ, Persicariæ, Symphiti, Fumar. Syderit. vel in jusculis ac decoctis, vel in nebulis cum extr. scordii, &c. in conserv. & electuariis iis, quæ balsamicis ex guajaci vel extract. vel sale, vel acetositate resinosâ, ex chinæ radice similibusq; animata sint tincturis ac potestatibus. Ita enim specifica fient & appropriata, quæ antehac fuerunt communia.*

83. *Postquam εὔφορον redditum fuerit corpus, & humores in primis viis qui subsistunt sequaces, ad analoga veniendum cathartica, quæ nunquam non sale guajaci, vel ossium humanorum, si dolores præ-*

 sertim

sertim ossa frangant, nobilitanda sunt. Præterquàm enim quòd abstergant, aperiant, penetrent ac resolvant, efficaciter quoque impuritates omnis generis, & quidem sine ullis torminibus intestinorum expurgant, virulentam insuper labem castigant, & partibus gratam ex substantiæ suæ proprietate auram aspirant.

84. Formulas præscribunt Practici; elegantissimas habet Saxonia, l.9.c.29. ad quem te remitto. Variandæ verò sunt illæ pro ratione circumstantiarum, & ad palatum ægri: alii enim solidâ, alii liquidâ, alii mediâ formâ magis delectantur. Communiter illas probamus ex vulgaribus, quæ non potentialiter tantùm propter ingredientia, sed & actualiter ob formam potabilem humectant. Causam jam diximus contumaciam & grossitiem humorum. Quod si tamen vel bolum, vel pillulas, vel tabulas aut pulveres imperet necessitas; suaserim jusculum aliquod emolliens & abstergens superbibere.

85. Debent verò purgantia per epicrasin & vices repeti, ac paulatim intendi, si præsertim ut fieri solet contumaces sint, renitentes & copiosæ tartareæ illæ mucilagines: idq́; tam diu, dum præstò fuerit in corpore indicans. Diebus intermediis seu quietis, quibus pax est naturæ à catharcticis, & præparationi studendum, & vitali indicationi, vel mixtim omnibus, ut vires exagitatæ recolligantur, humores ductiles reddantur, & malignitas simul infringatur, quæ singula cùm præstet aqua & pulvis Cardiacus à Mercato l.1.c.9. de morbo Gallico descriptus, ad illius imitationem ex cornu cervin. pulv. cardiac. extract. scordii, theriacâ, melle juniperino, medulla guajaci, essentia melissæ, conserv. borrag. bugloss. & similibus plures componere licet antidotos.

86. Cæterùm palmam omnibus in hoc adfectu catharcticis præripit Mercurius, fugitivus ille Chymicorum servus. Quamvis enim magnanimus Fernelius, ejusq́; non degener discipulus Palmarius planè ex agro Medico hydrargyron proscribant, ideò quod deleterium sit venenum ex Galeni l.4.simp.c.19. & Dioscoridis l.5.c.20. sententiâ, quodq́; immania symptomata, ut tremores, epilepsias, convulsiones, &c. iis pro-

creet,

creet, quibus in usu vel medico per suffumigia & inunctiones, vel manuali ut metallariis & aurifabris fuit familiarior. Experientia tamen quotidiana fecit, ut spretis omnibus quæ adferunt argumentis, à Fallopio, Matthiolo, Brassavola, Antonio Gallo, Luca Ghino, Cæsalpino, Saxonia, Mercato, Steegio, Turriano, Iacobo Carpo, aliisq; Dogmaticis, ne de Paracelsistis quid dicam, pro vero luis εἰζολόμῳ & Herculea tam pertinacis mali antidoto fuerit habitum.

87. Quod enim dicit Fernelius Mercurium esse venenum ex eorum genere, quæ tota substantia θανάσιμα sunt & funesta, id sensus redarguit judicium. Ex Pauli namq; Æginetæ Principis inter 12. principes medicinæ dictos instituto, plurimi Mercurio vivo ad colicas & iliacas contumaces felicissimo utuntur cum successu. Plures in difficili partu, in verminatione aliisq; malis ex Fallopii & Matthioli suasu usurpant. Neq; obstat Galeni authoritas: Nam quando Mercurium venenum vocat corrosivum, non ex animi sui sententia, sed vulgi persuasione loquitur; id quod satis evidenter ex l. 9. simpl. c. de hydrargyro probari potest. Ubi cùm ex professo de hac materia sibi scribendum sumpsisset, apertè fatetur se nullum fecisse experimentum, unde de illius qualitate judicare potuisset & statuere.

88. Et ut maximè venenosum esse concedam Fernelio; tamen nihil obstat, quin per artem illa veneni latens substantia vel corrigi, vel sequestrari possit. Ita enim provida Natura juxta id quod est virulentissimum, semper reposuit quod est virtuosissimum: atq; ita oportebat fieri, ut contraria in mistis amicitiæ lege sine lite convenirent. Quare aut de crudo vera sunt, quæ recitat tragici eventus exempla; aut de sinistro & intempestivo usu, quò tantò quàq; Medicina evadit calamitosior, quantò salubrior debitè si administretur existit. Non diffundam me in exempla, cum sola purgantia, sola Laudana Opiata, Diaphoretica, ipsaq; divinissima omnium antidotorum Galenicarum theriaca sufficienter quod quæro demonstrent.

89. Facessat abusus, dexter usus nos occupet. Hic verò variat,

prout variè Mercurius vultum suum ex ingeniosa præparatione artificum mutat. Cæterùm hic de purgatione tantùm excrementorum infectorum in primâ regione consistentium quæritur. In eum finem exhibetur vel crudus, vel præparatus. Crudus exhibetur in pilulis Barbaross. & quas Mercuriales vocant, quæ ℞. Rhabarb. el. ℥ ij ß. Diagridii ℈ ij ß. pulverisf. misc. cum succo limonior. deinde additur Mercurii purg. & mortific. per eundem succum limon. ℥ ß. moschi gr. x. farinæ parum, atq; ex mistis F. massa pilularum, cujus ʒ j. frequenter exhibent Patavini per 30. dies. Elegantiores nuper in usum venerunt, quæ ℞. Gumm. Ammon. Bdellii, Opopanac. Sagapen. Sarcocollæ, Euphorb. Trochisc. Alhand. rad. Elleb. v. nigri, Diagrid. an ʒ ij. Mercur. vivi extincti in S. limonum ℥ ß. ex pulverisatis & accuratius mistis F. pil. quarum Dosis à gr. x. ad xxx. Verum quòd præstantiora in promptu sint pharmaca, aut nunquam cruda illa usurpanda sunt; aut non nisi ubi gummoso & frigido tartaro intestina sunt obsessa: tum enim posteriores pilulæ, quod valenter liquefaciant ac resolvant locum habere possunt.

90. Præparatus Mercurius vel Catharcticus tantùm est, vel insuper Emeticus. Catharcticus varii generis, sed præstat Mercurius sublimatus dulcis crystallinus & rubeus. Crystallinus fit ex tribus Mercurii sublimati vulgaris, & duabus Mercurii vivi partibus conterendo & sublimando, ut quasi in glaciem concrescat. Rubeum sub arcani corallini nomine describit Crollius in Basilica. Vterq; locum habet in recenti malo, si nondum impressiones validas in terram microcosmicam fecerit malignum Veneris sidus: ita tamen ut redigantur cum aliis Medicinis catharcticis, ut Extr. Alhandal. &c. in pilulas, ne videlicet masticati faucibus & dentibus, quibus iniquus semper est Mercurius, noxam inferant; dein ut paulò post à deglutitione jusculum aliquod abstergens, ut decoct. pisorum, galli decrepiti, hordei exhauriatur, quo videlicet actio purgans promoveatur, & ab adhæsu pilulari sensile stomachi orificium eluatur: quas cautiones qui non observant, fieri potest, ut plus detrimenti quàm emolumenti suis accelerent ægris.

91. Eme-

91. *Emeticus Mercurius convenit in radicatâ & inveteratâ lue, siq; viscidi & magis rebelles sint humores, quàm ut à levioribus commemoratis educi potuerint. Duro igitur hic nodo durus quærendus est cuneus, & cum præparati fuerint humores, & humectatum corpus, exhibebimus Turpethum Minerale, vel Mercurium vitæ. Turpethi Mineralis cum variæ extent descriptiones, si Mercurius vel per se, vel cum auro amalgamatus præcipitetur; tum verò præcipuam meretur laudem ea, quam à Præceptoribus nostris in usu habitam magnifacimus. Sic autem se habet: ℞ Mercurii purg. ℔.j. dissolv. in s.q. aq. fortis factæ ex vitrioli ℔.iij. & salis petræ ℔.ij. post destilla per alembicum ex arena aquam & spiritus sensim. Postquam aliquantulum spiritus desinere incipiunt, auge ignem, ut vitrum parum candeat, ac spadiceum quodammodò appareat, sic enim in alembico & ad spondilia cucurbitæ ex Mercurio flores inutiles flavi & subrubei sese elevant. Omnibus refrigeratis exime & frange cucurbitam, rejectis ad spondilia alembici floribus inutilibus, & invenies rubeum pulverem in fundo, quem tam diu aq. calida in paropside terrea lava, donec nihil acredinis supererit. Deinde eidem pulveri exsiccato affunde oleum salis tartari ad supereminentiam duorum digitorum, abstrahe iterum ter destillando in arena phlegma. Sed tertia vice auge ignem, etiam fundo cucurbitæ paululum ab igne rubescente, atq; hoc modo ascendit Mercurii quædam portio cruda seu viva, quæ omninò separanda. Relictam in fundo materiam contunde, & aq dulci calida toties elue, donec nulla salsedo, nullæq; sordes amplius residuæ fuerint, solo nempe pulvere rubeo relicto, quem exsiccatum & in cucurbitam mundam positum imbibe cum aq. ovorum, ac septem vicibus eandem ab eodem ex arena per alembicum abstrahe. Relictum in fundo aqua calida aliquoties lava, affusumq; spiritum vini rectificatum septies inde destilla cohobiis tot repetitis. Tandem exempto pulveri Alcohol vini affunde, ut benè humectetur, quod admoto igne succende, & tamdiu spatula ferrea move, donec ardendo consumptum sit. Istius præcipitati, ℞ pro dosi gr.iij. vel v. permisce cum*

extra-

extracto Panchymagogo Crollii, extr. Diagrid. vel aliis, quæ congeries Indicationum docebit, & utere per vices. Lenes enim tantum in dispositis movet vomitus; sæpius verò per alvum camarinam fœtentem expurgat.

92. Mercurius vitæ fit ex oleo glaciato rectificato, præcipitando illud cum aqua in pulverem, & eluendo cum aqua ab omni salsedine vel acetositate. Vehemens est, atq; hoc nomine multis suspectus. Cicurari tamen potest, si pulvis præcipitatus aliquandiu maceretur in aq. vitæ diambratâ vel aromaticâ alia, eaq; abstractâ exhibeatur in conserv. rosar. vel borrag. quæ cum ol. sulphuris multum acida reddita fuerit. Tum enim citra noxam vel injuriam corporis ad vomitum & secessum stimulat naturam. Eximium mehercle medicamen, & planè pro suo nomine, quodq; si εὐκαίρως repetieris, radicitus omnem luem eluere poterit, quantumvis inveterata sit & confirmata. Pro delicatioribus & voluptuariis, qui vix levem commotionem sustinere possunt, adhuc magis elaborari potest, ita ut sine ullo molestiæ sensu, quod sui est officii præstet: si videlicet in viola per certum temporis spatium circumrotetur & coquatur, dum ad rubedinem saturatam pervenerit. Id quod fecisse dicitur Alguresthus, qui solo hujus pulveris usu toti Europæ innotuit.

93. Longè plures sunt Mercurii ad expurgandam primam regionem purgationes, sed quas commemoravimus esse possunt instar omnium. Quia verò non abdomen tantùm & primæ regionis ambitus in culpa est; sed in venis etiam & habitu corporis malum latet, ob id à purgationibus ad reliqua quoque evacuationum genera deveniendum est. Quocirca media corporis regio & urinarii vel seminarii ductus quoq; extergendi sunt diureticis. Tum corporis extrema regio seu superficies Diaphoreticis.

94. Diuretica potissimùm locum habent, si vasa seminaria laborent, ut in gonorrhæâ virulentâ. Hîc si fervor nimius urinæ vel puris peccet, primùm contemperandus refrigerantibus, ut lacte papav. &

4 sem. frigid. major. facto cum aq. violar. Altheæ & sperniolæ: tum mundificandæ viæ, & tollendæ virulentia, hæc occultis, illæ manifestis qualitatibus. Virulentiam tollit sal Veneris vel præcipitatum viride ex Mercurio cum Venere, Mercurius dulcis crystallinus, gummi guajaci & hæderæ, sal quercus & fraxini: vias mundificat Terebinthina. Vtriq; scopo satisfaciemus, si formaverimus pilulas ex Mercurio dulci crystallino, vel præcipitato viridi, aut sale Veneris, &c. cum gumm. guajaci, earumq; dosi exhibitâ statim propinaverimus terebinth. quæ abluta aq. viol. deinde cum vitello ovi trita, ac s.q. vini facta sit potabilis. Continuando usum dum id quod in principio visum est apparuerit, & addendo sub finem aliquid de aq. sperniolæ camphorata, vel sale aut spiritu Saturni.

95. Diaphoreticorum magnus numerus. Vulgò apozematibus utuntur & syrup. ex ligno sancto, guajaci, querc. rad. china, &c. vel seorsim post debitam infusionem decoctis, vel cum alterantibus & purgantibus. Eorum formulæ cùm ubivis prostent, non est quòd in iis enumerandis occupemur. Ac quantum ad alterantia salubriter ea permisceri posse censemus, modò gratiam ab odore, gustu visuq; medicamento concilient, vel partium studeant robori, vel deniq; complicatis obviam eant causis & adfectibus. Verùm an purgantia (quod tamen omnes faciunt) legitimè conjungantur cum Diaphoreticis multus dubito. Nam & ad contrarios motus stimulant naturam, & mutuis se invicem jugulant gladiis, & medendi methodum temerè invertunt ac confundunt. Quod si alvum dicas exsiccari aliâs à jugi Diaphoreticorum usu; equidem ad balanos & Enemata vel etiam Eccoprotica, quibus admonere quandoq; possis excretricem, vel corrigere vestigia Diaphoreticorum, te remisero.

96. Persistendum verò in horum usu, dum massam sanguineam sufficienter cognoverimus esse repurgatam. Quòd si contumacior sit labes, generosis spagyricorum flosculis, vel oleo sulphuris acido, spiritu victrioli, Tartari, aq. theriacalibus, oleo guajaci, C.C. salibus theriaca-

libus & herbarum, essentiis melissæ, anthos, cort. citri, &c. vulgares illas ditabimus & amplificabimus medicinas, ut fortius hostem adoriantur, suisq; verberent & expugnent telis. In hunc censum etiam Mithridatium referunt & theriacam: ac ut propter Trochiscos viperinos Andromachicæ quid largiar opiatæ; illi tamen longè præferendum est Bezoarticum animale seu pulvis serpentum, quem & analogismus ab elephantiasi ad hanc Luem, & clarissimorum virorum satis commendant experimenta, ut alias brevitatis studio reticeam rationes.

97. *Mineralium Monarchia ut in reliquis ferè morbis Astralibus, sic & hic gloriosè regnat. Inprimis Mercurius si vel in fixum pulverem cum spiritu nitri vel aqua stygia redigatur; vel cum sale Ammoniaco in spiritualem essentiam, quæ Moschum fragrantia sua referat, exaltetur, ex intimâ corporis humani medullâ eradicare profundissimam quamq; potest luem. Exhibetur cum vulgaribus decoctis aliquot tantùm vel granorum, vel guttularũ pondere, maximâ cum ægri gratiâ & εὐφορίᾳ: præsertim si de coralliorum tincturâ quippiam adjeceris. Docuit verò Vulcanus & alia ministros suos magisteria, quibus citra respectum tot indicationum complicatarum satis tutò, citò & jucundè mederi queant, sed illorum rationes propalare nec hujus est loci, nec mei muneris.*

98. *Inunctiones & suffumigia per Cinabr. & Mercurium (quæ adeò frequentant Empirici) quod attinet, certè simpliciter probari non possunt, cùm plurima balsamica interna præstò sint. Deceret potiùs ingenuitatem medicam in horum salutarium occupari studiis, quàm tot infaustis illis cumulare funera vel calamitates. Quod si tamen malum sit omninò confirmatum; membraq; tophorum rigeant multitudine, nec universalia juverint; aut alia in promptu sint tutiora, licebit sanè periclitari. Præstat enim ex Celsi consilio anceps, quàm nullum auxilium experiri. Neq; verò adeò periculosum est id auxilii genus, ut modò ritè administretur, non plurimum sæpè proficiat. Methodum præparandi*

randi & utendi docent Quercet. Mercat. & Steegius ita ad amussim, ut nihil desiderari possit; quare consultò prætereo.

99. *Ad symptomata & complicatas adfectiones, quòd plurimùm distrahunt Medicas mentes manusq́ nunc esset deveniendum; verùm cum penè numero sint infinitæ, immensi res ea laboris foret & longioris temporis. Qui novit ex superioribus alias has esse à communibus, utpote Gallicas & sui generis: easq́ non communibus tantùm, sed & occultis præsidiis, ut Guajaco & Mercurio curandas, illi jam medela non potest esse in obscuro. V.g. Vlcera sordida & profunda, non tantùm ratione saniei Vng. Ægyptiaco vel melle rosato extergenda ac mundificanda; sed propter virulentiam addendus Mercurius præparatus, Aquila scilicet alba, vel tinctura Veneris si ferat æger, aut mellugo Saturni, si exquisitioris sit sensus & cum inflammatione (ut in pudendis solet fieri) conjuncta. Sic tabes, quæ hîc supervenit, simplex non est, sed Gallica: quare quæ utrumq́ vitium corrigunt exhibenda, membra scilicet reficienda seu nutrienda, & virulentia extirpanda, quod fiet si Gelatinam Cranei humani cum acetositate, oleo vel resinosâ guajaci substantiâ, aut ipsum deniq́ guajacum in aq. destillata è carnibus & epate vitulino cum herbis epaticis, & liquore Margaritarum, vel lacte sulphuris, aut turpethò Saturni, prout videbitur, exhibuerimus.*

100. *Sic igitur percurrimus pharmaciam, cujus qui pleniores rationes cupit cognoscere, eos necesse adeat, qui fusissimè doctrinā hanc profitentur. Articulos temporum & momenta quævis circumstantiarum, unde particulares exsurgunt indicationes, non potuimus adscribere: propterea quòd infinita sint, utpote singularia, & in quovis penè varient individuo. Quare ex universali dijudicanda potiùs sunt methodo, & usu ac commentariis discenda, quàm in disputationem* θετικὴν *referenda. Neq́ enim probamus* ἄλογον *Aliptarum vel Agyrtarum consuetudinem, qui statis temporibus & periodis digerunt, purgant, ad sudorem cogunt, inungunt, suffiunt, seu evictum jam sit malum, seu residuum adhuc. Indicantibus rationalem attentum decet esse Medicum,*

& tamdiu purgare, quàm diu Cacochymiam in priori regione deprehenderit: si hanc unica sustulerit Catharsi, statim ad Diuretica veniet, & horum ubi nullam necessitatem animadverterit, ad sudores transibit, non certo dierum vel mensium numero, sed pro ratione peccantis materiæ continuandos.

101. Neq; verò satis est hæc Medicum præstare; sed insuper ut ipse quoq; infectus sui rationem habeat in Diæta requiritur. Consistit autem hæc in convenienti sex rerum non naturalium usu, ac inprimis victu, ut conveniens sit & medicatus. Conveniens ratione tum quantitatis, tum substantiæ. Ratione quantitatis, ne parsimoniâ victus, cum chronico morbo deficiant ægri vires, quod Hipp. monebat s. 1. §. 4. aut copiâ obruatur natura, & cumulentur excrementa. Ratione substantiæ: ut sit εὐπόριστος, εὔπεπτος & consuetus. Medicatus erit victus, si iis, quæ curam antecedentis causæ & continentis ratione promovent, temperaverimus. Carnes igitur alterabimus cichorio, borrag. aliisq; pro subjecti conditione. Pro communi sale utemur artificialibus ex Scordio, Veronica, Absinthio præparatis, ita tamen ut ulcerosa si fuerit Lues parcius iis indulgeamus: Pro potu exhibebimus decoctum Anisi, Fæniculi, Liquiritiæ vel passularum, in qua lign. sassafras, Ind. rad. Chinæ, vel interior guajaci medulla ferbuerit. Vel si ventriculus nimis imbecillis fuerit, vinum tenue cum aliquot sp. victrioli guttis concedemus.

102. Quoad aërem, is debet esse modicè calidus & siccus, ac talis si sit cæli constitutio, permittendum ut æger domo exeat & colludat cum amicis. Cavendum ne à sudore frigeat, aut nimio corpus flaccescat otio: ne vigiliis nocturna quies aut animus mærore consumatur, excretaq; præter naturam retineantur. Exercitia post purgationem sint frequentia: Veneris antequam corpus mundatum nullus vel paucus usus: at si præmissa fuerint universalia, & semen vasaq; seminaria interiora labem aliquam conceperint, posset quidem ex bono esse, nisi castitas vel periculum infectionis ac contagii aliter juberent. Atq; hæc de morbo ut frequentiss. & gravissimo, sic curatu difficilimo scripta, non dubi-

dubitavimus publicis committere vel judiciis vel oculis. In quo si videbimur præterquàm frontem & ætatem juvenilem decet, liberiùs indulsisse stylo, facilè nostram tuebimur verecundiam personâ Medicâ & necessitate rei. Nam & quæ scitu necessaria vel ποιῆσαι fructuosa nobis futura sunt, maturiùs cogitare debemus, & de rebus naturalibus apertè citrà comperendinationem & pudorem philosophari Medici est. Hic subsistimus, & quia tenuitatis nostræ nobismet benè conscii, petimus, sicubi hæsimus, veniam: & verò expectamus ut adferant meliora meliores.

MEDICO-CHYMICA
XII.
INAUGURALIS:
De Obstructione Hepatis.

M. GEORGII MOLTHERI
Grunbergensis.

THESIS I.

INTER *principes humani corporis partes optimo jure locum obtinet Hepar, utpote præcipua nutrimenti officina & fons gratiosi liquoris: quod ingenitâ sibi facultate sanguinem efficit ac profert. Cùm verò nobilissimo huic visceri admodum familiaris sit Obstructio, quæ posteà plurimorum ac gravissimorum Affectuum existit seminarium, ut eam non immeritò Avicenna Matrem ægritudinum vocet: libuit nobis vestigia Dogmaticorum sequentibus, præsentem hanc διάλεξιν de Obstructione Hepatis, juxta tria Medici in profligandis morbis officia,* Διάγνωσιν, Πρόγνωσιν καὶ Θεραπείαν *instituere.*

2. *Est autem Obstructio Hepatis (ἔμφραξιν Græci dicunt) angustia propaginum venæ tum Portæ tum Cavæ, per concavam gib-*

bamq; visceris partem dispersarum, orta à materia ipsis impactâ, impediens alimenti ἀνάδοσιν, & sensum gravitatis atq; tensionis inducens.

3. Instrumentarius itaq; morbus est, ad eam pertinens differentiam, quæ vitiatâ conformatione describitur; non quidem ratione figuræ, lævitatis aut asperitatis, sed viarum seu meatuum. Dum enim illi ab incidente intusq; hærente materiâ redduntur angustiores, ut alimentum traduci transportariq; nequeat, inde nascitur Oppilatio seu Obstructio.

4. Cùm verò plures sint angustiæ morbosæ species, quæ & ipsæ possunt Hepati accidere, quales sunt Coalescentia, Compressio, Concidentia, Constrictio, Constipatio: eas tamen omnes ab Obstructione distinguimus, atq; vel ad causas occasionem Obstructioni præbentes referimus; vel Hepar à pluribus morbis simul obsideri dicimus.

5. Subjectum Obstructionis totum quidem Hepar est: quam tamen admittit tantùm secundùm venas, potissimùm Capillares, à vena porta & cava propagatas, per quas Chylus, ut concoquatur, transvehitur, & per quas Chymus, ut nutriat, iterum amandatur.

6. Ab hac itaq; Hepatis obstructione sejungimus eam, quæ est ductuum ad κύστιν χοληδόχον, indeq; ad ἔκφυσιν pertinentium, ut & ipsarum Venarum Mesaraicarum. His enim obstructis, etsi Hepar, quia operatio ejus læditur, vulgò etiam obstructum esse dicitur: non tamen cujus membri actio læditur, illud quoque morbo teneri statim consequitur.

7. Hinc emergit differentia ab affectâ parte desumta: vel enim Obstructio Totalis est, vel Partialis: Totalis quidem, cùm totum Hepar secundum utriusq; & gibbæ & simæ partis venas afficitur: Partialis verò, cùm alterutra tantùm regio infestatur; quod ipsum tamen frequentiùs concavæ accidit quàm convexæ.

8. Causæ Obstructionis Internæ sunt & Externæ: Internæ rursus vel συνεκτικαὶ, vel προηγούμεναι, hoc est, Conjunctæ vel Antecedentes.

9. Sunt-

9. Συνεκτικὰ, quæ jam proximè & immediatè ἔμφραξιν committunt, ſunt Humor vel Vapor: Et Humor quidem alimentarius vel excrementitius. Alimentarius eſt tum Chylus, tum Sanguis, copiâ vel qualitate aut ſolus peccans, aut aliis humoribus permixtus, vel corruptus. Excrementitius eſt utraq; Bilis, Pituita, Alviq; impuritates. Vapor autem eſt flatus craſſior, mineræ ſuæ naturam & conditionem redolens.

10. Προηγούμενα ſunt hæc ipſa, quandiu nondum actu meatus obſtruunt, quod tamen interveniente ſuâ in affectam partem Congeſtione vel Affluxu facere poſſunt. Congeſtio fit læsâ aliquâ facultate, vel ob morbos, ut Intemperiem: vel ob errorem externum, puta vitium alimenti. Affluxus fit per ἕλξιν (attractionem) vel ὦσιν (tranſmiſſionem) quarum utraq; varias ob cauſas contingere poteſt: ut quando in ſuppreſſione Menſium & Hæmorrhoidum ſanguis quadam παλινδρομῇ ad fontem ſuum refluit.

11. Cauſæ προκαταρκτικαὶ externæ & evidentes ſunt Res non naturales. Sic Aër nebuloſus, cibi craſſi, viſcidi, mali ſucci, δύσπεπτοι & flatulenti, ejuſdem naturæ humores flatusq; progenerant: itemq; cibi multi, & quicunq; vel inconveniente ordine, aut intempeſtivè ſumuntur. Somnus & ocium immoderatum coacervant. Balnea & Exercitia ſtatim à cibo ſuſcepta, purgantia item cibis admixta, venæ ſectio ante lenitionem alvi admiſſa, &c. materiam commovent, & ut intra venas & jecur rapiatur & intrudatur, efficiunt.

12. Ab hac cauſarum conſideratione, novæ proveniunt Differentiæ: Nam obſtructio alia oritur ab Humore, alia à Vapore: utraq; rurſus gravior & vehementior, vel levior & mitior eſt, prout cauſa vehementiùs vel remiſſiùs agit.

13. Signa διαγνωστικὰ ſunt, quæ præſentem Obſtructionem declarant: ſuntq; duplicia, παθογνωμονικὰ & συνεδρεύοντα. Παθογνωμονικὰ ſunt propria & inſeparabilia, quæ cum morbo incipiunt & deſinunt, ac proinde teſtantur de ſpecie morbi, loco affecto & cauſa morbifica.

14. Quæ

14. Quæ speciem morbi ostendunt, partim ex ægri relatione innotescunt, partim sensu percipiuntur: & petuntur 1. ab Excretis, v. g. quòd urina est tenuis & aquosa, alviq; excrementa variant: 2. à situ, quia dolor sentitur in hypochondrio dextro: 3. à proprietate doloris, qui gravativus est & obtusus, utpote in membro sensus hebetioris: 4. à propriis accidentibus, ut sunt tussis sicca & difficultas anhelitus, præsertim ascendentibus per acclivia ob συμπάθειαν tunicæ costas succingentis, & Diaphragmatis compressionem: faciei decoloratio & macies ob læsam αἱμάτωσιν & interceptam ἀνάδοσιν.

15. Locum affectum demonstrantia vel jecur ipsum, vel partes ejus simam aut gibbam designant. Hepar affectum esse ex prædictis signis colligitur: potissimùm verò ex actione læsâ, si alia desint. Partem ejus gibbam affici prodit durities tactu perceptibilis, egestio minus liquida: partem autem simam dolor profundior, & (ob seri copiam ex præclusâ anadosi redundantem) alvus magis humida.

16. Quantum ad causas: Humores significant dolor magis gravativus, obtusus atq; stabilis, durities renitens, & signa cujusq; humoris peccantis propria. Flatus denotat eorum signorum absentia, quæ humoribus conveniunt: contra dolor magis est tensivus & acutus, minùs tamen stabilis, quiq; ad compressionem manus minuitur. Complicata signa causas permixtas arguunt.

17. Horum signorum συνδρομὴ Hepatis obstructionem à cognatis & complicatis morbis quoq; disterminat: verbi gratia: Etiamsi læsa sit αἱμάτωσις, dolor percipiatur gravativus, simulq; fluxus alvi sit Chylosus, urina tenuis, colorq; faciei immutetur: si tamen dolor circa Epigastrium & Regionem umbilicalem oberret, venas Mesaraicas potiùs, quàm Hepar obstructionem pati dicemus. Sic Icterus flavus obstructionem πόρου χοληδόχου significat. Si præter hæc aliorum affectuum Pathognomonica signa concurrant, pluribus morbis obnoxium esse corpus verisimile est.

18. Συνεδρεύοντα signa sunt, quæ aliquam morbi conditionem indi-

indicant, ac proinde ad essentiam morbi non referuntur, quippe communia & χωριστὰ. Et sunt duplicia, ἐπιγινόμενα (supervenientia) & ἐπιφαινόμενα (apparentia) quæ partim magnitudinem, partim mores & motum morbi declarant: quæ tamen pro robore & imbecillitate virium, diversâ etiam naturâ ac dispositione ægrotantium, plurimum variant, καὶ ταῦτα μὲν περὶ τῆς διαγνώσεως.

19. Πρόγνωσις sequitur, quæ successum in curando bonum vel malum prænunciat. Prognostica autem signa sumuntur tum ab ægro, tum à morbo. Quæ ab ægro sumuntur omnibus morbis communia sunt, & spectantur in Qualitate secundùm colorem, figuram & molem totius, actionibus & excrementis. Quantò enim sanis hæc singula similiora sunt, tantò confidentiùs ad curationem accedendum: quantò verò longiùs recedunt, tantò minùs sperandum. Facies Hippocratica 1. sect. προγ. descripta, exitialis est.

20. A morbo plura desumuntur Prognostica. Obstructio enim recens tollitur faciliùs quàm inveterata: materiâ etiam lapidescente difficulter aut nunquam curatur. Deterior est, quæ fit ab humore, quàm quæ à flatibus: deterior quoque quæ est in gibba parte, quàm quæ in sima. Prout igitur Obstructio major vel minor fuerit, periculum majus minúsve portenditur. Certè nisi subitò tollatur, putredinem humorum & febres causabitur. Si perseveret diutius Colicum, ὠχδζίαν, ὑδρῶπας, ἀτροφίαν, &c. minatur. Et hæc quoque de Prognosi: reliquum est, ut τὰ θεραπευτικὰ persequamur.

21. Θεραπεία itaque, ut dextrè, hoc est, citò, tutò & jucundè perficiatur, Indicationes prius attendendæ, eæque cum Coindicantibus & Contraindicantibus conferendæ fuerint: sunt enim quasi statuæ Mercuriales, ad quas rationales Medici, ne uspiam aberrent, semper respicere debet.

22. Indicationes triplices sunt: Curatoriæ, quæ sumuntur à morbo, Præservatoriæ à causa morbifica, Vitales à virtute: Morbus enim requirit sui curationem; causa sui ablationem; vires sui conserva-

tionem: quæ tamen Indicationes, cùm Genericæ tantùm, ideoq; inutiles sint, per subalternas ad specificas & determinatas descendendum erit.

23. *Hinc ergò materia copiosa minuenda, crassa incidenda & attenuanda, viscida detergenda, fluens revellenda, simulq; evacuanda: flatus attenuandi & discutiendi: partium quoq; δυσκρασία, quæ materiam obstruentem vel generant, vel subministrant, alteranda & corrigenda fuerit.*

24. *Ad hos indicationum scopos implendos, ex triplici fonte materiæ auxiliorum desumuntur: Diætâ, Pharmaciâ & Chirurgiâ.*

25. *Diætæ nomine comprehendimus totam victus rationem, seu legitimam administrationem earum rerum, quas Galenus ἄπα ὑγιεινά, vulgus res non naturales appellat. His rectè adhibitis, vires, νόσων ἀνίσεται, conservantur, eæq; ad materiæ morbificæ generationem impediendam maximè conducunt, & ne quid causæ antecedenti ulterius adjiciatur, prohibent.*

26. *In victus itaq; ratione, prima incidit consideratio aëris: qui debet esse purus & lucidus, & declinare ad calidum, si peccans materia fuerit frigidior. Cùm enim aërem singulis ferè momentis ægrum attrahere necesse sit, non minùs atq; cætera præsidia, contra morbum militare debet, ac proinde si talis non sit, qualis expetitur, arte parandus erit: floribus nimirum & plantis calidioribus humi conspersis, fumo ex odoratis convenientibus accenso, aut etiam loco, in quo degit æger, permutato. Contrà verò vitari debet crassus, densus, caliginosus, multisq; exhalationibus redundans.*

27. *Cibus potusq; sit ægro familiaris: nam consueta magis juvant: unde qui ægrotis suis talia præscribunt, quibus illi nunquam assueverunt, & à quibus naturaliter abhorrent, parum scitè agunt. Certè avidiùs amplectitur ventriculus ea quibus assueveris, etiamsi deteriora sint, quàm vel optima, quæ horreas.*

28. *Cibi sint εὔχυμοι, εὔπεπτοι καὶ εὐανάδοτοι, flatuum exortes, attenuandi*

nuandi tamen incidendi & abstergendi vi præditi. Panis itaq; cum fermento & sale sit bene coctus, & seminibus odoratis conditus. A carnibus in plethora abstinendum, aliâs conveniunt gallorum, gallinarum, caponum, perdicum, avium montanarum, &c. Vitentur bubulæ, suillæ, avium palustrium, & piscium lacustrium; pedes item & intestina quadrupedum: Legumina, ut fabæ, pisa, lentes, oryza, fructus acerbi, lac, caseus, & quicquid viscidum est. Iuscula prosunt alterata radicibus & foliis incidentibus aut aromatibus. Ex oleribus conveniunt Intyborũ genera, acetosa, chærefolium, atriplex, spinachia, petroselinum, cepæ, &c.

29. *Potus esto hydromel, aqua hordei, vinum tenue & vetus, medicatum etiam ex absinthio, chamædry, salviâ, aromatibus. Cerevisia non nimis recens sit, nec crassa.*

30. *Alvus quotidie faciat officium: vitetur repletio. Exercitia sint moderata: moderatus item somnus. Ocium multum & immoderata quies absit. Affectus animi tristes nocent, læti juvant. Deniq; res non necessario occurrentes vitentur.*

31. *Ordinatâ Diætâ veniendum est ad amovendam causam, tum antecedentem, tum conjunctam. Antecedens tollitur præsidiis partim Chirurgicis, partim Pharmaceuticis. Chirurgicum est venæsectio & cauterium. Venæsectio adhibenda est, tum in plethora, tum in suppressione consuetæ vacuationis, Mensium vel Hæmorrhoidum. In Plethora secanda est Basilica, aut certè jecoraria extremæ manus: In suppressione Mensium vel Hæmorrhoidum vena crurum, præmissa semper alvi lenitione, & ea mensurâ sanguis profundendus, quantam morbus, viresq; ferunt.*

32. *Venæsectionis locum supplent cucurbitulæ, & in iis, qui ferrum reformidant, hirudines debitè præparatæ, & locis convenientibus admotæ. Cauteria adhibentur, ut materiam peccantem revellant vel avertant, ne copiosior influat: quod tamen fieri non debet, nisi corpore prius purgato.*

33. *Pharmaceuticum auxilium est purgatio: Eaq; vel per vo-*

mitum, vel per secessum: prout materia peccans ἀνάῤῥοπος, vel κατάῤῥοπος est.

34. *Vomitoria præcipuè dentur, si adsit amaritudo oris, nausea, rosiones circa orificium ventriculi superius, corpore tamen benè præhumectato, dummodò non adsit causa quæ vomitum dissuadeat; Parantur ea ex Asaro, Raphano, Genista, &c. decoctis & assumtis ex aqua tepida, cum butyro vel oleo: Helleboro, cortice arboris juglandis, vitriolo, antimonio, &c.*

35. *Purgatio per secessum analoga sit Humori peccanti, & exhibeatur in forma conveniente. Nec fortissima statim exhiberi debent, sed lenioribus ac mitioribus utendum, donec materiæ pertinacia suadeat valentiora. Bilem vacuat, Cassia, Manna, Rhabarbarum: Pituitam Agaricus, Turpetum, Carthamus: Melancholiam Sena, Polypodium, Helleborus: ut interim omittamus Composita, χολαγωγὰ, φλεγμαγωγὰ, μελαναγωγὰ, παγχυμαγωγὰ.*

36. *Vt autem feliciùs ea succedat præmittenda fuerit viarum lege naturæ conferentium laxatio, & Humoris peccantis præparatio. Viæ laxantur (ut corpus εὔρουν fiat) subjectâ Balano vel Clystere, vel hausto decocto Prunorum, Tamar Indorum, assumtisvé speciebus Hieræ, aut aliis ἐκκοπρωτικοῖς. Materia præparetur λεπτυντικοῖς, τμητικοῖς καὶ ῥυπτικοῖς, & quandoque μαλακτικοῖς, quibus dura emolliantur: quorum Practicorum libri, usu cognitorum & approbatorum, immensam copiam suppeditant.*

37. *Causa Conjuncta tollitur iisdem ferè auxiliis Chirurgicis & Pharmaceuticis, quibus Antecedens. Amotio enim causæ Antecedentis sæpenumerò revellit, & secum rapit Conjunctam, ut solvatur Oppilatio.*

38. *Itaque si Obstructio fiat à πλεονεξίᾳ Sanguinis, demtâ sanguinis copiâ, simul & remota & proxima Obstructionis causa tollitur.*

39. *Si causa Obstruens sit Humor, atque is subsistat ἐν κοιλοῖς, unà tollitur cum Antecedente. Quod si Venæsectio non minuat omnem Plethoram,*

thoram, aut una Purgatio nō omnem materiam peccantem removeat, eadem auxilia repetenda fuerint.

40. *Si humor oppilans subsistat ἐν κυρτοῖς: conveniunt διουρητικά, quibus ille incisus & attenuatus cedat. Nam sic etiam Natura sæpè Obstructiones convexæ partis aufert περιῤῥοίᾳ quadam, hoc est, largiore Vrina profusione.*

41. *Si causa obstruens sit vapor aliquis halituosus, corpulentior factus, utendum est Carminativis, quæ flatus attenuent & discutiant. Nam ita sæpè talis obstructio tollitur, vel superveniente febre (calore nimirum tenuante & resolvente) vel ventositatibus infernè erumpentibus. Conveniunt etiam externi fotus, hermasmata, illitiones, molles frictiones: Habent enim vim discutiendi.*

42. *Sed hîc observentur Regulæ quædam:* [1] *In omni medicamentorum exhibitione servetur ordo, & particularibus præmittantur universalia.* [2] *Nunquam offerantur medicamenta, nisi vacuo ventriculo, aut certè peracta prima & secunda concoctione.* [3] *Modus sit emollientium: Et omnibus medicamentis semper aliqua misceantur astringentia, quæ τόνον jecinoris conservent.* [4] *Modus sit attenuantium, ne tenuia secernantur, & relicta crassiora fortius impingantur.* [5] *A curatione non desistatur, donec remittat dolor & Hypochondrium levius fieri sentiatur.*

43. *Etsi autem symptomata Medici curam ad se non vocant, nisi quatenus rationem habent causæ efficientis: tunc enim extraordinariâ curationis Methodo utendum: si tamen urgeant vehementiùs, placanda sunt, donec morbo percurato, ultrò discedant.*

44. *Quia verò materia Obstruens δυσκρασίαν quandam Hepati imprimere solet, ejus quoq; ratio habenda est, ne uno malo submoto, aliud relinquatur vel succedat gravius. Alteratio igitur fieri debet ad justam temperiem.*

45. *Peracta curatione studendum fuerit τῇ ἀναλήψει, quæ medicamentis perficitur corroborantibus, & Diæta ἀκριβεῖ: in qua vitentur,*

quæ huic malo iterum occasionem dare possunt: qualia cumprimis sunt cibi lenti & glutinosi, potusq́; crassi & fæculenti: atq; id etiam opera detur, ut prima & secunda digestio ritè celebretur. Hac enim observata cautione, etiam ii, quibus ἀπὸ τῆς φύσεως meatus jecoris angustiores contigerunt, quales ferè sunt frigidiores temperaturæ, ab hoc ἐμφράξεως malo faciliùs tueri se poterunt.

DISPUTATIO MEDICO-CHYMICA XIII.

INAUGURALIS

M. JOHANNIS MOLTHERI GRUNbergensis Hassi.

THESIS I.

Conveniens admodum, nec ut ajunt Synecdochica, adeoq́; quod Plato de Geometria dixit, ὄνομα γελοῖον est Medicinæ appellatio: quippe sive à Medio*, sive ἀπὸ τοῦ μέδεσθαι deducitur, totum id quod complectitur, significanter etiam exprimit. Sanitas enim corporis humani tanquam μέσον quoddam inter morbificas causarum valetudinis ἐλλείψεις καὶ ὑπερβολὰς intercedit: ad quam, utpote finem suum, obtinendam fida Natura ministra Medicina omnia* dirigit*; atq; eam unicè, si præsens sit custodire, si labilis præservare, si læsa recuperare conatur, perpetuâ μεσιδιαιτήσει seu mediatione æquando τὸ ἔλαττον καὶ τὸ πλεῖον, quorum utrumq; τῇ φύσει μετρίῳ φίλῳ πολέμιον.*

2. *Versatur itaq; Medicus* [1] *circa Res Naturales (Sanitatis constitutrices) ut eas intra terminos Mediocritatis suæ similibus conservet.* [2] *Circa Res quæ præter Naturam corpus afficiunt (Morbos, inquam, Morborum causas & Symptomata) ut eas Contrariis ad Mediocritatem reducat.* [3] *Circa Non-Naturales seu αἴτια ὑγιεινὰ (assumenda,*

menda, excernenda, gerenda, atq; foris incidentia; nempe Diætã, Pharmaca, atq; præsidia Chirurgica) ut iis utrumq; præstet. [4] *Illas & istas si sensibus apprehendere nequeat, per signa sua* διαγνώσκει: *indeq;, ne quid incautè suscipiat, quæ futura sunt* προγνώσκει. [5] *Harum legitimam administrationem (abusu enim morborum mortisq; causa fiunt) Methodo per Indicationes venatur, atq; ita* θεραπεύει.

3. *Neq; verò circa ea versatur solummodò tanquam Practicus; quia ut* ἰώμενος *sit, etiam* ἐπιστήμονα, *imò Homeri judicio* ἐπιστάμενον περὶ πάντων ἀνθρώπων *eum esse oportet: Quamvis enim contemplari nondum sit medicari, & juxta illud Aristotelicum* πολυθρύλλητον, *incipiat Medicus ubi desinit Physicus: non tamen excusatur hoc ipso, quin ut* τὰ δέοντα *præstare possit, totius naturæ latitudinem scrutari; & ut de artis suæ fundamento certior sit, ab ovo contemplationem hanc auspicari necesse habeat.*

4. *Contineri aliquod in natura, etiam præter* τὸν νοῦν *(qui θύραθεν in hanc Mundi scenam introductus est) nec non ultimas rerum formas (quibus cùm exutæ sunt, potissimùm fiunt* βοηθήματα *Medica, & nobis vivere incipiunt)* θειότερον, *ut vocat Aristot. 2. G.A. 3.* τῶν καλουμένων στοιχείων *principium: ut alterius generis proprietates (* μεγάλας δυνάμεις, *&* τὸ θεῖον ἐν τῇσι νούσοισι, *ideoq; per consequens etiam in remediis, Hippocr.* ἰδιότητες τῆς ὅλης οὐσίας *Gal.) ubiq; elucescentes, id manifeste evincunt: ita ab omnibus rectè philosophantibus admissum fuit. Ab elementis igitur, utpote rerum materia & matricibus, eorumq; qualitatibus & superbis* ἰδιοσυγκρίσεσι, *qui nihilo secius formas, virtutes, actiones, affectiones, adeoq; valetudinem & medendi leges omninò derivare nituntur, illi faciunt næ intelligendo, ut nihil intelligant: vel enim (quod Gal. de quibusdam ait) rationes ineptas & ridiculas afferunt; vel ea negare coguntur, quæ experientiâ certâ confirmata sunt.*

5. *Etsi autem* δυνάμεις *illas* ἀῤῥήτους *esse agnoscimus, nec aliter quàm quòd sint nobis occultæ formarum scientiæ, manifestas reddere possumus: non tamen ad salutare ignorantiæ asylum, ceu terminum*

cogni-

cognitionis humanæ, demum compelli nos ægrè ferimus: Istarum enim formarum οἰκείαν ὕλην perspicere, remotisq́; velamentis & impedimentis (quod Chymiæ est) seorsim exhibere, id in hac mortalitate aliquatenus concessum ad investigandos Naturæ thesauros: tum verò apprimè necessarium ad benè medendum, ut curatio fiat ante omnia appositè, deinde quoq; ἀσφαλῶς, ταχέως καὶ ἡδέως: sine illo enim ne curatio quidem erit, sine his autem in carnificinam quandam degenerabit.

6. *Interim qualitates quatuor Elementares, quæq; inde proficiscuntur aliæ, non tam rejiciuntur (ut id quidam facere videntur) quàm generalia Naturæ instrumenta & Symptomata statuuntur. Non tantùm enim agunt quod sunt, & quod possunt: sed deinceps etiam occasiones præbent ad facultates alterius generis exuscitandas & promovendas vel inhibendas. Testis Chymia, in qua tam admirandorum τεχνουργημάτων sunt ἐργοδιῶκται; Testis illa Ægyptiis usitata pullorum gallinaceorum in fornacibus exclusio, &c.*

7. *Pinguedinis in Animalibus concretio sitné à calore, an à frigore acerrimè disputatum est: Frigus apud plerosq́; palmam obtinet, & ut defendatur, illam quam ad Cordis, visceris calidissimi, basin videmus, vel pinguedinem esse negant; vel ut And. Laur. sine causa efficiente congelasse disertè fatentur. Verùm ad hujusmodi absurda devolvi non cogimur, si quod res est, à neutro illorum primariò, sed à salina proprietate coagulatrice dependere eam dicamus.*

8. *Admiranda præ oculis est Aurium architectura, maximè si tria illa ossicula spectes, quæ incudi, malleolo & stapedi non ineptè comparata sunt: vix paucioribus ob id, longè tamen obscurioribus affectibus obnoxiæ sunt; quibus variis modis auditus imminuitur, depravatur aut tollitur. Nervorum autem quinti paris seu ἀκουστικῶν cum surculi quidam illis nervis, qui loquelæ organis, hoc est, laryngi linguæ dentibusq́; dicati sunt, implicentur, insignis utrinq; oritur Sympathia: sic enim stridulus sonus αἱμωδίαν, auriumq́; scalptura profundior tussiculam excitat; vicissim sonus dentibus exceptus auditui traditur, &c.*

Inde

Inde etiam fit, qui ex eorundem quinti paris nervorum ante divaricationem vitio surdi nascuntur, ut iidem quoq; planè muti sint: eo igitur in casu oleum & operam perdet, si quis, ut ille apud Vallesium, surdos loqui docere conetur.

9. *Sanitas consistit in singularum partium tum* εὐκρασία *principiorum & affectionum, quâ ut similares, vel potiùs ex Fernelii l. 2. Physiol. c. 1. placito, ut informes considerantur: tum naturali* διαπλάσει, *quâ ut organicæ: illam tribuit Generatricis vis* ἀλλοιωτικὴ, *estq; potissimùm actionum author; hanc* διαπλαστικὴ, *& ea tantummodò usum præbet. Morbi itaq; sunt earundem* δυσκρασία, *& quodvis structuræ in conformatione, magnitudine, numero, situ, connexione, quamq; huc refert Argenterius (aliâs enim eo respectu, quòd partibus similaribus & dissimilaribus, factâ in substantiæ genere oppositione, æquè conveniat, communis statuitur) continuitate, vitium. Dyscrasia non primarum qualitatum limitibus circumscribenda, sed etiam in secundariis, & præcipuè in occultis spectanda est. Illarum immoderationem temperamenti, istarum materiæ, harum totius substantiæ morbos appellant.*

10. *Rectè Hipp. ex humoribus nos & valere & ægrotare dixit: valemus quidem cùm legitimè sese habent; ægrotamus autem cum p. n. minuuntur, augentur, in alienum locum transferuntur, alterantur, & variè corrumpuntur, adeò, ut sæpè in venena degenerent, non tantùm extrinsecus eorum recepto seminio, & quasi fermento; verùm etiam, quod Gal. 6. loc. aff. ex effectis probat,* ἀλλοφυῶς.

11. *Cerebrum spirituum exhaustorum defectu, vaporumq; benigniorum, mirâ Naturæ providentiâ eo sublimatorum, præsentiâ perceptis, composito ad quietem animali, & cessantibus vigiliæ irritamentis, palantes in peripheria caloris spirituumq; reliquias in auxilium retrahit ad illorum restaurationem, horum autem* πεπασμὸν *& discussionem: quibus dum Natura studet exercitium motus sensuumq; exteriorum feriari, & somnum placidè suboriri consequens est. Nulla hic in meatibus vel arteriarum à corde ad cerebrum, vel inde nervo-*

 rum

rum (alioquin tam angustis, ut non Anatomicorum specillo, sed rationis acumine rimandi sint) ad sensoria obstructio; nec enim citra Apoplexiam aut Paralysin ea esse posset: Nulla cerebri refrigeratio, multo minus spirituum in eo congelatio; cùm contra dormienti internæ partes calidiores sint, ut est 6. Epid. 4. Dictæ causæ cùm p. n. se habuerint, pro somno soporosi affectus oriuntur. Similes fiunt caloris nativi concentrationes in reliquis ventribus; Naturales quidem post pastum ad ventriculum, post conceptionem ad uterum, &c. Præternaturales autem in Syncope, accessionibus febrilibus, lipyria, &c. unde extremorum frigiditas.

12. *Non vivunt medicè, qui certo Diætæ generi ita se astringunt, ut ne latum quidem unguem inde recedendum sibi putent: Vt enim fieri nequit, quin subinde æquabilitas illa turbetur; ita tantò majore id fit cum valetudinis offensione, quanto quò quid magis insuetum est, magis etiam offendere solet. Vnde non soli naturæ bonitati asscribendum, cur paulò intemperantiùs viventes firmiore sæpè utantur valetudine quibusvis rigidis diætæ sectatoribus? Rectè igitur monet Hipp. 2. aph. 50. καὶ εἰς τὰ ἀσυνήθεα μεταβάλλειν oportere. Modum ostendit Celsus lib. 1. c. 1.*

13. Ὑγιεινότατον *est severum Dei præceptum, quo sanguinis, & adhuc calentium brutorum esum prohibet. Cùm enim in occisis recens animalibus, nec non in lacte, multum de anima, ut S. S. loquitur, hoc est, spiritu, qui proximum animæ instrumentum, ejusq; cum corpore quasi gluten quoddam est, aliquandiu residuum sit, id corpori ingestum, nostroq; se associans spiritui, magnam vim habet nos in easdem bestias quo ad mores (ii enim corporis dispositionem sequuntur, ut monstrat Gal. prop. lib.) transformandi. Exempla ejusmodi* μεταμορφώσεων *evidentissimarum sunt in historiis; nec ferina barbarorum crudivororum immanitas testatur aliud. Vndè* εὔδοξον *est oppositum* παραδόξῳ *Ferneliano (qui 2. de abd. r. caus. c. 17. utilissimum è vivis animantibus alimentum esse putat, si illorum materiam vincere & atterere valeremus)*

mus) syncerae humanitatis amatori carnes non nisi aliquandiu praemaceratas (nondum tamen semiputridas) probeq́; coctas esitandas esse: Nec infantes ob tenellam aetatem εὐπαθεῖς *brutorum lacte ali debere, ne huc illud Poëtae quadret:* Admorunt ubera Tygres.

14. Sitis est appetitus, quo ventriculus refrigerari & humectari desiderat. Cui aqua potissimùm satisfacit: Potus igitur quâ talis, propriè alimentum non est, sed ut ex Hipp. Galenus asserit, ὄχημα τροφῆς, *seu menstruum, quo benignae alimentorum tinctura extrahantur, & in corporis habitum deferantur, indeq́; postea superflua salia (testante id manifestâ urinae sudorisq́; salsugine) eluantur: Idcircò non absolutè necessarius, ut etiam subinde observati fuerint planè* ἄποτοι, *quales illi apud Aristot. Athen. &c. ob frigidam nempe & humidam corporis constitutionem, talemq́; diaetae consuetudinem: praesertim cùm per cutis spiracula* ἀδήλῳ διαπνοῇ *attracti vapores (carnes enim & ex ventre & extrinsecus attrahunt, inquit Hippocr. 6. Epidem. 6.) vicem potus supplere possint, ut in vaccis Alpinis ob id, teste Parac. 1. Archid. totâ aestate non bibentibus. Evidens haec spirituum sitientium attractio est in diabete laborantibus, qui brevi tempore plus urinae profundunt non tantùm quàm biberint, sed etiam quam tota corporis sui molem adaequent.*

15. Affectus animi quid possint in sanitate tum labefactandâ, tum restituendâ notum est. Certè fiducia aegri de Medico aut remediis saepè plus valet, quàm ipse Medicus cum omnibus suis instrumentis. Ut ut igitur territandus interdum sit aeger, quo obedientiorem se praebeat; in summis tamen periculis spes optima ipsi semper facienda est: eaq́; ut firmior sit, superstitiones, dolumq́; bonum aliquando committere Medici non reformidant; Quanquam plurima suppeditet experientia, quorum rationes cùm tegat sacro involucro natura, fit ut immeritò superstitiosa aut Magica multis videantur.

16. Materiam auxiliorum Medicorum, ut non parvo accessorio subsequentia secula auctiorem nobis reddiderunt, ita vicissim

multa veteribus usitatissima cognitioni nostræ surripuerunt: sive quòd interierint, aut aliorsum migraverint: sive quod negligentiùs à veteribus designata (unde imprudentior hac in parte fuit Gal. quod 6. de simpl. facult. tantoperè accuset eos, qui herbarum formas scriptis docere conati fuerunt) alterius nominis potestati subjecta jam nobis sint: sive quod transplantationum interventu novis signaturis sese ostendant. Certè decantatas veterum Fabas hodie non novimus: nostras tamen utrasq; (Majores & Minores) ejusdem planè cum illis esse generis, præter multa indicia alia, quæ utrobiq;, exceptâ exilitate & rotunditate antiquarum, satis conveniunt, vel hilum sufficienter demonstrat. Verùm non tam quomodo nostratia cum antiquis concordemus, quàm ut eorundem virtutes domesticâ experientiâ perspectas nobis faciamus, sollicitos esse oportet.

17. *Frustraneas non esse rerum, quas vocamus signaturas externas, ut nihil in Natura, certum est. Quis autem finis sit alius, quàm ut hisce characteribus nobiscum loquantur, & indolem suam ostendant? Plurimorum sanè exemplorum inductio fidem facit, in quibus, ut Plinius inquit, de Lithospermo, statim vides ad quam medicinam nata sint. Quamvis autem hanc in Naturæ libro eruditionem (quâ bruta adhuc multum valent) abusu ejusdem Protoplastorum invetiti pomi ad comedendum suavitate dijudicata, amiserimus, ut inde latentes rerum virtutes sufficienter arguere amplius nequeamus: Sunt tamen adhuc sæpè occasiones ad easdem investigandas, jamq; exploratarum* μνημόσυνα *accommodatissima: ideoq; non negligendæ.*

18. *Sumto purgante statim quidem si* κακοστόμαχον *est, ut quod de eo in transitu adhæsit, abluatur, & in fundum ventriculi deducatur; vel etiam si solidioris est formæ, ut dissolvatur, & faciliùs actuetur: procedente verò purgatione, si ea laboriosior est, ut facilitetur, aut si nimia, ut sistatur: Eâdem autem jam ferè absolutâ, ut reliquiæ Pharmaci humorumq; attractorũ abstergantur & eluantur; sorbenda sunt jusculа aliqua, quæ ne salita sint, pleriq; cum vulgo religiosè cavent: verùm*

cùm

cùm sal incidat, detergendo purget, & astringendo roboret, eadem mediocriter ut saliantur κατὰ πάντας σκόπους convenientissimum est.

19. *Vsus Enematum, quem multi refugiunt, in plerisq; affectibus utilis, sæpè etiam necessarius est, non solùm ad vacuandum, revellendum, multipliciter alterandum, totius aut privatim intestinorum gratiâ (quot enim in his sunt vitia, tot clysterum genera) sed etiam ad nutriendum, si per os alimentum ingeri nequeat. Creber tamen eorum usus vitandus, ita enim pigra reddit intestina, ut posteà spontè nolint officium facere.*

20. *Quæsitum fuit, si utroq; præsidio opus sit, phlebotomiâ & purgatione, ut in plethora cacochymica, utrum alteri præmitti debeat? ℞. Phlebotomiam; sic enim corpus εὐεῤῥώτερον, & natura aliqua oneris parte levata vegetior redditur ad purgationem feliciùs peragendam. Interim tamen vena secari non debet, nisi coctione in prima corporis regione peractâ, alviq; impuritatibus leni Pharmaco clystere vel glande evacuatis; ne crudæ materiæ intra venas & hepar rapiantur, atq; obstructiones pariant, vel massam sanguinis vitient. Quò autem Plethora impurior est, tantò parciùs mittendus sanguis, & largiùs purgandum.*

21. *Vrinæ intus in corpore latitantium ἀποχωρήματα vehunt, & impressiones admittunt. Ipsorum itaq; sunt nuncii: primò in affectibus renum & vesicæ: deinde in iis qui sunt venosi generis: tertiò in omnibus etiam aliis observandi. Nec verò simpliciter intuenti omnia referunt, unde alii alios dijudicandi modos accersunt. Vbi plurimum valet occultorum manifestatrix Chymia. Idonea etiam injecta expeditè multa ostendunt, v.g. Saturni Calx si innatet Lepram: Cancri lapillus si livescat θανάσιμον τι, &c. Vtut examinatæ sint nunquam omnia (ut perniciosus est vulgi error) quæ ad τέκμαρσιν necessaria ostendent, præsertim citra aliarum in ægro circumstantiarum tanquam διδομένων considerationem: absq; hoc enim adminiculo maximè fallaces sunt. Temerè igi-*

rè igitur agunt, qui vel ex nuda earum inspectione certi quid vaticinari, indeq; medicationem instituere audent.

22. *Natura sui ipsius conservatrix, omniumq; morborum curatrix est: nec enim homo ægrotat, nisi ea morbificarum causarum impressiones admiserit: nec moritur, nisi oppressa penitusq; victa fuerit: nec sanatur, nisi ipsa sanaverit: Medicus enim tantùm minister est; ipsâ autem repugnante irrita sunt omnia. Vnde potissimam indicationem ceu fundamentum reliquæ medicationis rectè statuit Galen. Vitalem, ut robur naturæ τῆς ὑγείας αὐξητικοῖς augeatur & conservetur. Virtus igitur si exoluta labascat, totam curam ad se trahit, omnibusq; valentioribus præsidiis Pharmaceuticis & Chirurgicis solidè contraindicat: Si enim tantùm propter oppressionem debilis sit, evacuatâ quâ obruebatur causa per V. S. aut quamvis purgationem ceu Sol discussis nubibus rursus elucescit.*

23. *Quinimò hinc omnium seculorum sapientibus, non vana spes affulsit universalis cujusdam auxilii, quod debitè præparatum & exhibitum Naturam ita corroborandi potestate sit præditum, ut quod ipsa sponte sua conatur, quoad possibile præstare possit: quo qui destituimur, paulò alia medendi methodo procedimus, & quod in confortando tanquam primo scopo inferiores sumus, id Indicationum multiplicitate, specialia affectibus arma opponendo, supplere conamur; ubi in eas sæpè angustias redigimur, ut etiam venena venenis, morbos morbis, pellere necesse habeamus.*

24. *Vnde in affectibus, in quibus plurimum distracta, & in oppugnando hoste occupata est natura, rectissimè concluditur: Alimentis ipsam non esse avocandam, & ulterius fatigandam: ex quo tamen porrò non consequitur illud: Alimenta ægrotis esse subtrahenda; sed hoc: Eadem in externo ventriculo ita præparari debere, ut postea corpori ingesta, & insigniter instaurent, & interim interno spagyro in assimilando nullum facessant negocium: quod fiet, si compages ipsorum recludatur, parsq; propriè alimentaria, quæ vel in integro bove vix aliquot est*

librarum,

librarum, ex corticibus & fæcibus, quibus involuta eſt, eruatur: ut ita, quod Gal. 7. M. M. 6. optabat, alimento quaſi ſeipſum coquente, digerente & aſſimilante quàm maximè nutrire liceat. Alimenta enim in morbis exhibita, non ſui ſed adjunctarum impuritatum ratione ſunt, ut inquit Hipp. de vet. med. τῇ μὲν νόσῳ τροφή τε καὶ αὔξησις, τῷ δὲ σώματι φθίσις τε καὶ ἀῤῥωσίη. *Qualia inter cætera ſunt Q. E. Auri, Vini, Mellis; Panis in ſanguinei coloris ſuccum ſpagyricis digeſtionibus deductus, &c. quæ quantitate minima, poteſtate ſunt maxima.*

25. Legitimâ methodo quod in generando affectu primum fuit, primò quoq; removeatur oportet, cauſa nempe ante effectum: Dyſenteria itaq;, cùm ex Cacochymia oriatur, ut exulcerans materia educatur, à leni purgatione & abſterſione ejuſdem auſpicanda fuerit curatio, contra quàm Empiricis mos eſt. Id niſi fiat intempeſtivè ſuppreſſo fluxu, malum incrudeſcere; vel ſi humor retrocedat, varii generis periculoſiſſimas μεταστάσεις *facere ſolet, ut id obſervavit Hipp. in Coacis.*

DISPUTATIO

CHYMICO-MEDICA

XIV.

DE HYDROPE:

INAUGURALIS

THOMÆ HOFFMANNI GLOGOVIENSIS SILESII.

THESIS I.

Conſenſum Medicorum cognitionis non aberrantis in morborum inveſtigatione & curatione, ſignum eſſe certiſſimum Galenus, & cum eo tota Medicorum cohors affirmat: Vnde diſſenſum è contrario ambiguitatem parere rectè concluditur. Quod cùm de Hydrope, affectu certè graviſſimo verè affirmetur, operæ pretium me facturum confido, ſi præſente hâc diſquiſitione affectus hujus nomen, eſſentiam, cauſas, ſigna,

gna, differentias atq; curationem paulò accuratiùs investigem atq; perpendam.

2. *Nomen ergò quod attinet, dicitur hic affectus Græcis* ὕδρωψ, ὑδρώπιας καὶ ὕδερος; *Latinis Aqua intercus, vel Aqua inter cutem. Quod nomen desumptum est à symptomate, videlicet aquoso humore, qui inter cutem colligitur. Vbi notandum, quòd hæc vox dupliciter accipiatur:* 1. *Generaliter, tam de universali seu publico Hydrope, quando scilicet totum corpus, aut saltem infimus venter à pituitoso aut aquoso humore, vel etiam flatu in tumorem attollitur: quàm particulari, quando aquosus humor in parte saltem corporis colligitur, ut in utero, cerebro, &c. unde cum adjectione partis affectæ dicitur Hydrops uteri, vel cerebri, &c.* 2. *Propriè & sine adjectione pro Hydrope universali seu publico tantum. Nos misso particulari Hydrope, de propriâ saltem ejus specie, videlicet de universali in præsentia agemus.*

3. *Essentia in definitione consistit, quæ cùm constare debeat genere & differentiâ specificâ, hæc verò partem affectam vel subjectum, causam proximam & continentem, signaq; Pathognomica continere debeat, singula inquiremus, facto initio à genere.*

4. *Genus quod spectat, significationem hîc lædi omnibus sensu manifestissimum est. Hujus enim vitio succus ille, quo partes alendæ sunt, in materiam nutritioni ineptam, ut sanguinem pituitosum, aut serosum humorem, aut flatus degenerat. Symptoma ergo statuimus in genere actionis læsæ, & quidem sanguificationis.*

5. *Causam proxmam in Hydrope statuimus intemperiem frigidam: quando scilicet Hepar adeò est refrigeratum, ut cibum in sanguinem transmutare nequeat. Negamus tamen minimè, calidam intemperiem causam esse; sed hoc saltem impugnamus, Hydropem immediatè sequi causam calidam; sed mediatè volumus, interventu scilicet frigidæ intemperiei. Nec absurdum hoc cuiquam videatur: Siquidem calor præter naturam validior, hepatis calorem nativum, utpotè imbecilliorem dissipando, humidumq; hepatis nativum ceu pabulum*

caloris

caloris nativi absumendo (quo absumpto, calor naturalis necessariò extinguitur) perdit atq; consumit: Vnde respectu hujus caloris meritò habetur pro intemperie frigida.

6. *Atq; ab hâc causâ nihil ferè dissentire Hermetici videntur, qui quamvis causam hydropis, (tumorem saltem abdominis pro vero hydrope accipientes) statuant Sal resolutum, quod tumorem in abdomine efficit; resolutionis tamen hujus causas afferunt spiritus Mechanicos hepatis, tincturis tartareis aluminosis & stipticis inquinatos & debilitatos, ut sal superfluum à nutrimento separare nequeant: unde sal illud, vaporis specie per corporis partes divagans, tandem in aquam resolvitur: quæ causa cum imbecillitate hepatis planè una & eadem esse videtur.*

7. *Ne verò singularem causarum reliquarum tractationem instituamus, eas huc referre volumus. Inducitur intemperies illa frigida vel per se & primariò, quando scilicet proprio jecoris vitio sanguificatio læditur, sive id sit calidum, sive frigidum; ut sunt inflammatio, scirrhus, obstructio, tumor frigidus & calidus, febris antiqua aut acuta: vel secundariò, & per consensum, ut morbis ventriculi, vesiculæ fellis, mesenterii, intestinorum gracilium, inprimis verò jejuni, &c.*

8. *Hæ partes omnes jecur refrigerant, vel quatenus per venas usq; ad cavam communicatur frigiditas ipsi jecoris carni, vel quatenus jecoris calorem suffocant, non expurgantes ipsum: vel quatenus ob immodicum fluxum calorem ejus dissipant.*

9. *Reliquæ verò causæ externæ vel* προκαταρκτικαὶ *à Medicis dictæ sunt sex res non naturales, ex quarum numero primò est aeris constitutio intensè calida vel frigida, secundò talium ciborum usus frequens & copiosus, inprimis verò aquæ frigidæ potus corpore adhuc post exercitia æstuante. Tertiò, evacuationes aut retentiones excrementorum præter naturæ consuetum. Quartò, motus & exercitia solita intermissa. Quintò, somnius diurnus, præcipuè post prandium assumptum, &c.*

10. De parte affectâ ambigunt Medici Vt enim reliquos taceam, duæ sunt eorum præcipuæ classes, quæ in duas diversas sententias abire videntur. Quidam enim hepar pro legitimo subjecto habent, ducti hoc argumento, quòd in nullâ aliâ parte, quàm in hepate sanguificatio perficiatur, unde & eandem læsam hepati tribuunt. Alii verò non solum hepar, verùm etiam lienem subjectum hydropis statuunt, atq; sanguificationem ipsi simul asscribunt, hâc quidem ratione moti, quòd ramus splenicus à trunco venæ portæ inseratur lieni, antequam ad jecur perveniat, perq; substantiam illius propagines suas, capillares scilicet venulas disseminet: per quem ramum etiam chylum lien excipit, antequam ad hepar defertur: unde absurdum statuunt, habere lienem pro organo recolligente & recipiente excrementum melancholicum: Sed verum sanguificationis instrumentum esse volunt, præsertim cùm ramus splenicus in multos ramulos per substantiam lienis dispergatur, simulq; frequentissimas arterias accipiat, quas putant in eum finem insertas, ut calor ad elaborandum humorem nullibi deficiat.

11. Sed si hæ duæ sententiæ studiosè considerentur, facile inter se reconciliari posse videntur. Quod enim negant posteriori sententiæ addicti, lienem excrementi melancholici receptaculum esse, locum tantùm habet, si de humore ab hepate per venas lieni communicato, intelligatur. Qui modus colligendi excrementum melancholicum in lienem fictitius planè est. Sed non totum lienis receptum usum hoc impugnant: Siquidem negare non possunt, lienem sanguini defecando inservire, & aliquid ignobilioris & feculenti ex chylo ad se trahere, quod ad sanguinem puriorem & perfectiorem generandum ineptum futurum erat. Rectè quoq; posteriores statuunt, quandam sanguinem conficiendi vim, sed sui generis, lieni esse concessam, qui sanguis lieni, atq; aliis ignobilioribus partibus in infimo ventre alendis non planè ineptus videtur.

12. Concludimus ergò, & hepar primarium & immediatum subjectum hydropis statuimus; lienem verò mediatũ & secundarium.

Neq;

Neq; denegamus lieni omnem sanguificandi vim, sed talem, quæ pro omnibus partibus alendis universi corporis sufficiat, qualis quidem in jecore deprehenditur. Simulq; crassioris succi sanguinis lienem receptaculum esse apparet, quia alliciendo ad se crassiorem chyli partem ad sanguinem generandum minùs aptam, sanguificationi universali inservit; quâ ablatâ, ex reliquâ parte puriore purior & nobilior in hepate sanguis generatur.

13. *Signa pathognomonica sunt, primò tumor & inflatio totius corporis, aut saltem abdominis, ob malorum succorum collectionem & abundantiam: secundò, sitis propter defectum humidi alimentarii, & ascensum salsorum halituum, os ventriculi vellicantium: tertiò, fœdus faciei, & reliqui corporis color, ad citrinum vel plumbeum inclinans, ob cachexiam hydropi conjunctam: quartò, sudor nullus aut paucus ob calorem nativum diminutum, & valdè debilitatum: quintò, spirandi difficultas, propter motum thoracis impeditum ex collecto in thorace seroso humore, vel etiam ob compressionem diaphragmatis, à flatibus abdomen distendentibus, aut humoribus aquosis abdomen implentibus; vel propter viscera inferioris ventris obstructa, pondere suo diaphragma gravantia & detrahentia.*

14. *Ex modo positis, haud difficulter talis formari potest hydropis definitio. Hydrops est sanguificatio læsa, cum tumore totius corporis, aut saltem abdominis, spirandiq; difficultate, nec non fœdo totius corporis colore, sine sudore, ab intemperie frigida hepatis proveniens.*

15. *Differentiæ hydropis vulgò statuuntur tres: Ascites, Anasarca, & Tympanites.*

16. *Ascites ἀπὸ τοῦ ἀσκοῦ, id est, utre, est quando venter inferior, ut & aliquando scrotum, fæmora ac pedes intumescunt, à copia humoris aquosi inter peritonæum & omentum ac intestina, rarissimè verò inter peritonæum & externam abdominis partem velut in utre quodam sensim collecti.*

17. *Retinetur autem hæc materia in corpore vel ratione facul-*

tatis, vel ratione materiæ, vel ratione viarum. Ratione facultatis vel segregantis & expultricis, vel attractricis. Ratione expultricis, quando hepar ob frigidam intemperiem imbecillius factum expellere serosam materiam non potest. Ratione verò attractricis, quando renes imbecilles & frigidi non attrahunt hunc serosum humorem. Materia verò peccat vel quantitate, vel qualitate. Quantitate quidem, quando in magna copia detinetur. Qualitate verò, quando materia non digesta & concocta satis est à jecore. Ratione autem viarum retinetur, quando meatus ad renes pertingentes angusti sunt redditi à materia copiosa, crassa & viscida, vel etiam à calculis.

18. In cavitate autem abdominis colligitur primò ob imbecillitatem: Partes enim debiles ad recipiendam materiam maximè sunt idoneæ; hæc verò pars laxa, & propterea imbecillis est: secundò ob situm, quia jecur ei propinquum est, cùm in inferiori ventre contineatur: tertiò ob minus detrimentum, quia in hac cavitate collecta aqua diu detineri potest, citrà ægri interitum, & citrà dolorem.

19. De via verò per quam materia hæc in abdomen fertur, & modò colligendi gravis & difficilis inter Medicos est controversia. Putat enim Fernelius l.6. de partium morbis, c.8. hunc affluxum provenire, cùm viscerum, præcipuè verò jecoris substantia præ siccitate humorisq; penuria exarefacta rimis quibusdam, perinde atq; terra nimis exsiccata, dehiscit ac finditur, eorumq; membrana ambiens diffringitur, ut non amplius tenue serum continere possit, sed id renum more elabi, atq; sensim quasi ex fissa olla stillare in vacuum abdominis spacium sinit: suamq; opinionem confirmare & probare conatur aphorismo Hipp. 55. sect. 7. Quibus jecur aqua plenum eruperit in omentum, iis venter aqua expletur, atq; moriuntur.

20. Sed si paulò accuratiùs hæc opinio cum Horatio Augenio examinetur, stare vix potest. Primò, quia jecur in vivente corpore ad tantam siccitatem pervenire nullo modo potest. In quovis enim corpore vivo jecur & cor humiditatem continet. Hoc quidem ob vehementiam

cali-

caliditatis,& summam attrahendi vim: illud verò, quia alimentum, qualecunq; id sit, suppeditare toti corpori debet. Unde etiam in animalibus tabe consumptis, in hisce duobus visceribus semper aliqua continetur humiditas, ut Gal.l.de marcore testatur: & ego ipse in illustrissima Iulia, praeunte Clarissimo viro, Dn. Iohanne Sigfrido, Anatomico celeberrimo, in cadavere humano tabe planè consumpto, & formam sceleti quasi referente, anno 1609. observavi. Ergò terrae modo hepar dehiscere non potest.

21. *Sed permittamus hoc Fernelio: unde quaeso generabitur & communicabitur abdomini illa aquae copia, quam videmus cumulari in abdominis capacitate? Certè non ex jecinore fisso. Nam quod quid non habet, alteri communicare non potest: Hepar verò nullam humiditatem habet, quia omninò Fernelius vult ipsum esse arefactum: Quotidie verò illa humiditas generatur: frustrà ergò illae hepatis fissurae finguntur.*

22. *Addit praeterea Fernelius, serum saltem ex illis rimis quasi ex venis effluere, remanente sanguine: At hâc ratione sanguis potiùs unà efflueret. Causae enim ob quas sanguis effluit est ruptura aut fissura, item apertio osculorum, & exesio tunicarum: imò & aliquando sudoris instar transcolatur. Quid verò quaeso impediet ex fissura & ruptura emittere sanguinem? Ubi id aliquando observatum fuit retineri sanguinem in venâ ruptâ, & solos educi ichores? si sanguis foras educitur transcolatus ex tunicis, cur non etiam effluit ex ruptâ venâ?*

23. *Praeterea ipse Fernelius contradictionem committere videtur. Supponit enim maximam siccitatem adesse in jecinore, & tamen maximam simul adesse copiam humoris.*

24. *Aphorismus verò, quo stabilire suam opinionem conatur, nihil probat: Sed hic ejus genuinus sensus est, quibus scilicet jecur aquâ pro sanguine abundat, iis si eruperit jecur sic affectum membranulam ambientem, fit hydrops.*

25. *Missa igitur hâc viâ & modo colligendi aquam in abdo-*

 mine,

mine, ad alias veritati magis consentaneas vias ut confugiamus necesse est. Aqua ergò in ventrem demittitur vel per membranulam jecur ambientem, & quidem vel per resudationem, cum & ipse sanguis, crassiorem habens naturam sudoris instar ex tunicis venarum coletur: vel per ruptionem propter copiam feri distendentem: vel à flatuoso spiritu simul ei permisto, quem posteriorem modum in castaneis videre licet. Secundò vel per umbilicalia vasa rarefacta hæc materia influit. Tertiò vel omentū per ramum venæ portæ capacitati suæ se inserentem, hanc materiam excipit, indeq; in abdomen guttatim profluit.

26. Potest hæc materia etiam per cæcos hepatis angustissimosq; poros, aut alios visui invios, sed naturæ sagaci pervios ductus in abdomen guttatim influere: quas vias quamvis Fernelius negare conetur, fidem tamen huic rei facit, quod natura ferè omne, quicquid excoquit, non excolat per manifestos aliquot meatus, sed per invisibiles & occultos. Sic sanguis à venâ portæ ad cavam per jecoris substantiam, semen per testium molem media interstitia partiū transcolatur. Sic & ipsum pus in purulentis inter thoracem & pulmonem collectum per tussim rejici videmus.

27. Anasarca est, quando totum corpus ab humore pituitoso, qui partibus assimilari nequit, in tumorem conspicuum attollitur.

28. Causa verò tumoris, utpote pituitosus, crudus ac inconcoctus succus à labefactato hepatis calore producitur, qui partibus ut agglutinetur planè est ineptus, sed per venas majores ab hepate in venas minores carnibus & cuti nutriendi gratia affixas, veluti per nauseam & fastidium quoddam protruditur. Hic itaq; succus cùm ad nutritionem planè sit ineptus, atq; magis expulsus quàm attractus partes illas obsideat, vividam illarū substantiam opprimit. Hinc spiritus qui carnium intervalla suaviter turgida efficiebat, abigitur, & ejus loco succedit ichor pituitosus, à cujus glutinoso mucore illa intervalla intersese coeunt & confunduntur. Inde tumida cutis, quæ ad digiti compressionem ilicò subsidet, & mox rursum resurgit.

29. Tympanites, qui & Hydrops siccus Hipp. 4. cap. 11. dicitur, est abdominis ex plurimis flatibus in capacitate ejus conclusis, extuberantia.

30. Causa hujus tumoris flatus scilicet à frigida ventriculi & vicinarum ejus partium intemperie, pauloq; calidiori jecinore generatur. Hoc enim cùm excipiat chylum frigidiorem, multos vapores excitat & elevat, propter caloris verò innati impotentiam eos discutere non valet: necessariò ergò per venas mesaraicas, ob sui tenuitatem & venarum raritatem in dictas partes permeat, & illum tumorem efficit. Causa enim flatus est calor imbecillis, & materia humida. Intemperiei verò frigidæ ventriculi causæ sunt eædem ac hepatis.

31. De hac tamen posteriori specie notandum, quòd ferè nunquam pura detur, sed plerunq; cum ascite complicetur, ob aquosam illam materiam conjunctam, ex qua flatus generantur.

32. Differunt itaq; hæ 3. species: Primò, causa efficiente ratione majoris & minoris, in ascite enim maxima, in anasarca minor, in tympanite verò minima est frigiditas. Secundò materia. Ascites enim aquam, anasarca pituitam, tympania verò flatus continet. Tertio loco, quo materia hæc colligitur: Ascites enim ventrem, & distantes partes, faciem scilicet & crura, tympanias eundem ventrem inferiorem, & vicinas partes, scilicet ventriculum & intestina, anasarca verò partes carnosas, & totum corporis habitum occupat. Quartò concausa; in ascite enim renum vitium, quo sanguis non probè expurgatur, in tympania ventris uti & intestinorum imbecillitas; in anasarca verò carnosi generis imbecillitas requiritur.

33. Signa hydropis sunt duplicia, diagnostica & prognostica. Diagnostica sunt vel omni hydropi communia, qualia sunt illa thesi 13. enumerata: alia cuilibet speciei propria.

34. Ascitis signa propria sunt 1. abdominis principiò, hinc pedum & scroti tumor, superioribus partibus flaccescentibus, atq; contabescentibus, unde nō immeritò fisco Regio adsimilatur, qui quantum increscit,

crescit, tantum res privatorum decrescere solent. ²· *tumor latus supino ægro, & per universam regionem abdominis extensus: erecto verò ad os pubis prolabens.* ³· *Ægro circumvoluto fluctuantis ac murmurantis aquæ sonitus in abdomine.* ⁴· *Vrina pauca, rubicunda, & ferè crassa.* ⁵· *Sitis cæteris longè impescibilior, & quæ potu crescit, & intenditur magis, de qua propriè & verè illud prolatū videtur: quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* ⁶· *Pulsus parvus, creber, subdurus, tensionis cujusdam particeps.* ⁷· *tussis.*

35. *Anasarcam demonstrant* ¹· *tumor universalis, ubivis digitorum impressorum vestigia retinens.* ²· *Corpus frigidum, molle, laxum, pallidum seu albicans, mortuoq; simile.* ³· *Fætor anhelitus.* ⁴· *Excretiones albæ, nonnunquam & sanguinolentæ.* ⁵· *Vrina alba, tenues & omninò crudæ.* ⁶· *Pulsus undosus, latior, mollis & languidus.*

36. *Tympanites cognoscitur* ¹· *ex tumore ventris vel abdominis minori quàm in ascite, qui percussus sine fluctuationibus tympani sonum edit.* ²· *Ex umbilici prominentia.* ³· *Ex ventris levitate, qui quantumvis tumidus existat, nullum aut quàm minimum ponderis sensum præbet.* ⁴· *Ex ructibus, quibus emissis nullum levamen sentitur.* ⁵· *Ex dolore ventriculi & intestinorum, præcipuè cæci & coli intestini circa umbilicum.* ⁶· *Ex pulsu majori, crebriori ac subduro, cum quadam tensione.* ⁷· *Ex urina ruffa & intensa.*

37. *Cùm verò ascites cum tympania complicatur, venter pulsandus, & valido pressu tangendus, ægerq; in latera est volutandus. Sic namq; strepitus nobis spiritum, fluctuatio verò repletionem aquosam annunciabit.*

38. *Prognostica quod spectat de illis hoc notandum; primò hydropem fientem & incipientem curatu non admodum difficilem existere; factum verò & absolutum difficilimum.*

39. *Secundò; Omnis hydrops periculo est conjunctus, periculosior tamen ille est, qui alium morbum morbi ratione sequitur.*

40. Ter-

40. Tertiò; cùm hydrops sequatur morbum vel acutum, vel chronicum, sciendum, illum maximè esse lethalem, teste Hipp. in coacis prædictionibus; hunc verò magis periculo carere.

41. Quartò; Quantum ad species attinet, nos hydropem in suâ naturâ, & sine accidentibus considerantes tympanitem omnium periculosissimam statuimus; proximum verò locum ascites habet, nisi m:o horum acutorum sit progenies, hæc etenim desperata; ut & illa quæ obstructionem, scirrhumvé epatis aut lienis insequitur, periculi plena est; mitissima verò species Anasarca est.

42. Quinto; servi atq; pauperes longè faciliùs curantur, quàm liberi, divites & primates.

42. Εὐσπλαγχνοι ferè tantùm restituuntur, in quibus etiam solis & paracentesis inita locum habere potest, in cæteris namq; inutilis est.

43. Septimò; Bonum portendit à principio alvi fluxus sine cruditate: nam aliter periculosus in ascite, in anasarca verò salubris. Item remediis cedere, & non reverti, copiosè mingere, sitim tolerare, & alimentum membra extenuata capessere, facilè respirare, alvum probè excrementa reddere, & leviter ægrum moveri.

44. Octavò: Pessimum est, laborantem difficulter respirare, urinamq; paucam & turbatam, ut & bicolorem, puta rubeam superius, & nigram inferius cum difficultate in ascite reddere.

45. Nonò: Sic ubi ventris fluxus hydropico supervenit, subitò sine alleviatione, ejusdemvé constipatio, aut urinæ retentio, similiter & tussis, fætor anhelitus, sputi, sudoris aut egestionis, quæ si loturæ carnis vel sanguini coagulato similis est, mors jam in propinquo est.

46. Ad curationem nunc accedendum, quæ quia morbo contraria remedia per indicationes inveniat; Indicationes verò indicantia & indicata comprehendant: primò indicantia & indicata generalia, postea cujuslibet speciei propria rimabimur.

47. Indicantia verò generalia desumuntur vel à causâ hujus

affectus, videlicet intemperie frigidâ, quæ sui ablationem indicat per contraria calefacientia & exsiccantia: quod fit tribus illis Medicinæ instrumentis: Diætâ nempe Pharmaciâ & Chirurgiâ: vel desumuntur à parte affecta, quæ indicat corroborationem.

48. *Diæta verò universalis, quæ omni speciei hydropis competit, debet esse calida & exsiccans, perficiturq; recta administratione sex rerum non naturalium: inter quas primò occurrit aër, qui vergat ad calidum & siccum, qui si talis naturâ haberi nequit, arte paretur pulegio, origan. calamenth. &c.*

49. *Cibus sit coctu facilis, generis durioris, satis coctus & paucus, propter innati caloris debilitatem. Laudatur verò panis clibanites, fermentatus, salitus, cum aniso, cumino, &c. Ex avibus prædicantur phasiani, perdices, turtures, gallinæ assatæ, &c. Ex quadrupedibus, caro caprina, cervina, leporum, caprearum, &c. Ex oleribus præfertur petroselinum, daucus, pulegium, pastinaca, &c. Ex fructibus, nuces, avellanæ tostæ, amygdalæ, &c. In genere verò cibi assati præferuntur elixis: omnibusq; cibis, quantum fieri potest, quædam redolentia adjiciantur, ut cinnamom. cariophyll. &c.*

50. *Potus in totum fugiendus. Testantur enim exempla, multos solâ abstinentiâ à potu absq; ullo medicamento sanitati fuisse restitutos. Prò potu tamen laudatur ablutio oris aceto aqua chalibeata diluto: aut, si modò causa antecedens non fuerit calida, concedi potest vinum tenue, album, potens & diureticum, &c. aut vinum absynthites, aut quod spicam nardi accipit. Omnis verò aqua, ut & omnia dulcia, ceu pestis, sunt fugienda.*

51. *Somnus sit moderatus, aut consueto paulò brevior: in lecto cubat aliquantisper duro, taliq; operculo tegatur. Mirũ enim est, quantum hujusmodi resiccent per somnum, ut constet, quosdam frumenti acervis obvolutos & absconditos, à somno surrexisse firmos ac resiccatos.*

52. *Motus apprimè confert, nisi spirandi difficultas eum ipsum prohibeat, præcipuè verò ambulatio, exercitia & frictiones. Hæ enim*

meatus

meatus rarefaciunt, humores extenuant ac discutiunt: unde ad excitandum calorem nativum, digestionis futuræ authorem, plurimùm conferunt.

53. *Sudor evocetur non tantùm exercitatione, sed & in arena calida: vel aquis aluminosis, sulphureis aut salsis ægri laventur, alvusq; sit lenis sua natura vel arte.*

54. *Medicamenta secundùm species hydropis sunt varianda. Cùm verò in ascite tria sese nobis offerant indicantia, videlicet, collectio aquosi humoris in inferiori ventre, unde tumor efficitur: 2. aquosæ & serosæ illius substantiæ deductio in ventrem: 3. causa hujus aquosi humoris, quæ est frigida hepatis intemperies, totidem quoq; erunt indicata. Tumor enim evacuationem & discussionem, materia fluxura in ventrem revulsionem & derivationem ad renes & vias urinæ, frigida verò intemperies alterationem & reductionem ad pristinum temperamentum indicat.*

55. *Quamvis verò in ordinaria & legitima Methodo curandi id, quod inventione fuit ultimum, in curatione sit primum, & hac ratione ab ipsa intemperie frigida auspicanda sit curatio, tamen in hoc affectu locum minimè habet: sed ab ipso tumore curatio incipienda est, non tamen quatenus ut symptoma in hoc affectu consideratur, sed quatenus rationem habet causæ foventis hanc intemperiem, propter abundantiam aquosi illius humoris, unde tumor efficitur.*

56. *Materia ergò hæc in abdomi contenta evacuanda, sine ulla præparatione; quia serosa est, quæ nec coqui potest, neq; etiam extenuatione indiget: ratione tamen crudorum humorum hepati impactorum, præparatio illorum purgationi præmittenda, & quidem syr. è corticibus citri, mell. rosat. oxymel. syr. de bizantiis, de duabus radicib. oxym. scyllitic. syr. de eupathor. absynth. permixtis aqq. appropriatis, ut sunt aq. fœnic. meliss. agrimon. &c.*

57. *Materia præparata evacuanda pulvere hieræ simpl. agar. trochisc. pill. de agar. rhabarb. cum pulv. hieræ vel Mezer. additis*

chebul. myrobalan. Laudatur quoq; elect. ex Iride rob. Sambucinum, succus cucumeris agrestis, soldanellæ, ut & decoctum soldanellæ. rad. ebuli, sambuci, diaturbith. cum rhabarb. hiera diacolocinthidos, &c. de quibus tamen notandum, quòd omnia hydrotica semper mutare ac variare conveniat, ne natura eis assuescat & contemnat, vel horreat ob frequentem usum.

58. *Secundæ indicationi, scilicet ut materia hæc serosa ad renes deducatur, satisfaciunt ex simplicibus radix dulcis, semen dauci, petroselin. calam. aromat. seseli, pulvis cancrorum fluviatilium siccatorum, præsertim lapillorum cum æquali portione asari, mel scyllitic. cantharides, syr. de 5. radicib. & parantur alia ex decoct. rad. asparag. calamenth. puleg. origan. addito cinamomo, item decocto graminis, eryngii, cum aniso, eupatorio, &c.*

59. *Tertiam verò indicationem perficiunt, quæ reliquias discutere, & partem affectam roborare possunt; ut sunt aq. theriacal. lign. guajac. fænic. balnea sulphurea, salsa, aluminosa.*

60. *In Anasarcâ indicatio sumitur vel à causâ, quæ est humor pituitosus cum aqua conjunctus, qui quia admodum viscosus & crudus est, atq; ad evacuationem ineptus, antea præparandus, alterandus & concoquendus est.*

61. *Præparatio verò illa perfici potest syr. de eupator. de absynth. de hyssop. acetos. simpl. de capill. Veneris: oxymel simpl. vel compos. cum aqq. appropriatis, ut aq. agrimon. absynthii, &c.*

62. *Præparatus verò humor evacuandus est per alvum agar. sem. carthami, hederæ, laureolæ, brassica marina, cortice sambuci, ebuli, &c. vel compositis, ut hiera picra, diaphænicon. benedicta laxativa, pill. de agar. trochisc. de eupatorio, absynthio, &c.*

63. *Vomitus quoq; plurimum in principio laudatur, qui excitari poterit, aq. tepida, radicib. asari, sale vitrioli, aqua benedicta ex croco metallorum dextrè facta, vel digitis etiam saltem immissis. Sed & sudores plurimùm in hac specie conferunt, qui moveri poterunt iisdem, suprà thesi 59. enumeratis.* 64. Se-

64. Secunda indicatio in anasarca sumitur à parte affecta, quæ medicamentis calefacientibus & exsiccantibus est corrigenda & corroboranda, quæ vel intrinsecus sumuntur, ut sunt troch. de rhabar. Diarrhodon. abbat. aromat. rosat. dialacc. diacurcum. Theriaca, Mithridatium, hepar lupi præparatum, &c. vel extrinsecus applicantur, ut ol. absynthii, nardinum, anethinum, &c.

65. In tympanite indicatio prima oritur à causa conjuncta, scilicet à flatibus, qui indicant sui ablationem. Quia verò eandem serosam materiam habent conjunctam, qualis in ascite erat, talibus etiam præparatur, ut syr. de hyssop. de bizantiis, oxymell. simplic. & composit. &c.

66. Præparata hæc materia iisdem etiam educitur, quibus ascitis materia expurgatur, ut pill. de agar. & rhabarb. potionibus etiam iisdem, nisi quòd his quædam carminativa, id est, flatus dissipantia sunt addenda, ut sunt anisum, cuminum, fœniculum, &c. Clysteres in hoc affectu plurimùm laudantur ex decoct. anisi, cumini, centaurii, cum ol. anethin. & rutaceo. Sic urinam provocantia eadem possunt adhiberi, quæ in ascite, propter serosam materiam, flatibus ferè semper conjunctam.

67. Secunda indicatio sumitur à parte affecta. Sic ventriculus frigidus alterandus calidis assumtis, ut dianis. diacymin. dialacc. diacurcum. theriac. &c. vel extrinsecus appositis, ut ol. nardin. mastichin. de absynth. &c. Calidum verò hepar refrigerandum, superponendo hepati succum endiviæ, cichorii, cum pauco aceto, & unguento rosato, &c. intrinsecus verò medicamenta refrigerantia conveniunt.

68. A Chymicis pro digestivis prædicantur cremor Tartari, Tartarus vitriolatus, vel Magisterium Tartari, &c. Pro specificis verò purgantibus habentur Alcahest Paracelsi, de quo plerique dubitant, num ex Mercurio, quod facilius crediderim, vel Antimonio fiat: item Mercurius dulcis sublimatus, Laudanum Mercuriale, turpethum minerale, quod cum aceto & aquâ albuminum ovorum figitur; item cremor

mine, ad alias veritati magis consentaneas vias ut confugiamus necesse est. Aqua ergò in ventrem demittitur vel per membranulam jecur ambientem, & quidem vel per resudationem, cùm & ipse sanguis, crassiorem habens naturam sudoris instar ex tunicis venarum coletur: vel per ruptionem propter copiam seri distendentem: vel à flatuoso spiritu simul ei permisto, quem posteriorem modum in castaneis videre licet. Secundò vel per umbilicalia vasa rarefacta hæc materia influit. Tertiò vel omentū per ramum venæ portæ capacitati suæ se inserentem, hanc materiam excipit, indeq; in abdomen guttatim profluit.

26. Potest hæc materia etiam per cæcos hepatis angustissimosq; poros, aut alios visui invios, sed naturæ sagaci pervios ductus in abdomen guttatim influere: quas vias quamvis Fernelius negare conetur, fidem tamen huic rei facit, quod natura ferè omne, quicquid excoquit, non excolat per manifestos aliquot meatus, sed per invisibiles & occultos. Sic sanguis à venâ portæ ad cavam per jecoris substantiam, semen per testium molem media interstitia partiū transcolatur. Sic & ipsum pus in purulentis inter thoracem & pulmonem collectum per tussim rejici videmus.

27. Anasarca est, quando totum corpus ab humore pituitoso, qui partibus assimilari nequit, in tumorem conspicuum attollitur.

28. Causa verò tumoris, utpote pituitosus, crudus ac inconcoctus succus à labefactato hepatis calore producitur, qui partibus ut agglutinetur planè est ineptus, sed per venas majores ab hepate in venas minores carnibus & cuti nutriendi gratia affixas, veluti per nauseam & fastidium quoddam protruditur. Hic itaq; succus cùm ad nutritionem planè sit ineptus, atq; magis expulsus quàm attractus partes illas obsideat, vividam illarū substantiam opprimit. Hinc spiritus qui carnium intervalla suaviter turgida efficiebat, abigitur, & ejus loco succedit ichor pituitosus, à cujus glutinoso mucore illa intervalla inter se coeunt & confunduntur. Inde tumida cutis, quæ ad digiti compressionem ilicò subsidet, & mox rursum resurgit.

29. Tym-

29. Tympanites, qui & Hydrops siccus Hipp. 4. cap. 11. dicitur, est abdominis ex plurimis flatibus in capacitate ejus conclusis, extuberantia.

30. Causa hujus tumoris flatus scilicet à frigida ventriculi & vicinarum ejus partium intemperie, pauloq; calidiori jecinore generatur. Hoc enim cùm excipiat chylum frigidiorem, multos vapores excitat & elevat, propter caloris verò innati impotentiam eos discutere non valet: necessariò ergò per venas mesaraicas, ob sui tenuitatem & venarum raritatem in dictas partes permeat, & illum tumorem efficit. Causa enim flatus est calor imbecillis, & materia humida. Intemperiei verò frigidæ ventriculi causæ sunt eadem ac hepatis.

31. De hac tamen posteriori specie notandum, quòd ferè nunquam pura detur, sed plerunq; cum ascite complicetur, ob aquosam illam materiam conjunctam, ex qua flatus generantur.

32. Differunt itaq; hæ 3. species: Primò, causa efficiente ratione majoris & minoris, in ascite enim maxima, in anasarca minor, in tympanite verò minima est frigiditas. Secundò materia. Ascites enim aquam, anasarca pituitam, tympania verò flatus continet. Tertio loco, quo materia hæc colligitur: Ascites enim ventrem, & distantes partes, faciem scilicet & crura, tympanias eundem ventrem inferiorem, & vicinas partes, scilicet ventriculum & intestina, anasarca verò partes carnosas, & totum corporis habitum occupat. Quartò concausa; in ascite enim renum vitium, quo sanguis non probè expurgatur, in tympania ventris uti & intestinorum imbecillitas; in anasarca verò carnosi generis imbecillitas requiritur.

33. Signa hydropis sunt duplicia, diagnostica & prognostica. Diagnostica sunt vel omni hydropi communia, qualia sunt illa thesi 13. enumerata: alia cuilibet speciei propria.

34. Ascitis signa propria sunt 1. abdominis principiò, hinc pedum & scroti tumor, superioribus partibus flaccescentibus, atq; contabescentibus, unde nō immeritò fisco Regio adsimilatur, qui quantum increscit,

crescit, tantum res privatorum decrescere solent. [2] *tumor latus supino ægro, & per universam regionem abdominis extensus: erecto verò ad os pubis prolabens.* [3] *Ægro circumvoluto fluctuantis ac murmurantis aquæ sonitus in abdomine.* [4] *Vrina pauca, rubicunda, & ferè crassa.* [5] *Sitis cæteris longè impescibilior, & quæ potu crescit, & intenditur magis, de qua propriè & verè illud prolatū videtur: quò plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ.* [6] *Pulsus parvus, creber, subdurus, tensionis cujusdam particeps.* [7] *tussis.*

35. *Anasarcam demonstrant* [1] *tumor universalis, ubivis digitorum impressorum vestigia retinens.* [2] *Corpus frigidum, molle, laxum, pallidum seu albicans, mortuoq; simile.* [3] *Fœtor anhelitus.* [4] *Excretiones albæ, nonnunquam & sanguinolentæ.* [5] *Vrinæ albæ, tenues & omninò crudæ.* [6] *Pulsus undosus, latior, mollis & languidus.*

36. *Tympanites cognoscitur* [1] *ex tumore ventris vel abdominis minori quàm in ascite, qui percussus sine fluctuationibus tympani sonum edit.* [2] *Ex umbilici prominentia.* [3] *Ex ventris levitate, qui quantumvis tumidus existat, nullum aut quàm minimum ponderis sensum præbet.* [4] *Ex ructibus, quibus emissis nullum levamen sentitur.* [5] *Ex dolore ventriculi & intestinorum, præcipuè cæci & coli intestini circa umbilicum.* [6] *Ex pulsu majori, crebriori ac subduro, cum quadam tensione.* [7] *Ex urina ruffa & intensa.*

37. *Cùm verò ascites cum tympania complicatur, venter pulsandus, & valido pressu tangendus, ægerq; in latera est volutandus. Sic namq; strepitus nobis spiritum, fluctuatio verò repletionem aquosam annunciabit.*

38. *Prognostica quod spectat de illis hoc notandum; primò hydropem fientem & incipientem curatu non admodum difficilem existere; factum verò & absolutum difficilimum.*

39. *Secundò; Omnis hydrops periculo est conjunctus, periculosior tamen ille est, qui alium morbum morbi ratione sequitur.*

40. Ter-

40. *Tertiò; cùm hydrops sequatur morbum vel acutum, vel chronicum, sciendum, illum maximè esse lethalem, teste Hipp. in coacis prædictionibus; hunc verò magis periculo carere.*

41. *Quartò; Quantum ad species attinet, nos hydropem in suâ naturâ, & sine accidentibus considerantes tympanitem omnium periculosissimam statuimus; proximum verò locum ascites habet, nisi mo horum acutorum sit progenies, hæc etenim desperata; ut & illa quæ obstructionem, scirrhumvè epatis aut lienis insequitur, periculi plena est; mitissima verò species Anasarca est.*

42. *Quintò; servi atq; pauperes longè faciliùs curantur, quàm liberi, divites & primates.*

42. Εὐσπλαγχνοι *ferè tantùm restituuntur, in quibus etiam solis & paracentesis inita locum habere potest, in cæteris namq; inutilis est.*

43. *Septimò; Bonum portendit à principio alvi fluxus sine cruditate: nam aliter periculosus in ascite, in anasarca verò salubris. Item remediis cedere, & non reverti, copiosè mingere, sitim tolerare, & alimentum membra extenuata capessere, facilè respirare, alvum probè excrementa reddere, & leviter ægrum moveri.*

44. *Octavò: Pessimum est, laborantem difficulter respirare, urinamq; paucam & turbatam, ut & bicolorem, puta rubeam superius, & nigram inferius cum difficultate in ascite reddere.*

45. *Nonò: Sic ubi ventris fluxus hydropico supervenit, subitò sine alleviatione, ejusdemvè constipatio, aut urinæ retentio, similiter & tussis, fætor anhelitus, sputi, sudoris aut egestionis, quæ si loturæ carnis vel sanguini coagulato similis est, mors jam in propinquo est.*

46. *Ad curationem nunc accedendum, quæ quia morbo contraria remedia per indicationes inveniat; Indicationes verò indicantia & indicata comprehendant: primò indicantia & indicata generalia, postea cujuslibet speciei propria rimabimur.*

47. *Indicantia verò generalia desumuntur vel à causâ hujus*

affectus, videlicet intemperie frigidâ, quæ sui ablationem indicat per contraria calefacientia & exsiccantia: quod fit tribus illis Medicinæ instrumentis: Diætâ nempe Pharmaciâ & Chirurgiâ: vel desumuntur à parte affecta, quæ indicat corroborationem.

48. *Diæta verò universalis, quæ omni speciei hydropis competit, debet esse calida & exsiccans, perficiturq; recta administratione sex rerum non naturalium: inter quas primò occurrit aër, qui vergat ad calidum & siccum, qui si talis naturâ haberi nequit, arte paretur pulegio, origan. calamenth. &c.*

49. *Cibus sit coctu facilis, generis durioris, satis coctus & paucus, propter innati caloris debilitatem. Laudatur verò panis clibanites, fermentatus, salitus, cum aniso, cumino, &c. Ex avibus prædicantur phasiani, perdices, turtures, gallinæ assatæ, &c. Ex quadrupedibus, carò caprina, cervina, leporum, caprearum, &c. Ex oleribus præfertur petroselinum, dåneus, pulegium, pastinaca, &c. Ex fructibus, nuces, avellanæ tostæ, amygdalæ, &c. In genere verò cibi assati præferuntur elixis: omnibusq; cibis, quantum fieri potest, quædam redolentia adjiciantur, ut cinnamom. cariophyll. &c.*

50. *Potus in totum fugiendus. Testantur enim exempla, multos solâ abstinentiâ à potu absq; ullo medicamento sanitati fuisse restitutos. Prò potu tamen laudatur ablutio oris aceto aqua chalibeata diluto: aut, si modò causa antecedens non fuerit calida, concedi potest vinum tenue, album, potens & diureticum, &c. aut vinum absynthites, aut quod spicam nardi accipit. Omnis verò aqua, ut & omnia dulcia, ceu pestis, sunt fugienda.*

51. *Somnus sit moderatus, aut consueto paulò brevior: in lecto cubat aliquantisper duro, taliq; operculo tegatur. Mirũ enim est, quantum hujusmodi resiccent per somnum, ut constet, quosdam frumenti acervis obvolutos & absconditos, à somno surrexisse firmos ac resiccatos.*

52. *Motus apprimè confert, nisi spirandi difficultas eum ipsum prohibeat, præcipuè verò ambulatio, exercitia & frictiones. Hæ enim*

meatus

meatus rarefaciunt, humores extenuant ac discutiunt: unde ad excitandum calorem nativum, digestionis futuræ authorem, plurimum conferunt.

53. *Sudor evocetur non tantùm exercitatione, sed & in arena calida: vel aquis aluminosis, sulphureis aut salsis ægri laventur, alvusq; sit lenis sua natura vel arte.*

54. *Medicamenta secundùm species hydropis sunt varianda. Cùm verò in ascite tria sese nobis offerant indicantia, videlicet, collectio aquosi humoris in inferiori ventre, unde tumor efficitur: 2. aquosæ & serosæ illius substantiæ deductio in ventrem: 3. causa hujus aquosi humoris, quæ est frigida hepatis intemperies, totidem quoq; erunt indicata. Tumor enim evacuationem & discussionem, materia fluxura in ventrem revulsionem & derivationem ad renes & vias urinæ, frigida verò intemperies alterationem & reductionem ad pristinum temperamentum indicat.*

55. *Quamvis verò in ordinaria & legitima Methodo curandi id, quod inventione fuit ultimum, in curatione sit primum; & hac ratione ab ipsa intemperie frigida auspicanda sit curatio, tamen in hoc affectu locum minimè habet: sed ab ipso tumore curatio incipienda est, non tamen quatenus ut symptoma in hoc affectu consideratur, sed quatenus rationem habet causæ foventis hanc intemperiem, propter abundantiam aquosi illius humoris, unde tumor efficitur.*

56. *Materia ergò hæc in abdomi contenta evacuanda, sine ulla præparatione; quia serosa est, quæ nec coqui potest, neq; etiam extenuatione indiget: ratione tamen crudorum humorum hepati impactorum, præparatio illorum purgationi præmittenda, & quidem syr. è corticibus citri, mell. rosat. oxymel. syr. de bizantiis, de duabus radicib. oxym. scyllitic. syr. de eupathor. absynth. permixtis aqq. appropriatis, ut sunt aq. fœnic. meliss. agrimon. &c.*

57. *Materia præparata evacuanda pulvere hieræ simpl. agar. trochisc. pill. de agar. rhabarb. cum pulv. hieræ vel Mezer. additis*

chebul. myrobalan. Laudatur quoq; elect.ex Iride rob. Sambucinum, succus cucumeris agrestis, soldanellæ, ut & decoctum soldanellæ. rad. ebuli, sambuci, diaturbith. cum rhabarb. hiera diacolocinthidos, &c. de quibus tamen notandum, quòd omnia hydrotica semper mutare ac variare conveniat, ne natura eis assuescat & contemnat, vel horreat ob frequentem usum.

58. *Secundæ indicationi, scilicet ut materia hæc serosa ad renes deducatur, satisfaciunt ex simplicibus radix dulcis, semen dauci, petroselin. calam. aromat. seseli, pulvis cancrorum fluviatilium siccatorum, præsertim lapillorum cum æquali portione asari, mel scyllitic. cantharides, syr. de 5. radicib. & parantur alia ex decoct. rad. asparag. calamenth. puleg. origan. addito cinamomo, item decocto graminis, eryngii, cum aniso, eupatorio, &c.*

59. *Tertiam verò indicationem perficiunt, quæ reliquias discutere, & partem affectam roborare possunt; ut sunt aq. theriacal. lign. guajac. fœnic. balnea sulphurea, salsa, aluminosa.*

60. *In Anasarcâ indicatio sumitur vel à causâ, quæ est humor pituitosus cum aqua conjunctus, qui quia admodum viscosus & crudus est, atq; ad evacuationem ineptus, antea præparandus, alterandus & concoquendus est.*

61. *Præparatio verò illa perfici potest syr. de eupator. de absynth. de hyssop. acetos. simpl. de capill. Veneris: oxymel. simpl. vel compos. cum aqq. appropriatis, ut aq. agrimon. absynthii, &c.*

62. *Præparatus verò humor evacuandus est per alvum agar. sem. carthami, hederæ, laureolæ, brassica marina, cortice sambuci, ebuli, &c. vel compositis, ut hiera picra, diaphænicon. benedicta laxativa, pill. de agar. trochisc. de eupatorio, absynthio, &c.*

63. *Vomitus quoq; plurimum in principio laudatur, qui excitari poterit, aq. tepida, radicib. asari, sale vitrioli, aqua benedicta ex croco metallorum dextrè facta, vel digitis etiam saltem immissis. Sed & sudores plurimùm in hac specie conferunt, qui moveri poterunt iisdem, suprà thesi 59. enumeratis.*

64. Se-

64. Secunda indicatio in anasarca sumitur à parte affecta, quæ medicamentis calefacientibus & exsiccantibus est corrigenda & corroboranda, quæ vel intrinsecus sumuntur, ut sunt troch. de rhabar. Diarrhodon. abbat. aromat. rosat. dialacc. diacurcum. Theriaca, Mithridatium, hepar lupi præparatum, & c. vel extrinsecus applicantur, ut ol. absynthii, nardinum, anethinum, &c.

65. In tympanite indicatio prima oritur à causa conjuncta, scilicet à flatibus, qui indicant sui ablationem. Quia verò eandem serosam materiam habent conjunctam, qualis in ascite erat, talibus etiam præparatur, ut syr. de hyssop. de bizantiis, oxymell. simplic. & composit. &c.

66. Præparata hæc materia iisdem etiam educitur, quibus ascitis materia expurgatur, ut pill. de agar. & rhabarb. potionibus etiam iisdem, nisi quòd his quædam carminativa, id est, flatus dissipantia sunt addenda, ut sunt anisum, cuminum, fœniculum, &c. Clysteres in hoc affectu plurimùm laudantur ex decoct. anisi, cumini, centaurii, cum ol. anethin. & rutaceo. Sic urinam provocantia eadem possunt adhiberi, quæ in ascite, propter serosam materiam, flatibus ferè semper conjunctam.

67. Secunda indicatio sumitur à parte affecta. Sic ventriculus frigidus alterandus calidis assumtis, ut dianis. diacymin. dialacc. diacurcum. theriac. &c. vel extrinsecus appositis, ut ol. nardin. mastichin. de absynth. &c. Calidum verò hepar refrigerandum, superponendo hepati succum endiviæ, cichorii, cum pauco aceto, & unguento rosato, &c. intrinsecus verò medicamenta refrigerantia conveniunt.

68. A Chymicis pro digestivis prædicantur cremor Tartari, Tartarus vitriolatus, vel Magisterium Tartari, &c. Pro specificis verò purgantibus habentur Alcahest Paracelsi, de quo pleriq; dubitant, num ex Mercurio, quod facilius crediderim, vel Antimonio fiat: item Mercurius dulcis sublimatus, Laudanum Mercuriale, turpethum minerale, quod cum aceto & aquâ albuminum ovorum figitur; item cremor

Tartari tinctura sennæ imbutus; extract. ex florib. Persic. ex granis sambuci, & reliquorum phlegmagorum & hydroticorum, ut Mechoacæ, Hermodactylorum, &c.

69. *Pro diaphoreticis à Chymicis habentur Antimonium diaphoreticum, flores Antimonii rubeifixi, Bezoarticum minerale, &c. Habitum verò corporis confirmant, & partem affectam, secundum eosdem, corroborant, tinctura Martis, dulcedo salis, sal absinthii, gratiola, &c.*

70. *Ex his omnibus variæ possunt componi medicamentorum formulæ, prout intentio Medici, & palatum ægroti eas desiderabit. Ex compositis, ut unum saltem & alterum apponamus, arridet aqua Weckeri ad hydropem, à Mercato tantopere prædicata, ℞. liquoris Tartari, aq. gentianæ, aq. theriac. aa. ℥ j. spiritus vitrioli, ol. sulphuris aa. gutt. x v. M. de quâ æger capiat à ℨ ij. usq; ad ℥ ß. cum vino ante ingressum laconici. Sic nõn minus hæ pillulæ placent. ℞. Extr. gratiol. Mechoac. aa. ℈ j. salis gratiolæ gra. vj. M. F. Pill. No. vij. ol. anisi inungendæ. Et sic de cæteris.*

71. *Atq; huc usq; de curatione ordinariâ hydropis per medicamenta, restat ut aliquid addamus de extraordinariâ, ubi scilicet indicatio à symptomate urgentiori sumitur, & relicto ad tempus morbo, ei succurrere cogimur: talia verò sunt 1. Febris, quæ si copulabitur hydropi, eatenus habebit communem curationis indicationem. Ergò in tali casu non admodum calidis auxiliis utendum, sed potiùs mixta curatione, & ei quod magis urget insistendum.*

72. *Secundum symptoma est sitis intolerabilis, quæ extinguenda est vel collutione vini granatorum, vel potu oxycrati, vel glycirrhizâ. Verùm si sitis tolerari possit, melius est. Nam etsi graviter sitiant ægroti, his tamen potio ultra danda non est, quàm quod vitam sustineant, &c.*

73. *Tertium symptoma est fluxus ventris, qui medicamentis astringentibus & corroborantibus curandus & auferendus est, ut mivâ citoniorum, &c.*

74. Quar-

74. *Quartum est tumor, & quidem primò totius ventris, in quo casu panis niger in vino & modico aceti coquatur, & extendatur super pannum lineum, atq; super imponatur, relinquaturq; per spacium 24. horarum, postquam deinflatur, ponatur modica versus genua, semper descendendo usq; ad pedes: Secundò testiculorum, qui discutiendus sem. anisi, cumini baccis lauri, ol. rutæ, chamomillæ, &c. Tertiò pedum, qui discutiendus lixivio, in quo coxerint rad. ebuli, & enulæ campanæ, rosmarin. majoran. thym. laur. &c. Et hæc de materiâ medicamentorum. Qui plura desiderat, Practicos consulat, apud quos farraginem medicamentorum quilibet invenire potest, quæ nos brevitatis studio hic omisimus.*

75. *Chirurgica auxilia nunc restant, quorum primum est venæ sectio, de quâ an fieri debeat, Doctores Medici disputant. Nos tutò eam administrari posse in illo hydrope, cujus causa antecedens fuerit calida, ut sunt febres acutæ, suppressio mensium aut hæmorrhoidum, aut alia quæpiam plethorica causa, asserimus: nisi tamen vires eam prohibeant. Secunda verò est vena in viris interna dextri cubiti, in fœminis verò malle. oli: præstatq; paulatim & per vices vacuare, quàm festinanter unà cum morbo ægrum tollere.*

76. *Secundum locum in chirurgiâ obtinent cucurbitulæ & scarificationes: Illæ quidem in tympanite, umbilico cum mulsâ flammâ applicatæ, quas incantamenti instar Gal. ob flatus discutiendi vim prædicat. Hæc verò potissimum in anasarca laudantur, quæ fieri possunt in pedibus, fœmoribus, natibus & ventre. Cautio tamen semper adhibenda, ut integra adhuc sint viscera.*

77. *Tertio loco laudantur vesicatoria & cauteria, præsertim verò in ascite. Illa quidem fiunt ex piperite, ranunculo, flammula Iovis, & præcipuè innoxiè ex allio. Cavendum tamen & hîc est, ne partes ab aqua sint languidæ & marcidæ: sed corpus sit robustum. Cauteria verò regioni hepatis, lienis & ventriculi, si morbus flagitet, possunt adhiberi, quæ ante 40. diem non claudantur, sed aperta immisso grano ciceris aut*

cerâ,

cerâ, & applicato emplastro diachyl. retineantur. Hic quoq; superior cautela observanda; nec ullum cauterium applicandum, ante totius corporis vacuationem.

78. Quarto & ultimo loco non prætereunda est Sectio paracentesis, quæ locum saltem in ascite obtinet, & est abdominis perforatio, vel umbilici compunctio. Hanc quidem non admodum improbamus, cùm natura sæpè vacuationem serosæ illius materiæ in abdomine contentæ per umbilicum moliatur: Duo tamen hæc ut tutò fiat, studiosè sunt observanda: 1. Vt morbi principio atq; visceribus adhuc integris fiat. 2. Vt illa vacuatio aquæ non subitò & confertim, sed sensim & per vices fiat. Modus verò illius sectionis videatur apud Andr. Laurentium, Anatom. suæ lib. 6. c. 9. q. 9. &c. Et hæc de Hydrope in præsentiâ dixisse sufficiat, &c.

COROLLARIA.

Physiologica. 1. An urinæ materia sit solum excrementum tenue & aquosum, ex potu genitum: an verò requiratur adhuc aliud quidpiam præter illud? Negatur prius, & affirmatur posterius; dicendo, quòd serum sanguinis simul requiratur ad materiam urinæ: quòd serum nihil aliud est, quàm sal in cibo & potu superfluus, & alendo corpori inutilis.

2. An urina sit primæ, an verò secundæ concoctionis excrementum? A. posterius.

3. An sudor sanguineus possit erumpi naturaliter? Aff.

Pathologica. 1. An distinctio Fernelii l. 1. Pathol. cap. 2. inter res contrà & præter naturam sit approbanda? Neg.

2. An dentur morbi totius substantiæ? Aff.

Semiotica. 1. An ex urinâ omnes morbi possint cognosci? Neg.

2. An sudor frigidus in morbis, præsertim verò acutis, sit lethalis? Aff.

Diate-

Diætetica. 1. An infans lacte materno, an verò alieno sit alendus? Aff. prius: hâc tamen cautelâ adhibitâ, ne mater ullo morbo laboret.

2. An prandium vel cœna largior esse debeat? Aff. posterius.

Pharmaceutica. 1. An in principio morbi aliquando purgare liceat? Aff.

2. An humor vitiosus semel, vel partitis vicibus expurgandus? Distinguitur.

Chirurgicum. 1. An gravidis quandoque venam aperire liceat? Aff.

Chymica. 1. An medicamenta Chymica, quia summæ sunt activitatis, venenata aut venena sint? N.

2. An Chymica medicamenta nullam habeant cum corpore nostro similitudinem, & propterea repudianda? N.

3. An essentiæ Chymicæ qualitatibus elementaribus exutæ, & ob id noxiæ atq; inutiles sint? N.

DISPUTATIO

MEDICO-CHYMICA XV.

De Dolore Colico.

℞. JOHANNE KEYL URATISlaviense Silesio.

THESIS I.

GRavis ille, & celebris Stoicæ Philosophiæ author, fautorq; Anneus Seneca, ut omnia doctè & graviter, sic illud sapienter & verè pronunciavit, tria esse in quolibet morbo gravia & dura: mortis metum, corporis dolorem, & voluptatis privationem.

Vu 2. *Inter*

2. *Inter quæ mala absq; controversia primum locum obtinet corporis dolor, quandoquidem, vel teste Aristotele 3. Ethic. 3 multo difficilius est humanæ naturæ, sustinere dolores, quam resistere voluptatibus.*

3. *Vt igitur inter hæc dolor corporis primas tenet, sic inter sævissimos dolores, qui corpus humanũ affligant, excruciant, dilaniant, non ultimas certè tenet dolor colicus; quippe qui non frequẽntia & diuturnitate solùm molestus est, sed quandoq; adeò gravis etiam, ut testantibus id Hercule Saxonia, & aliis, patientes coëgerit manus sibi inferre violentas.*

4. *Non abs re itaq; me fecisse videbor, si ingenii exercendi caussa, pro virili saltem, in ejus ratione & curatione laboravero, cum præsertim nihil vel parum admodum de his à veterum Medicorum Principibus nobis traditum sit.*

5. *Quod ipsum ut præstem rectius, Nomen dicti affectus, Definitio, Caussa, Differentia, Diagnosis, Prognosis, Indicationes, & Materia Medica ordine inquirenda sunt.*

6. *Dicitur hic affectus Græcis* κωλικὸν ἄλγημα, κωλικὴ ὀδύνη, *seu* [illegible], *Paulo* κωλικὴ διάθεσις, *Celso morbus intestini plenioris; vulgò Colica, dolor seu passio Colica, desumpto nomine ab ipso doloris hujus subjecto, sive parte læsa, quæ Colon est. Quatuor namq; modis nominantur morbi, vel à symptomate, ut Tenesmus & Spasmus: vel à parte læsa, ut Pleuritis, Chiragra, ut Podagra, Ischias, Colicus; vel ab utrisq;, ut Cephalalgia, Cholera, Leucophlegmatia; vel à similitudine, ut Elephas, Polypus, ut ait Galenus l. 2. c. 1. Meth.*

7. *Est autem dolor Colicus tristis sensatio intestini Coli, eaq; vehemens, cum retentione excrementorum, flatuumq; utplurimum conjuncta.*

8. *Ex hac descriptione elucet, quòd sit symptoma facultatis tactricis læsæ, & quòd pars affecta sit Colon intestinum, à quo etiam, ut supra dictum, notatio hujus affectionis desumpta est.*

9. No-

9. *Notandum autem nomine Coli intestini dolentis nos intelligere membranas ipsas, tam internas, quàm externas.*

10. *Caussæ hujus Symptomatis variæ sunt, ut videre est apud Paulum lib.3.cap.43.& Aetium lib.9.cap.29. Immediata tamen, & proxima est solutio continui.*

11. *Antecedens verò caussa interna potissimùm sunt crassi & pituitosi humores, intra Coli membranulas subsidentes; vel materia flatulenta præter naturam ibidem contenta; vel acris mordaxq; succus, dictum intestinum afficiens; vel deniq; vermes, lapides, &c. ut videre est apud Fernel. lib.6. Pathol.cap.10. Holler. in Schol. ad c.41. de morb.intern.*

12. *Accidit autem non raro, authoribus Gal.lib.6.cap.2.de loc.aff.& Tralliano lib.10.cap.1. ut caussæ dictæ misceantur potissimùm tùm temporis, cùm morbus diuturnior est, ubi frequenter unà cum crassitie materiæ jungitur etiam acrimonia flatulenta cum inflammatione.*

13. *Hanc ob caussam juxta Hermeticos* διάθεσις κωλικὴ *ex mucilagine tartarea, stypticis & acetosis spiritibus permixta produci ac progenerari plerumq; statuitur.*

14. *Proveniunt autem dictæ caussæ materiales dolorem facientes, vel ex cruditate ventriculi, vel quia astringitur alvus, vel quia transmittuntur, vel à capite, vel à toto corpore, vel ab alia parte determinata.*

15. *Plurimum etiam confert naturalis dispositio Coli, quod est receptaculum, ad quod omnes in corpore superfluitates confluunt, ibiq; ob anfractus & plurimas cellulas detinentur.*

16. *Deniq; ad id quoq; facit accidentalis dispositio, quæ in iis est, qui anteà sæpè his doloribus fuerunt infestati.*

17. *Externæ caussæ sunt omnia illa, à quibus dictæ materiæ humorales & flatulentæ, tam quo ad qualitatem, quàm quo ad quantitatem vitiosæ generari, & in intestinum introduci possunt, & a quibus*

intestinum angustari & obstrui potest: ut olera, legumina, lapides fructuum nucleatorum, vel fructus duri & crudi, fungi, anguillæ, reliquaq; pinguia & mucosa, potus aquæ frigidæ, frigus externum, à quo non solum intestina, sed & pedes refrigerati colicam inducunt.

18. Differentias porrò quod attinet, dolor Colicus alius est intensior, alius remissior, interdum continuus, quandoq; per intervalla rediens: Vagus aliquando, interdum verò fixus, & in uno loco permanens: Interdum cum febri est conjunctus, Symptomatibusq; febrim comitantibus, sæpissimè sine his existit.

19. Signorum in hujus morbi cognitione quatuor potissimùm reperiuntur genera: Primum est quod locum affectum; alterum quod caussas demonstrat; tertium quod colicum à circumjacentium partium dolore separat; quartum quod eventum morbi præsagit.

20. Ad primum igitur signorum genus deveniendo, in genere Colicam passionem ostendunt dolor vehemens ventris, nunc fixus, nunc vagus & tensivus, interdum pungens & mordicans, modò in hâc, modò in illa parte vehementior, præsertim in sinistro inguine, quòd ibi Colon sit magis angustum, adest nausea, ructus, & vomitus graves abominabilium & corruptarum materiarum, alvi astrictio, vel si quid naturæ vel artis beneficio ejicitur, idipsum maxima ex parte siccum & flatulentum est, Gal. l. 2. c. 1. & lib. 6. c. 2. & 3. de loc. aff.

21. Secundum genus continet indicia caussarum hujus affectus, ut si ex humore frigido & crasso, pituita nempe vitrea, vel melancholia, quod rarò evenit, malum hoc dependeat, dolor per totum abdomen in alto, præsertim ubi est Coli situs, sentitur, perinde ac si intestinum tunderetur & perforaretur, adest sensus gravitatis & frigiditatis, cordis angustia, nausea, vomitus pituitosus, nulla est sitis, excrementa mucosa, præcessitq; victus ratio ad pituitæ productionem apta, quod ipsum etiam innuit constitutio ventriculi frigida, habitus corporis, & reliquæ circumstantiæ.

22. Si ab acribus & mordacibus humoribus producitur, dolor adest

adest mordicativus & punctivus, sitis, oris amaritudo, excrementa sunt biliosa, urinæ quoq; admodum flavæ & biliosæ, victus ratio bilem copiosè producens præcessit.

23. *Si ex flatulentis spiritibus, tensivus est & vagus dolor; si in cavitate intestini continentur, adest flatus & murmuratio, ex crepitu levantur; si in tunicis, pungitivus est dolor, sed non permanens, & variat secundum loca, victus ratio præcessit flatuosa.*

24. *Ex inflammatione provenire monstrant æstus & pulsatilis dolor in loco affecto, sitis & vigiliæ, ingens ciborum fastidium, exasperatio à calidis, refrigeratio extremorum, biliosorum evomitio, omnimoda non solùm alvi, sed etiam interdum urinæ retentio, deniq; febris etiam, quæ juxta Paulum l.3.c.5. & Trallianum, nunquam ferè non, Colo inflammationem cum dolore sustinente, adest.*

25. *A vermibus produci passionem hanc, deprehenditur à natura ægri ad generationem vermium propensi, qui etiam aliquando ejiciuntur, adsuntq; reliqua signa lumbricorum.*

26. *Tertium signorum genus distinguere nos docet à dolore Colico reliquos vicinarum partium dolores, qui cum ipso cognationem & similitudinem aliquam habent, ne fortè similitudine illa, quæ non modò vulgaribus, sed etiam præstantibus Medicis nonnunquam errores & dubitationes afferre solet, juxta Hipp. 6.Epidem.comm.8. decipiamur.*

27. *Ab Iliaca igitur passione differt Colica, primò ratione doloris, quia dolor Ilei major est, magisq; pungitivus, uniformis & fixus, idq; ob partis exactiorem sensum, licet Colicus interdum non minùs vehemens appareat ratione caussæ: Contra Colicus magis est extensivus & perforativus, instabilis, & nunc vehementiùs, nunc mitiùs infestans. Secundò ratione loci, Ilei dolor superior, & juxta ventris fundum magis & supra umbilicum viget, contra Colicus. Tertiò ratione symptomatum: In Iliaca passione vomitus & ructus sunt magis continui & fœtidi, quàm in colica.*

28. A dolore uterino etiam distinguitur: Solent enim mulieres à partu, aut menstrui tempore, dolore torqueri Colico persimili, sed utero affecto dolor magis in ligamentis ad inguina & coxendices videtur, quibus adde partum antecedentem, aut obstructionem mensium, in quibus dolor magis circa renes, quàm in anterioribus umbilico proximis partibus vagatur, quod dolor Colicus non facit, qui ventriculi regionem ascendit.

29. Deniq; à Nephritico dolore quoque differt, primò, quia hic quasi fixus est, à posteriori parte, nimirum à dorso originem trahens: Colicus verò extensus, & nonnihil quietus. Secundò, quia Nephriticus aliquando in sinistra parte & posteriori, Colicus semper in dextra; Et licet sinistram aliquando attingat, non tamen sinistram posteriorem. Tertiò, quia Colicus plurimos habet vomitus, & variæ substantiæ; Nephriticus verò minus. Quartò, quia Colicus per intervalla, Nephriticus semper, & maximè à cibo infestat. Quintò, quia Colicorum urinæ parum aut nihil mutantur, Nephriticorum verò maximis mutationibus insigniuntur, in principio enim claræ, postea asperum quiddam in illis residet, turbidæ ac confusæ redduntur, interdum etiam cruentæ. Deniq; à dejectis alvi excrementis non levantur Nephritici, contra verò levamen sentiunt colici.

30. Hucusq; tria signorum genera absolvimus: Restat jam ut quartum etiam, priusquàm ad curationem veniamus, subjungamus, signorum nempe προγνωστικῶν, an scilicet morbus hic sanabilis sit, nec ne? Frustrà namq; illius morbi curatio à nobis præscriberetur, quæ nullo modo perfici posset.

31. In genere igitur affectus hic incurabilis quidem planè non est, infestus tamen satis & periculosus, tum ratione propriæ essentiæ, symptomatumq; sævitiæ, tum etiam, quia in graviores sæpissimè affectus terminari consuevit, resolutionem nempe nervorum, articularem dolorem, nonnunquam etiam in hydropem siccum vel Ileum, ut testantur Ægineta, Trallianus, & alii.

32. In specie verò inter omnes affectiones colicas, ea, quæ ex inflammatione ortum ducit, est gravissima, præsertim, quando prava adhuc succedunt Symptomata, ut singultus, vomitus, & ructus fœtidi, in Ileon enim transitionem minatur.

33. Minus periculosus est Coli dolor, ubi non omninò excrementa retinentur, neq; in una ipsius Coli parte fixus dolor sentitur, vehementissimi enim Colici dolores periculosiores sunt, quàm mitiores, utpote qui à levioribus caussis sunt, & Coli dolor fixus arguit morbi materiam fixam.

34. A flatibus dolor omnis faciliùs curatur, quàm qui ab humoribus, & ab humore tenui pauco faciliùs, quàm qui à crasso, multo, viscoso.

35. Ab externa deniq; caussa natus dolor, levior quoq; & brevior est.

36. Et hæc ὁλικῶς de tota morbi essentia dicta sunto: consequens nunc est, ut ad curationem accingar, præmissis tamen prius indicationibus, quæ à caussa doloris & ab ipso dolore depromuntur.

37. A dolore sumitur Indicatio, cùm adeò vehemens est, ut tantisper neglecta caussa, curationẽ ad se pertrahat. Propriè enim Symptomata curationem non requirunt, nisi rationem caussæ majoris mali habeant. Quare si dolor auctus tantus fuerit, ut secum maximi periculi metum apportet, posthabita curandi lege protinus sedandus est & mitigandus.

38. Tripliciter autem dolor auffertur. Primò iis, quæ caussam doloris tollunt, eiq; contraria sunt. Sic dolor à frigore tollitur calidis, & contra. Secundò anodynis, quæ paregorica dicta, propriè doloris caussam demulcent. Hæc enim gradui nostri caloris similia caussam doloris mitigant, concoquunt, & æquabilem reddunt, leviterq; rarefaciunt. Tertiò narcoticis dolor aufertur, hæc enim quia sensum partis tollunt, dolorem non percipi efficiunt, cùm pars sensu privata non doleat. Verùm propriè caussam doloris non tollunt, nisi fortè per

per somnum, quem inducunt, ea mitigetur & concoquatur. Si dolor itaque vehementissimè urget, narcoticum, si non adeò vehementer, anodynum saltem indicat, sive per os, sive per clysterem & suppositorium sumendum.

39. *In usu verò horum observandum est: Primò, ne usum horum differamus, donec vires labescentes prorsus deficiāt. Secundò, quòd commodius & tutius usurpentur in doloribus à caussa calida quàm frigida. Tertiò, quòd tutior sit usus compositorum, quàm simplicium.*

40. *Ad morbum ipsum sive doloris caussam quod attinet, si sit nuda intemperies, quod tamen in hoc casu rarò vel nunquam usu venit, vel si accidat, non diu tamen sola immaterialis subsistit, per contraria est alteranda: si cum materia, quæ quantitate peccet, evacuetur, ut si sint flatus discutiantur, si bilis, pituita, vel alius p. n. humor evacuetur.*

41. *Hic autem considerandum, an caussa doloris essentialiter in Colo generationem habeat, an verò aliunde communicetur, & fomentum suum accipiat, sive illud sit intrinsecus, sive extrinsecus, à caussis externis ortum, cui prius prospiciendum est.*

42. *Etsi igitur dolor hic, pro varietate caussæ, varia & diversa, imò quandoq; contraria exposcat præsidia, tamen in genere notandum est, quod semper in hoc casu plurimum conducat, ut alvus sit aperta: deinde, ut medicamenta potiùs per clysterem injiciantur, quàm per os exhibeantur: tertiò, ut nulla medicamenta per os dentur, aut extrinsecus adhibeantur, ante alvi apertionem.*

43. *Quando itaq; à pituita crassa & viscida ortum ducit, tum prima indicatio est diminuere illum humorem ex parte affecta leniter purgantibus, idq; per locum, quo natura sua maximè vergit humor, per alvum videlicet, quod Hiera simplici vel sola, vel cum terebinthina commixta, additis paregoricis dictis perficitur, vel per vomitum, quod decocto alterato cum anetho, aniso, addito oxymelle vel simplici vel squillitico præstari poterit.*

44. Quo

44. *Quo facto, secunda Indicatio docet pituitam crassam ac viscidam fundere, eliquare, & hac ratione ad expurgationem præparare, ad flatus deniq; crassos simul respicere, cavendo illa, quæ nimium calefaciunt.*

45. *Postea ad validiora purgantia progrediendum, ita tamen, ne vehementium purgantium attractione ad locum affectum, materia morbifica augeatur, præsertim in principio. Quopropter tutius est, ut vicibus mediocriter purgantia propinentur, quàm unâ vice vehementia, cavendo tamen Rhabarbarum & Myrobalanos, ob astringentem, quam possident, facultatem; Senam & Cassiam, ob flatulentiam, quam gignere solent.*

46. *Sunt autem mediocriter purgantia: Infusum seu decoctum Agarici, Mechoacanna, Elect. Diaphænicum, Diacarthami, vel Eleschoph dissolvenda in decocto accommodato, & additis oleis infundenda, vel sine his per os assumenda, uti & jus galli antiqui cum Agarico, sem. Carthami, & seminibus carminativis præparatum.*

47. *Expurgatâ materiâ etiam calefacientibus, & attenuantibus, & discutientibus uti possumus, quibus admisceri possunt Chymica, ut spiritus salis nitri spagyricè præparatus, qui omnibus scopis dictis satisfacit, spiritus therebinthinæ, extracta quoq; & olea, ut vis medicamentorum magis ad intimiores intestini partes penetret, in quem finem etiam propinantur theriaca, Mithridatium, aquæ theriacales, aliæq; aquæ compositæ, quibus sudor unà etiam elicitur, quem haud inutilem tunc judicamus.*

48. *Extrinsecus prosunt fotus calidi & sicci ex furfure & milio, sacculi, inunctiones ex oleo smegmatis, ol. anethino, chamomel. quibus penetrationis caussa guttulæ aliquot aliorum destillatorum oleorum admisceri possunt. Solemus etiam lapides interdum quosdam calfactos, & linteo involutos admovere loco affecto: Balneum etiam & insessus ex simplicibus accommodatis tunc temporis utiliter usurpari possunt.*

per somnum, quem inducunt, ea mitigetur & concoquatur. Si dolor itaque vehementissimè urget, narcoticum, si non adeo vehementer, anodynum saltem indicat, sive per os, sive per clysterem & suppositorium sumendum.

39. In usu verò horum observandum est: Primò, ne usum horum differamus, donec vires labescentes prorsus deficiãt. Secundò, quòd commodius & tutius usurpentur in doloribus à caussa calida quàm frigida. Tertiò, quòd tutior sit usus compositorum, quàm simplicium.

40. Ad morbum ipsum sive doloris caussam quod attinet, si sit nuda intemperies, quod tamen in hoc casu raro vel nunquam usu venit, vel si accidat, non diu tamen sola immaterialis subsistit, per contraria est alteranda: si cum materia, quæ quantitate peccet, evacuetur, ut si sint flatus discutiantur, si bilis, pituita, vel alius p. n. humor evacuetur.

41. Hic autem considerandum, an caussa doloris essentialiter in Colo generationem habeat, an verò aliunde communicetur, & fomentum suum accipiat, sive illud sit intrinsecus, sive extrinsecus, à caussis externis ortum, cui prius prospiciendum est.

42. Etsi igitur dolor hic, pro varietate caussæ, varia & diversa, imò quandoq; contraria exposcat præsidia, tamen in genere notandum est, quod semper in hoc casu plurimum conducat, ut alvus sit aperta: deinde, ut medicamenta potius per clysterem injiciantur, quàm per os exhibeantur: tertio, ut nulla medicamenta per os dentur, aut extrinsecus adhibeantur, ante alvi apertionem.

43. Quando itaq; à pituita crassa & viscida ortum ducit, tum prima indicatio est diminuere illum humorem ex parte affecta leniter purgantibus, idq; per locum, quo natura sua maximè vergit humor, per alvum videlicet, quod Hiera simplici vel sola, vel cum terebinthina commixta, additis paregoricis dictis perficitur, vel per vomitum, quod decocto alterato cum anetho, aniso, addito oxymelle vel simplici vel squillitico præstari poterit.

44. Quo

44. Quo facto, secunda Indicatio docet pituitam crassam ac viscidam fundere, eliquare, & hac ratione ad expurgationem præparare, ad flatus deniq; crassos simul respicere, cavendo illa, quæ nimium calefaciunt.

45. Postea ad validiora purgantia progrediendum, ita tamen, ne vehementium purgantium attractione ad locum affectum, materia morbifica augeatur, præsertim in principio. Quopropter tutius est, ut vicibus mediocriter purgantia propinentur, quàm unâ vice vehementia, cavendo tamen Rhabarbarum & Myrobalanos, ob astringentem, quam possident, facultatem; Senam & Cassiam, ob flatulentiam, quam gignere solent.

46. Sunt autem mediocriter purgantia: Infusum seu decoctum Agarici, Mechoacanna, Elect. Diaphænicum, Diacarthami, vel Eleschoph dissolvenda in decocto accommodato, & additis oleis infundenda, vel sine his per os assumenda, uti & jus galli antiqui cum Agarico, sem. Carthami, & seminibus carminativis præparatum.

47. Expurgatâ materiâ etiam calefacientibus, & attenuantibus, & discutientibus uti possumus, quibus admisceri possunt Chymica, ut spiritus salis nitri spagyricè præparatus, qui omnibus scopis dictis satisfacit, spiritus therebinthinæ, extracta quoq; & olea, ut vis medicamentorum magis ad intimiores intestini partes penetret, in quem finem etiam propinantur theriaca, Mithridatium, aquæ theriacales, aliæq; aquæ compositæ, quibus sudor unà etiam elicitur, quem haud inutilem tunc judicamus.

48. Extrinsecus prosunt fotus calidi & sicci ex furfure & milio, sacculi, inunctiones ex oleo smegmatis, ol. anethino, chamomel. quibus penetrationis caussa guttulæ aliquot aliorum destillatorum oleorum admisceri possunt. Solemus etiam lapides interdum quosdam calfactos, & linteo involutos admovere loco affecto: Balneum etiam & insessus ex simplicibus accommodatis tunc temporis utiliter usurpari possunt.

Xx 49. Si

49. Si ex flatu affectus suboriatur, discutientia inprimis indicantur, tam intus assumenda, quàm exterius applicanda. Inter assumenda sunt rotulæ variæ, ut Diacyminum, Diacalament. Aromaticum rosat. Rotulæ factæ cum oleo succini, anisi, & fœniculi, Zedoariæ aq. stillatitia ex cinamomo, vinum hippocraticum dictum: præterea magnæ antidoti, ut theriaca, mithridatium. Extrinsecus paranda sunt fomenta, sacculi, &c. ex milio, sale tosto, floribus chamomillæ, seminibus fænugræci, fol. lauri, rutæ, &c. additis gutt. aliquot oleorum stillatitiorum penetrationis caussa.

50. Valet quoq; in hoc casu remedium à Galeno celebratum lib. 12. meth. med. c. ult. materiâ flatuum prius subtractâ, cucurbitula scilicet magna umbilico imposita, nec spernendum est consilium ejusdem Galeni, ut scilicet in doloribus præsentibus cingulo constringantur partes abdominis.

51. At si dolor proficiscatur ex biliosis & acribus humoribus, tunc humores illi statim detergendi & expurgandi sunt iis, quæ bilem respiciunt, ut vomitoriis, ex aqua hordei cum oleo; dejectoriis per os adhibitis ex rhabarb. syr. infusion. rosar. aut violar. elect. diaprun. solut. pil. ex aloë, &c. per clysterem: ex decoct. malvæ, violariæ, parietariæ, sem. lini, cum elect. hieræ simpl. elect. diaprun. & diasebesten. sine diagridio præparatis. Extrinsecus verò usurpetur oleum rosatum cum mucilagine sem. lini. Balneum aquæ dulcis.

52. Si verò dolor ex phlegmone seu inflammatione fiat, tum, si inflammatio sit supra umbilicum, secanda est vena in cubito: Si infra umbilicum, ut urina intercipiatur, ex Paulo secetur vena malleoli. Clysteres & refrigerantes & laxantes, quales commodiss. fiunt ex decocto hordei, lacte, sero cum sacchâro rubro, & ol. violaceo, &c. maximè hic conveniunt. Pariter quæ per os assumuntur, sint refrigerantia. Exterius verò in initio locus affectus inungatur oleo rosato completo, cum vitello ovi, postea ol. amygdal. dulc. & chamomel. Astrictoriis in hoc casu Gal. l. 11. meth. med. c. 16. dicit opus nō esse, nisi fortè affectus cum fluxione sit.

53. De-

53. Deniq; si dolor Colicus à duris & diu retentis excrementis suboriatur, primum hæc emollire oportet, & clysteribus injectis ex oleo, & assumpto mulso, oleo, balneo item aquæ dulcis cum simplicibus humectantibus, eorumq; oleis præparato. Postea verò propinandum medicamentum validum, quod emollitas jam faces possit deturbare. Possunt etiam addi, quæ vermes necant, medicamenta, si videlicet illos adesse suspicio sit.

54. Quod si hæc valida non proficiant, confugiendum est ad illud auxilium propositum ab Hippocr. lib. 4. de morb. & acceptum ab Amato Lusitano cent. 4. curat. 89. ut folle fabrili inflentur intestina patientis, ut ex hac inflatione separentur fæces ab intestinis: quo facto statim injiciendus est Clyster fortis, cui admiscendum salis gemmæ aliquid, quod, ut testatur Forestus, peculiari vi dura stercora dissolvit, ægerq; in balneum prædictum locandus.

55. Interim quoq; non negligenda sunt medicamenta ea, quæ peculiari proprietate juvare creduntur, qualia sunt, intestina lupi præparata, & in vino ad ʒj. epota. Item stercus ejusdem, quod Gilbertus sæpissimè cum successu se probâsse testatur, cruribus tantùm aut pectini alligatum, avis galerita, quæ (teste Galen. l. 2. de simpl. med fac. cap. proprio, & Aetio l. 9. cap. 31.) pulverisata idem præstat. Cornu cervi præparatum, umbilicus infantis nuper nati, exsiccati & pulverisati, stercus bubulum exsiccatum, aut succus illius, aut aqua ejus per alembicum destillata. Verùm his & similibus experimentis ita fidendum esse putamus, ut semper auxiliis illis potiùs utamur, quibus præter experientiam ratio quoq; manifestior suffragatur, quale est vinum Malvaticum cum aliquot guttis vel spir. Therebinth. exhibitum, ol. nucis moschatæ expressum, amygdalar. dulcium, &c.

56. Quod restat, omnibus his compar victus ratio instituenda est; Siquidem hanc negligere, vel perfectam non habere, calamitatis plena res est, secundum Hippocr. 6. Epidem. sect. 8. part. 48.

57. Tota itaq; ad calidum magis & siccum vergat, quàm ad frigidum & humidum. Aëris itaq; humiditas & frigiditas vitetur.

58. Cibi sint optimi succi, & paucarum superfluitatum. Laudantur itaq; volucres omnis generis, præcipuè sylvestres, & galeritæ, gallinæ, capones, &c. A carnibus bubulis, suillis, anserinis, anatum & omnium avium palustrium, piscium item summè est cavendum. Ab omni item olerum genere abstinendum, præterquam à fœniculo, melissa, mentha, salvia, petroselino, majorana, quibus cum cibi condiri possunt.

59. Pro potu, si caussæ calidæ (quod etiam in aliis præsupponimus, quia, omissis reliquis caussis raris, potissimùm diætam proponimus, quæ in colica à pituita & flatibus oborta, tanquam frequentissima, servanda est) absint, vinum convenit generosum album, Absynthite, & Hippocraticum dictum: Cerevisia Absynthite, cum calamo Aromatico, & Baccis Lauri præparata.

60. Exercitium corporis valde ante cibum sumptum prodest, contrà verò à cibo nocet.

61. Animi perturbationes, cujusmodi sint, arceat, excretiones alvi quotidie ut respondeant, laborandum esse, antè jam dixi, & quî concitandæ sint monstravi. Quare finem hic facio, meliora monstrantibus cedere paratissimus.

COROLLARIA.

Quibus quæritur:

1. Qantum ab antiquorum Paralysi distet, & quomodo generetur Paresis ex Colica?

PAralysin vulgò vocant, Symptoma abolitæ vel motricis tantùm, vel sensitivę etiam (si perfecta ea sit) quandoq; sensitivæ tantùm facultatis in uno aut pluribus membris corporis humani. Cujus, prout caussa diversa est, ipsius etiam nomen,

men, ratio & curatio differt. Nam quæ Apoplexiam non lethalem sequitur, Paralysis dicitur; quæ verò Colicam, non nisi impropriè: rectiùs Paresis vel contractura. Differunt autem à se invicem 1. ratione originis. Nam illa cerebri & spinæ morbos; ista verò intestini Coli, ut dixi, comitatur. 2. ratione subjecti. Nam illic nervi; hîc verò musculi potissimùm, tendines & artus occupantur. 3. ratione symptomatum. Nam in legitima Paralysi sensus tactus utplurimùm cum motu voluntario planè tollitur, aut sanè diminuitur: in Paresi verò plerumq;, sensu tactus superstite, quandoq; etiam molesto motrix tantùm facultas labascit. Quibus addas licet: Genuinam illam nervorum resolutionem à principio ad finem eodem ferè habitu esse constantem ac quodammodò perpetuam, & utplurimùm Medicorum manus eludere: Contracturam verò per vices & intervalla ægros magis minusq; molestare, cessare, & redire, quandoq; copulari cum Arthriticis doloribus, interdum in convulsiones abire, nec tamen adeò Medicis auxiliis, præsertim si statim in principio εὐλόγως adhibeantur, rebellem esse, sed faciliùs iis cedere, quàm veram Paralysin. In quibus quidem plerique authores rerum Medicarum consentiunt: quâ verò ratione aut via Colica in Paralysin transmigret, non adeò planum est. Mercatus enim, Steëgius & Hoffm. in Consiliis Cratonianis ajunt, materiam non ex intestinis transmitti ad artus, sed à capite. Ideoq; ad eam tantùm Colicam succedere Paresin, quæ ex delapsu humorum à cerebro ad intestina per venas sui ortum & incrementum ducit, qui humores post novâ, aliâs usitatâ viâ, per nervos scilicet ad muscuos defluant, & pro Colicâ, quam prius caussârant, contracturam efficiant. Alii noxiam materiam ab intestinis nervoso generi per arterias communicari autumant, ut Reusner. de Scorb. Alii ad asylum illud Hipp. πᾶν τὸ σύμπνουν, καὶ σύῤῥουν confugiunt. Alii materiam ad caput

regurgitare & evaporare, vel mediantibus lumborum & spinę vertebris, per nucham, secundum nervorum propagines ad artuum extremitates descendere, opinantur. Alii verò, & rectiùs statuunt, illam ipsam materiam, quæ cruciatus in Colo fecerat è venis Meseraicis in cavæ venæ tubulos remeare, atq; hinc in habitum corporis & musculos, in quos venæ terminantur à natura effundi. Cujus dogmatis rationes & pondera legere licet apud Clarissimos Doctores, Sennertum & Horstium, Præceptores meos jugiter honorandos, quibus cum ego non possum non facere. Contrariæ sententiæ fundamenta in ipso conflictu pro viribus diruemus.

2. An internus mellaginis Saturni usus ad curam Colicæ faciat?

Ita Crollius Basil. suæ Chymicę pag. 274. sentit, & Quercetanus alicubi non multùm dissentire videtur. Sed quia Colicæ morbus utplurimùm est frigidus & pituitosus: Sal verò Saturni, ejusdem Crollii judicio & omnium consensu penè extremæ frigiditatis, ut intra corpus sumptum, etiam viros emasculet; ad hæc ventrem constipet, quod Colicæ pestis est: Non probaverim ego, nisi ubi aperta alvus, & dolor est ab inflammatione magnâ; aut ubi vagi & sulphurei spiritus subtilitate & fervore suo intestina lancinant. Tum enim in parvâ quantitate cum vino vel appropriato posset admitti, quatenus horum compescit acrimoniam, eosq; ne tam liberè grassentur coagulat. Illius etiam (inflammationis) augmentum prohibet, fervorem mitigat, maturitatem promovet. Sed & Phlebotomiam pro revulsione hîc præcessisse oportet.

DISPUTATIO MEDICO-CHYMICA XVI.

DE EPILEPSIA:

Præside D. HENRICO PETRÆO, MEDICINÆ PROFESSORE:

℞. *JOHANNE DANIELE MYLIO Wetterano Hesso.*

THESIS I.

HOrrendum & portentosum morbi genus est Epilepsia, triste invasionis spectaculum, turpis desinentia, origo mirabilis, & præter hominum opinionem, cita exacerbationũ assiduitas, nec non atrocissima symptomatum violentia, quæ sæpè unico insultu hominem animalium potentissimum, à quo omnia debellari debuerunt, non modò subitò humum prosternit, sed fœdâ cum tòrturâ è vitâ exterminat. Majori itaq; conatu vigilantes salutis humanæ custodes, & morborum depulsores tam sævi hostis impetus, & noxas, ac præsidia salutaria ad eum vel abarcendum, vel eliminandum indagare & producere tenentur.

2. *Epilepsia dicitur, quòd cerebrum & partes subjectas ex improviso ita apprehendat, & occupet, ut functiones intercipiat & pervertat. Vocatur aliâs ab Hippocr. morbus sacer, vel quia magnus, vel quia à Dæmone immissus θεῖόν τι in sese habeat, nec humanâ ope facilè tolli possit. Ab eodem νόσημα παιδικὸν, sive παιδίιον πάθος παίδιων, quia pueros frequentius invadit, unde Avic. puerorum matrem appellat, rectius novercam dixisset. Herculeus & invictus ab Arist. probl. 1. sect. 30. vel quia Hercules melancholicus eo laboravit, vel quia δυσκαταμάχητος. Ab aliis comitialis appellatur, quia comitia abrumpi solebant. Ab aliis*

aliis interlunius, quia interlunio nati potissimùm hoc corripiuntur: vel lunaticus, quia Lunæ motum sequitur. Caducus à symptomate dicitur. Aret. Elephantiasis, quòd remediis non cedat. Apulejo divinus, Plinio Sonticus, aliis aliter.

3. *Definitionem ejus hanc statuimus; quòd sit motus convulsivus generalis interpolatus cùm sensuum & principum facultatum abolitione, vel imminutione à vapore acri, sæpius maligno, ac venenoso, facultatem cerebri expultricem irritante.*

4. *De causâ ejus adæquatâ, tam variæ ac dissidentes Medicorum sunt sententiæ, ut si autoritatibus stare debeamus, cui subscribamus, non facilè reperiamus. Galenus 2. aph. 45. 2. de caus. sympt. c. 7. & 13. de l. aff. c. 7. aliisq; in locis caussam assignat humorem frigidum, crassum & viscosum, præsertim pituitosum, multitudine sua ventriculos cerebri non tamen integrè, ut in Apoplexia, obstruentem, & spiritus animalis exitum prohibentem, quem ut excutiat cerebrum seipsum concutit, & contrahit, quo contracto nervi etiam contrahuntur.*

5. *Hanc causam recipere non possumus, quia si fieret ab obstructione, sequeretur privatio motus.* 2. *Eadem esset cum apopl. vel tantùm majoris & minoris ratione differrent, nec tam diversa haberent symptomata.* 3. *In caro symptomata essent Epileptica.* 4. *Sternutatio & singultus & vertigo fierent ab obstructione.* 5. *Subita invasio, & solutio non potest esse ab humore crasso difficulter mobili, & dissipabili, nec locus est in quem tanta copia tam citò detrudi queat.* 6. *In sectione nullum obstructionis vestigium apparet.* 7. *Vacuationis post paroxysmum qualitas.*

6. *Probabilius igitur alii vaporosam, & tenuem materiam, sicut Pelops Galeni præceptor nominabat,* πνευματικὴν τινα οὐσίαν, ὥσπερ αὔραν, *quod ipsum Hippocr. de flatibus approbat, Epilepsiæ causam esse sentiunt, quæ vel acrimonia sua, vel qualitate venenata & maligna cerebrum, nervorumq; principium vellicando & molestando constrictionem & angustiam meatuum inducat.*

7. Hæc

7. *Hæc ipsa comprobatur:* [1] *Ex subita invasione, solutione & frequentia paroxysmi.* [2] *Ex subita sensus ac motus privatione.* [3] *Ex violentâ convulsione corporis totius & partium.* [4] *Ex similitudine quam habet cum vertigine & sternutatione.* [5] *Ex ea quæ fit per consensum ascendente aurâ frigidâ, de qua Galen. 3. de loc. aff. 7.* [6] *A causis externis vaporosis, aëre, vento, fumis malignis & similibus.*

8. *Quamvis autem modus hic causandi nonnullis non satisfaciat, quòd nempe cerebri corpus inanimatũ certis ac immobilibus ventriculis inclusum se contrahere, aut ab alio contrahi nequeat, ideoq; vellicando & ad expulsionem irritando Epilepsiam non generari, sed quod vapor iste acris & malignus cerebrum prava dispositione afficiat, & membranas illius vehementer distendat; tamen nodum hic in scirpo quæri, nec tantam esse harum sententiarum discrepantiam, quin componi possint, arbitramur.*

9. *Fit enim quasi constrictio quadam cerebri à vapore molesto vellicati, quam sequitur meatuum spirituum occlusio, & defectu spiritus actionum abolitio, vel imminutio. Id quod alii turbatis simpliciter atq; afflictis spiritibus tribuunt. Platerus verò cerebrum à genere nervoso molestè affecto in consensum tractum spiritus effundere in nervorum principia putat, unde sensuum interiorum cessatio subsequitur. Heurnius conniventiam sinuum cerebri oppresso cerebro in concussione illâ ad excussionem sufficere asserit.*

10. *Fernelius 5. de part. morb. & sympt. c. 3. ut & 2. de abd. rerum caus. 11. à nostra sententia non prorsus alienus veram Epileps. caussam continentem præter humoris copiam venenatam dicit esse, & cerebri substantiæ graviter infensam, atq; inimicam qualitatem, quæ quoties exagitatur, atq; prorepit in cerebrum, ea quidem feriente, cerebro autem contrapugnante, quasi colluctatione quadam ac dimicatione fit Epilepsia.*

11. *Propinqua caussa, & προηγουμένη sive antecedens est humor*

putridus, & venenatus, quatenus ex se halitus, seu flatus malignos & venenatos ad cerebrum emittit.

12. *Remotiores causæ & procatarcticæ sunt omnia illa, quæ vel humores putridos & venenatos generant, vel flatus malignos & venenosos ex inquinatis istis humoribus suscitant, adq; cerebrum elevant, cujusmodi sunt: aër vernus, calor Solis, (unde Septentrionalibus rarior, sed contumacior) olfactus rerum fœtidarum, bituminis, cornuum caprarum, cervorum, hepatis caprini assati, corii caprilli, nec non gagatis: comestio ciborum putridorum, & veneno infectorum, nec non hepatis & carnis hircinæ, frequens esus coturnicum, columbarum, & passerum, ut nonnulli autumant, inedia, crapula, potus vini generosi immodicus: otium, motus violentus maximè post repletionem: coitus nimius: excrementa retenta, urinarum anadrome, vermes in intestinis putrefacti, semen & menstruum corruptum: ægritudines animi, terror à puero, vehemens ac subitus: ira ardens, intensio animi, ut in Grammat. 5. de loc. aff. c. 6. cerebri tenuitas, & sensilitas, ob id Florentinis perspicaciss. civibus familiaris est: hæreditas paterna non minus morborum, quàm bonorum propagatrix: ictus bestiarum venenosarum, ut scorpionis, morsus canis rabidi: corrupta meninx & abscessus, Fern. c. 3. de part. morb. l. 5. & alia multa.*

13. *Paracelsus in determinanda caduci causa non videtur sibi constare. Nam 3. §. 1. de morb. cad. §. 3. ait: Sciendum igitur quòd causæ totius morbi Mercuriales sunt, & species morbi species Mercurii. Quot autem sunt species Mercurii, tot sunt species morbi. Negat enim cum cæteris Hermeticis caducū esse morbum ex complexione manifestarum qualitatum, aut vulgaribus humoribus ortum, sive materialem, aut corporaliter inhærentem, sed spiritualem, astralem & invisibilem ex principiis congenitis firmaq; radice constantibus, eorumq; resolutis, & exaltatis impuris tincturis, & impressionibus profectum.*

14. *Alio tamen in loco idem autor asserit, caduci materiam (ita causam appellitat) esse sulphur stupefactivum, mordicativum in micro-*

microcosmo existens, quod instar fumi lædit cerebrum ebullitione ab astris (causis efficientibus μεγάλην δύναμιν possidentibus) excitatâ.

15. Tertio, idem & ex eo P. Severinus anygmaticus ejus interpres f. 315. Ideæ radicem Epilepticam vitriolum mercuriale, seu vaporem ejus esse asseverare non dubitant. Hanc ob causam, & specificum ejus remedium à Paracel. morbus Vitriolatus, & Viridellus appellatur. Quæ quamvis repugnare videantur, tamen quia multa hic unita & complicata sunt, quæ sensu discerni nequeunt, radices nempe seminales, corporum principia activa, elementa cum suis venenis, & supervenientibus tincturis transplantationis autoribus, diversæ istæ locutiones ipsius naturæ favore & patrocinio admitti, sibiq; conciliari possunt.

16. Morbum hunc astralem esse patet ex materiâ ejus subtilissimâ, generationis processu spirituali, & penetratione validissimâ, nec non curationis momento. Lunæ imperio subjectum esse experientiâ tam certum est, ut negari nequeat. Taliter nempe affecti præter voluntatem astromantæ facti Lunæ crescentis, cerebriq; humiditates augentis damna exactè sentiunt. Mercurialem esse ostendunt subjectum, quia primam naturam cerebri, meningum, nervorum, & spinalis medullæ maximè affligit. Cerebrum enim, ut Hipp. in lib. περὶ ἀρχῶν testatur, est sedes atq; metropolis ejus quod frigidum atq; glutinosum est. Talis est signatura Mercurii exterior, licet intus ignem foveat potentissimum. Hic Mercurius de suo statu pellitur cum vi caloris, aliquando & frigoris, à rebus extrinsecus excitati in summum subtilitatis gradum exaltatur, quo fit, ut sulphur & sal non possint ipsum coërcere; separatus igitur à reliquis suas nequitias liberè exercet.

17. Salinus est hic morbus, quia sublimatio ista Mercurii microcosmici sine salibus non peragitur: & quia chronicus est de sale stabiliore principio participare ipsum oportet. Vitriolatus est, quia omnes vitrioli proprietates, tincturas & symptomata secum circumfert, quas exhalando temporis intervallis malignas, acres, acidas & corro-

corrosivas spiritibus vitalibus, ac animalibus symbolum & conspirationem habentibus nullo negotio commiscet. Fomes siquidem tetri hujus vaporis est mucilago tartarea, quam aliâs phlegma appellamus, sive bilis porracea, vel æruginosa aut melancholica adusta (ut vulgò loquimur) qui humor ob copiam salis vitriolati, aluminosi, & ammoniaci phlegmate exutus instar aquæ fortis summam acrimoniæ, fermentationis, corrosionis, & penetrationis violentiā acquirit, adeoq́ omnium acerbissima, gravissima, & exitialissima corpori symptomata infert. Cùm enim pungentissima salia exquisitissimi sensus partes lancinant, ac vellicant, & tota substantia cerebrum infestant, aciditateq́ styptica ventriculos coarctant, vasaq́ constringunt, & sulphurea fuligine spiritus obnubilant, convulsiones, luctæ, distorsiones, sensuum tam exteriorum quàm interiorum interceptiones aut interitus etiam consequuntur pro diversa liquoris & vaporis Mercurialis copia, acrimonia, aciditate, atq́ virulentia.

18. *Locum autem principaliter affectum in hoc morbo cerebrum esse cum Galeno asserimus, non cor, adversus Quercetanum. Non enim sequitur: functiones animales non omnes ex æquo in omnibus epilepsiæ speciebus, etiam iis, quæ per consensum depravantur, sive abolentur. E. cerebrum non est sedes Epilepsiæ.*

19. *Sunt enim duæ præcipuæ Epilepsiæ differentiæ juxta Galen. vel enim fit per idiopathian, per se & proprio cerebri affectu, sive hoc fiat per protopathian, generatione causæ morbificæ in cerebro: sive per deuteropathian, translata ad ipsum causa, vel per criticam διαδοχὴν, vel per symptomat. μετάστασιν. Vel per sympathian, & consensum fit minerâ morbi in membris capiti subjectis contenta, sive per ἐπίῤῥυσιν aliunde per vasa, sive per simplicem communicationem, quæ fit aut generis similitudine, aut operis societate, aut vasorum viciniâ.*

20. *Posteriorem Fernel. subdividit in eam, quæ ventriculum obsidet, & aliâs analepsia dicitur: & eam, quæ uterum, & reliquas partes, catalepsiam vocant. Cælius tres facit modos: unum comatoden periculo-*

culosissimũ, [2] diverso captu corpus afficientem, [3] ex utroq; mixtum. Paracelsus quoq; in tract. de morbis ament. quintupl. facit ratione originis; prodit enim ex cerebro, corde, hepate, intestinis, vel 4. membris externis.

21. *Rursus 4. ejusdem species enumerat ex dolorum & paroxysmorum diversitate secundum 4. elementa desumptas: Quamvis enim teste Hippocrate, una sit morborum omnium idea (in genere scilicet, procedunt enim ab eodem semine) tamen, ut pulcrè Sever. docet, fomites, matrices, & agri (nobis partes) differentiam faciunt, & symptomatum signaturas, vehementia, celeritate, frequentia, duratione, & simil. alterant. Proprietates enim fructuum subtilitatem & potestatem matricis ubiq; æmulantur. Sic Caducus ex elemento igneo, sive astris firmamenti vehementiss. existit, constat enim ex resolutione seminum potentiorum, quæ momēto fulminis instar vitalia universi corporis elementa percellunt. Proximum violentiæ gradum sibi vendicat caducus ex elemento aquæ: mitior est caducus aëris: mitiss. terræ. Sic caducus matricis longè alius est à caduco pedis, &c.*

22. *Quod verò Parac. suffocationem matricis, syncopen, tremorem & palpitationem cordis, incubum, vertiginem, ecstasin, &c. Caduci species facit, in eo genera rerum ἀλόγως confundere nobis videtur, cùm diversissima sit morborum horum generatio, & curatio.*

23. *Signa Epilepsiæ sunt diagnostica, vel prognostica. Et illæ rursus vel imminentem, vel instantem arguunt. Imminentem, dolor capitis, oblivio, somnus inquietus, oculorum tenebræ, vertigo, quæ parva quædam Epil. est, languor corporis, venarum colli repletio, venarum sub lingua flavedo, aut viriditas, & id genus alia.*

24. *Præsentis demonstrativa sunt: subita & improvisa faciei ejusq; partium contorsio, cervicis incurvatio, convulsio membrorum nonproportionata, (quamvis sine spasmo manifesto aliquando deprehensa sit) stertor, & strangulatus, spuma ovi candido similis; prolapsus,*

arcta digitorum contractio, stridor dentium, privatio sensus & rationis, itemq; alia multa, quæ longa serie vide apud Aret.

25. *Quod si oriatur ex causa in solo capite contentâ, semper adest major capitis gravedo, sensuumq; hebetudo, motus linguæ tardior, tinnitus aurium, vertigo, nec æger insultum futurum præsentit, nec præteriti meminit.*

26. *Sin verò ex causa in inferioribus partibus stabulante ortum duxerit; plerunq; symptomata & signa istarum præcurrunt; ut sunt cordis tremor, stomachi dolor mordax, & pungitivus, nausea, vomitus, tremor & contractio labiorum, sensus auræ cujusdam ascendentis, cujus exemplum est apud Gal. 3. de loc. aff. c. 7. patientes invadentem paroxysmum percipiunt, & abeuntis recordari possunt, nec omnes semper sensus graviùs afficiuntur.*

27. *Signa prognostica sunt varia, ex quibus nos pauca delibabimus. Primaria & ipsius substantiæ, hæreditaria & connata, nec non inveterata partim incurabilis, partim contumaciss. & periculosiss. est. Noctu quæ movetur, minùs nocere putatur, quàm quæ interdiu. Infantulos ac pueros propter lactis tenuitatē, grumescentiam, corruptionem, & cacochymiam, & ingluviem, tum humiditatum & vaporum cerebrum implentium abundantiam crebriùs: consistentis ætatis rariùs: senes nunquam aut rarissimè contingit Epilepsiâ corripi, frequentiùs autem Apoplexia.*

28. *Mares faciliùs corripi quàm fœminas ajunt, has siquidem menstrua securiores reddunt, illos autem faciliùs curari Scribon. arbitratur. Quibuscunq; morbus comitialis fit ante pubertatem, per ætatum mutationes liberantur: quibus autem post 25. annum durat, difficilimè curantur, & utplurimùm commoriuntur, Hippocr. 5. aph. 7. Fœmellis enim ἡ τῶν καταμηνίων ῥῆξις, adolescentibus ἡ ἔκλαμψις materiam absumit, nervos corroborat. Pueri si semel evasêre cum partis alicujus læsione non iterum tentantur. Mulieres à partu plerunq; deserit. Epilepsia & melancholia sibi mutuò succedunt, non tam quòd melancholia*

mentis;

mentis, epilepsia corporis cerebri sit, quàm quòd in unâ radice fundantur, 6. Epid. 1. Morbus chronicus est, nec nisi longo tempore sanabilis, sed ante 14. acutus dici meretur, nonnullos enim brevi interficit. Vere ut magis irruit hic morbus, ita magis periculosus est hoc tempore. Quartana vel alia febre diuturnâ corripi sæpè pro valetudine est. Hydropem si sequatur funesta est, &c.

29. *Curationem autem quod concernit, cùm atrociss. hoc morbi genus inter astrales, occultos, summosq; & cardinales meritò recenseatur, universali potiùs curæ, quæ unici remedii balsamici & solaris pauculis granulis omnes omnium morborum impuritates balsamo adhærescentes, sive adnatas, sive adventitias averruncare, humidumq; radicale in pristinum vigorem restituere, ac custodire traditur, idipsum subjacet. Quandoquidem verò nobis illa denegata est, ad particularem confugimus, quæ indicationum pluralitate absolvitur, & benignitate balsami felicioris naturæ in specificis repositi freta non raro in gravissimis morbis universalis officiò defungitur, nec fructuum solum paroxysmos inhibet, ramosq; amputat symptomatum, sed ipsam etiam radicem funditùs extirpat, & naturæ integram quietem restituit.*

30. *Porrò ut in aliis, ita in hoc quoq; morbo duæ sunt generaliss. indicationes: tincturarum seminalium morborum, seu impuritatum morbificarum consumptiones & ablationes, ac balsami, seu spirituum mechanicorum corroboratio. Epilepsia autem & similes morbi, qui paroxysmorum vehementia & pernicie infames sunt, duplices habent indicationes particulares. Quædam enim paroxysmum præcipuè respiciunt, quædam verò radices ipsas. Sedatio spirituum effervescentium, constrictio, mitigatio, ligatio, &c. paroxysmũ præcipuè respiciunt: resolutio autem tincturæ Epilept. consumtio, ablatio ipsas radices.*

31. *Paroxysmum cumprimis sedant, & spirituum fervorem sopiunt Laudanũ opiatum P. verum, spiritus vitrioli, essentia camphoræ, oleum succini. Cadentis ori cuneus inserendus est, ut apertum maneat, nec linguã commordeat, alta voce inclamandus est, nares constringendi,*

gendi, & sternutatoriis irritandi, membra incurvata molliter ad rectitudinem reducta fricanda, & continenda, digiti explicandi, ligaturæ dolorificæ extremorum injiciendæ, fauces theriaca, mithrid. castor. in aqua hirund. sale suo conditâ, rutæ, lil. conval. solutis illinendæ sunt. Si consensu ventriculi fit, vomitus excitandus est, ad quem Gilla Paracel. cum aqua pæon. in qua scobs visci querni macerata fuerit, valdè conducit, ut & aqua benedicta ex antimonio.

32. *Extra parox. tamen cum succin. castor. asa fœt. ruta maximè sylv. puleg. apium, petros. paroxysmus accelerare soleant, ab horum omnium prole sedulò abstinendum esse nonnulli admonent. Sed an causa hæc de omnibus sufficiat, magnum apud nos dubium est. Sicut enim in generatione Epil. cum spiritus vitæ ab heterogeneo obsidetur, talis fit ebullitio, qualis in spirit. vitrioli, & ol. tartari, & similium mixtionibus conspicua est: ita in regeneratione, cùm spiritus homogeneus balsamicus ad centrum morbi pertingens adversarium adoriatur, conflictus talis oboritur.*

33. *Novi autem paroxysmi inhibitio, & radicis excisio variis præsidiorum ingeniis perficitur. Vulgari in cursu ante omnia bona vivendi regula præscribitur, in usu moderato sex rerum non naturalium consistens; causæ procreantes & conservantes præciduntur omnes, inprimis abstineat à lacte, caseo, caulibus, coriandris, carne caprinâ, lactucâ, portulaca, aliisq; multum frigidis, à vino generoso, & vaporosis caput implentibus omnibus, defatigatione, somno & vigiliis immodicis, venere, irâ, mœrore, aliisq; animi perturbationibus.*

34. *Deinde ad communes materias educendas; alvumq; lubricandam clysteres injiciuntur, quibus si loco purgantium crocus metallorum in loco quandoq; immisceatur, non infelix operatio speranda est. Si corpus plethoricum est, venæ sectio ex venis cubiti, saphenis aliisq; instituitur. Hinc minorativum aliquod eccoproticum pro primis viis liberandis exhibetur ex diacathol. diamanna, diasenna, diapruno, vel simil. fiunt potiones, boli, pilulæ ex aloë, hieris, &c.*

35. Suc-

35. *Succedit humorum concoctio, attenuatio, præparatio per oxym. simpl. & squill. syr. acetos. simpl. & comp. de stæch. de absint. de hyss. per aq. per apoz. &c. Quam excipiunt vacuantia ab initio leniora, diaphæn. Elect. Ind. hiera simpl. agar. trochis. pil. mastich. aleph. aureæ, sine quibus, fœtidæ: tandem ad diacoloc. scammon. & helleborismos acceditur. Excellit autem inter hæc quinta Ess. hellebori nigri.*

36. *Succenturiantur his, & humores ad cerebrũ ruentes avertunt, revellunt, & derivant venarum sectiones, hæmorrhoidum apertiones, sanguisugæ, cucurb. cum scarif. frictiones, & ligat. dolorif. clyster. acriores, suppositoria, apophlegmat. nasalia, masticat. gargarismi, & id genus plurima. Quibus machinationibus, si malum cedere recuset, diætis (ut vocant) hidroticis ac sudoriferis ex decoctis guajaci, chinæ, salsæ pariliæ, sassafrasiæ, &c. interpositis vacuationibus ex sennâ, polypod. helleb. ægri mancipantur. Si nec his succedit sanatio ad ferrum & ignem ex consil. Hipp. l. 8. aph. 8. acceditur. Huc spectant, cauteria, vesicatoria, rubificantia, trepanus, & hujus farinæ plurima.*

37. *His transactis reliquiæ discutiuntur, intemperies emendatur, & partes corroborantur. Huic usui destinata sunt ferè innumera, inter quæ agmen ducunt, rad. pœon. acori; pyrethri, aq. fl. tiliæ, cerasorum; lil. convall. lavend. calend. serpilli, conservæ rorisinar. stæchad. salv. beton. conditi cortices citri, myrobal. theriaca, mithrid. plerisarchon, diarrhodon abbatis, diacorum, diamuscum, cornu cervinum, monocerotis, ebur, corallia, margarit. ossa hum. cranii, ungula alcis poster. dextra, ungula asini, &c. in quibus posterioribus genuina curandi ratio ferè in solidum fundata est.*

38. *Cum enim morbum hunc astralem, occultum, malignum, Lunarem, Mercurialem, & vitriolatum esse probaverimus, talis quoq; cura principiis analoga, si loci angustia permitteret, subjungenda foret. Luna certè liquor viridis (ut reliqua taceam) cerebrum ita confortat, ut quasi novum restituat, tinctura verò elicitur ol. salviæ: idq; ex Anatomiâ viva. Luna enim est cerebrum externum, cerebrum Luna*

 inter-

interna. Æmulatur hanc saphirus azurinam, & cæruleam tincturam ab eadem mutuatus. Smaragdus non potus solum, sed collo etiam annexus cum Epil. tanquam hoste certat. Huc refer hyacinthos, granatos, jaspides, rubinos, Kermes, veras nempe tincturas, lapidem etiam cyaneum, & fructus alios maris, cumprimis corallia & margaritas, quarum magisteria & essentiæ admirandas exhibent virtutes.

39. Mercurialem diximus, quia in Mercurio vera Hermetica cura hujus mali consistit. Nam ut alias præparationes mittam, Aquila cœlestis Parac. & Phædr. deterget, mundat, rectificat totam sanguinis massam, balsamumq; naturalem instaurat, & tuetur. Cinabrium nativum Mercurii radix ac minera tantarum est virium, ut celeber. Crato magnetem Epil. vocare non sit veritus. Ex cinabrio antimonii & sublimati elevato præstantiss. paratur pulvis.

40. Vitriolatus est, & viridellus dicitur, quia vera spiritus vitrioli viridantis volatilitas atq; dulcedo verum est hujus morbi alexipharmacum. Spiritus antepilept. ex vitriolo, & sale urinæ puerorum infantum caducos felicissime persanat, iisdem vulgaris etiam, & ol. succini nonnunquam sufficiunt. Huc pertinent tartarum, sulphur, antimonium, & reliqua cognata.

41. Ex arte signatâ & proprietate insuper non parum conducunt essentia cerebri humani, cranium suspensi, inprimis ossiculum illud triquetrum in nonnullis inter commissuras magn. cruciferi repertum, pulverisatum, calcinatum (humidum enim primig. sic non perit) vel extractum. Sumendum autem maris cranium pro maribus, fæminæ pro fæm. non contra: essentia mumiæ & sanguinis: asini cerebrum, cranium, hepar, sanguis, lac, caro, testes, ungula, lien, secundinæ, stercus: cerebrum leporis, cameli: hepar vulpis, damulæ, canis senis fibras plures habens, milvi, mustelæ, muris, ranarum virid. cor ciconiæ, cervi, vulturis, lupi: dens majoris lupi: sanguis cervi, leporis, mustelæ, agni, vituli, testud. sylv. stercus cati pro masc. hirci, pavonis, cicon. ol. stercoris hum. Essentia secundinarum: Vesica apri calens cum urina exemta sic-

cata:

cata: testic. apri, ursi, suum, arietis, galli, castoris: fel ursi, canis: lapis hirundinum Luna crescente extractus: cinis hirund. mustelæ, talpæ, milvi, ranæ, vermiculi bedeguaris, & alia multa, quæ singula recitare nimis longum foret. Sic natura in minimis maxima ad socordiã nostram redarguendam occultavit, & uni morbo magnam remediorum farraginem opposuit. Delectus autem est penes Medicum prudentem naturæ ministrum.

42. *Non enim promiscuè prædicta in usum trahenda sunt, cùm maxima sit differentia morbi specierum, locorum, causarum, temperamenti, ætatis, sexus, temporum, anni, & reliquarũ circumstantiarum, quarũ in methodicâ curâ accurata habenda est ratio. Primaria namq; Epil. aliam requirit curam, quàm ea, quæ per consensum ventriculi fit: aliam ea; quæ fit ab ictu scorpionis, quàm à causis aliis: aliam vermes, aliam semen corruptum: aliam mas, aliam fœmina: aliam infans ab ubere pendens, aliam adultus exposcit tractationem. Alia ratione corpora crassa, frigida & pituitosa, aliâ macra & biliosa, vel sanguinea, aut melancholica sunt habenda, in quibus omnibus* σύνεσις, *& dexteritas Medici præcipuè elucet.*

43. *Quas ob res ipse quoq; Parac. in labyrintho varianda esse remedia pro elementorum diversitate admonet. Caducus enim ignis gravis profligatur essentiâ antimonii, in quo regeneratio philosophica fundatur, arcano hirund. aëris thereniabin, & plantag. aqua, ess. cristallii: viscus quercinus caducum terræ pellunt, semina & rad. pæon. crescente Lunâ, Sole in Leone radio sextili, aut trigono eam spectante effossa. Verùm hæ observationes cùm penè infinitæ sint, thesibus includi non possunt. Pro his igitur Deo sit laus & gloria in æternum.*

COROLLARIA.

1. CUm, ut Scribonius prodidit, pueri & virgines per complexum Venereum ab Epilepsiâ liberentur, quæritur an rectè, teste Macrob. Saturn. 2. in fine Hippocrates coitum parvam Epilepsiam appellaverit? A.

2. An soli homines Epilepsiâ laborent? N.

3. An aliqua detur Epilepsia, quæ motu careat? Dist.

4. Hydrargyrus in lue Venerea perunctis, si in cerebrū attrahatur, an Epilepsiam inducere possit? A.

5. Hipp. 2. Prorrh. 1. congenitam Epilepsiam ægrè eximi posse docet: Gal. l. 6. Epid. eam quæ à malâ diætâ oritur, medicamentis eximi posse, congenerem verò ultrò ætate domari asserit. Q. an pugnent? N.

6. An obstructio possit fieri à vapore? A.

7. An sint morbi totius substantiæ? A.

8. Num Epilepsia congenita non possit sanari ante annum vigesimum quintum? N.

9. Galenus pueris Epilepticis cœnam largiorem concedit: Avicenna negat. Diverso respectu.

10. An solutio auri vulgaris per corrosiva, ut sunt spiritus urinæ, salis, vitrioli, salis nitri, sulphuris, Mercurii, sachari, mellis, therebinthinæ, corticum arantiorum, limonum, & similium, sint veræ philosophicæ solutiones? N.

XVII.

DISQUISITIO HERMETICA,

De Origine Formarum è seminio virtute plastica instructo:

PRÆSIDE,

HENRICO PETRÆO, MED. D. ET PROFESSORE *Publico:*

Respondente,

Johanne Ulrico Grobio Tigurino Helvetio.

THESIS I.

UNiversa clades, quæ densis hactenus errorum tenebris naturalium rerum scientiam obscuravit, fœdeq; inquinavit ex hoc fonte vel

te vel maximè derivari mihi semper visa fuit, quod Ethnici Physici lumine gratiæ privati simplicius naturæ lumen præ speculationum argutiis superciliosè nimis aspernati sint.

2. *Quo singulari splendore destituti, & cæco quodam, ac temerario impetu sursum deorsumq; distracti, prætenues & inanes adeò causas, & principia usq; adeò lubrica, inconstantia, ac præpostera substraverunt, ut superstructa omnia à se invicem, & ab aliis discrepantia propriâ mole corruere necessum fuerit.*

3. *Hanc verò sapientiam Deus dedit sanctis suis, teste Eccles. cap. 42. ut omnia ipsius miracula, & magnalia enarrent, scrutentur omnia, abyssum etiam ipsam, & vestigia occultorum.*

4. *Dementiæ itaq; proximum foret clarissimæ indubitatæ veritatis lampadi gratiosè affulgenti Ægyptias tenebras: & perfectæ immotæq; scientiæ incomprehensam, sineq; nervis & articulis huc illuc fluctuantem opinionum confusionem anteponere: aut quorumlibet fucatis commentis quasi modò nascentes, aut alienæ libidinis mancipia temerè, ac serviliter obhæsitare.*

5. *Nos certè non nisi* ἰδίως, *sobriè, Christianè, rerumq; ipsarum essentiali veritati conformiter philosophari discupientes, simplices vel pauculas sententias è libro scripturæ juxta ac naturæ depromptas, unicaq; veritatis luce radiantes ingeniosissimis glossariorum mortuariorum nugis longissimè anteferre constitutum habemus.*

6. *Quod cùm alibi, tùm in intricatissimâ quæstione de ortu, & origine formarum ac virtute seminum ad generationem requisitâ omni conatu servabimus, quòd quidem consequentes firmissimum totius naturalis cognitionis fundamentum eruemus.*

7. *Quantumvis enim nec ipsa propriè forma, nec altera compositi pars materia seorsim generetur, ut accuratè vulgò Philosophi loquuntur, sed ipsum compositum ut subjectum quod: fieri tamen non potest generatio, nisi per formam ut principium quo. Hujus igitur quæ causa productiva sit intrinseca vel extrinseca, educens, vel inducens,*

 uni-

universalis vel particularis omnibus sagacibus naturæ sacerdotibus & ministris omni studio & sedulitate indagandum venit.

8. Reperiuntur quidem nonnulli, qui veluti unâ fideliâ omnes parietes dealbaturi ad primam statim causam causarum saltum faciunt; novas subinde formas à formarum Datore creari, inq; materiam imponi asserunt. Sed unico hoc argumento satis refutantur, quòd diversissimæ rationis & conditionis sint creatio è nihilo semel ab infinitâ Dei potentiâ peracta, & ordinaria generatio & propagatio ab eodem instituta.

9. Siquidem id quod creatur nihil aliud in quo fundari necesse habeat, præsupponit, sed per se esse, atq; subsistere valet. Formarum verò productio longè plura exposcit fulcimenta, nec ipsæ absq; materiali subjecto consistere possunt.

10. Vt nunc non dicam, quòd nulla juxta hos particularium agentium foret necessitas. At missos hujusmodi in præsentiarum faciemus: similes, vel absurdiores alios omnes silentio involvemus.

11. Politiores, quibus hanc nostram velitationem oppositam volumus, in duos abeunt diversos, imò adversos exercitus Ducum peritia, & claritate, nec non juratorum, & bellicosissimorum asseclarum copiis minimè contemnendos.

12. Alii enim sub amplissimo elementorum vexillo militantes, ex eorundem vix explicabili congressu, commensuratione, permixtione, & harmonica contemperatione, certaq; materiæ privatione informis per pravias qualitates alterativas adaptatione omnes omnium rerum specificas formas, potentias, qualitates, & actiones mirabili compendio educere annituntur.

13. Quæ opinio tam profundas in quorundam animis radices egit, ut ipsius etiam animæ rationalis (quod dictu horrendum, pene q; blasphemum est) cœlestem prosapiam ex corruptibili crasi derivare, & divinæ particulam auræ humi affligere, ejusq; immortalitatem in dubium revocare non erubuerint.

14. Hi

14. *Hi quidem brutorum more sensibus mancipati, cùm formas non nisi ascititiis corporum vestimentis obvelatas, veluti è gremio materiæ signatæ, in mundanum hoc proscenium prodire cernant, fascinatos oculos in crassis his involucrorum corticibus tanquam terræ filii tam pertinaciter defigunt, ut naturæ nucleum suavissimum attingere nunquam allaborent, quæq; superficiale sensuum arbitrium subterfugiunt à censu entium stolide relegent.*

15. *Alii sublimiore mentis indagine quod intra oculos, præq; manibus & pedibus est, non attendentes, cæli rimantur plagas: formas, primasq; substantias, potestates, & operationes ex nescio qua astrorum conjunctione, configuratione, lumine ac motu deducunt: quæ quidem causa universalis omnigenis formis prægnans quascunq; extrinsecus secum afferat, & in materiam concinnè duntaxat, ac convenienter apparatam, naturali quadam & inevitabili necessitate immittat, atq; infundat.*

16. *Hoc in errore diu pervagati aliqui in detestanda inciderunt deliramenta, ut opinati sint, quemadmodum ingenti mundi, totiusq; universi motione animantia primitùs orta sint; ita fortuito siderum conventu formas aliquando provenire posse, quæ in materiam ita imponantur, ut homines etiam hunc ad modum enasci queant.*

17. *Videtur autem errandi ansam his præbuisse, quòd ignorantes & abnegantes immensam Dei potentiam, & particularem providentiam, naturæq; inferioris inditam Creatoris bonitate durabilem fœcunditatem, cùm perpetuam generationum seriem, nec unquam interruptam formarum successionem animadverterent, nullum constans ac stabile fundamentum aliud reperire potuerunt.*

18. *Relictis igitur sublunaribus, species seu formas specificas à præstantissima cæli forma sua opinione sempiterna & incorruptibili in materiam inseri & invehi asseveraverunt. Circularis enim, ideoq; principio & fine carens, eademq; contraria mobilium cœlestium revolutio materiam sublunarem quovis Protheo mutabiliorem, & formarum*

marum vicissitudine gaudentem novis formis ornare posse non abs re visa fuit.

19. *Reverà tamen utriq; partim sensibus, partim ratione abusi à recto & simplice veritatis tramite longè lateq; exorbitant: de Deo omnipotente, soloq; sapiente naturæ opifice, ejusq; ordinariâ potestate, quæ ipsa est natura, nimis angustè, nimis frivolè, ne dicam impiè sentiunt: genuinas mutationum & generationum leges & processus planè pervertunt, atq; confundunt: totamq; pulcerrimam naturalium rerum scientiam inextricabilibus infinitarum dubitationum labyrinthis implicant.*

20. *Nam ut loci angustiâ conclusus uno quasi pugillo innumera comprehendam absurda priorem opinionem consequentia, quid à naturâ rerum, & veritate Philosophiæ nostratis animâ alienius, quàm formam ex materiâ, actum è potentiâ, motorem è moto, agens principale ex patiente, secundario, & instrumento, substantiam ex accidente? quid monstrosius, & distortius excogitari possit, quàm perfectum, præstantius, masculinum, prius, animatum, incorruptibile, dirigens, determinans ex imperfecto, nec nisi per formam perficiendo, ignobili, fœminino, posteriore, inanimato, caduco, directo, & determinato? quid impossibilius & absurdius, quàm spiritum è corpore, simplex è composito, lucem è tenebris, vitam è morte, ens ex non ente præposterè educi, vel quoquo modo exsculpi?*

21. *Forma profectò rei substantialis & specificæ, actus, sive ἐντελέχεια perfecta, natura potior, & præcipua pars essentiæ, seu λόγος οὐσίας, imò essentia penè tota, & definitio, principium constitutionis in certo gradu entis, individuationis (ut vocant) distinctionis, denominationis, operationum deniq; omnium longè antiquius, excellentius atq; potentius est principium, quàm ut ex fœdâ, lutulentâq; crassorum ac inertium elementorum colluvie, vel permutabili qualitatum confusarum crasi ullâ acutissimi ingenii acie extundi possit.*

22. *E contrario elementa ceu rudis materia formas imperfe-* ctissi-

ctissimas possidentia, nec ullâ vi formatrice, nec instrumentis aptis natis instructa, omniq; formarum favore destituta prorsus inefficacia, emortuaq; proprias ultra vires agere, quodq; non habent ipsa alteri conferre neutiquam valent.

23. *Formæ quinetiam ipsæ, si suam istis originem acceptam referunt, principii nomine vix dignæ censendæ sunt: nec his, sed istis tanta rerum, imò & ipsarummet varietas assignanda est: imò nulla prorsus erunt corporum discrimina, nec vires ab elementis diversæ, aut sublimiores, nec motus contrarii in eodem dabuntur, formaq; universæ ac singulæ ita materiæ erunt immersæ, & obstrictæ (mens etiam ipsa) ut ab hac cùm in essendo, tum in operando dependeant, unâq; intensionem, remissionem, & corruptionem subeant: quæ omnia missis nunc aliis tersis temperatorum Philosophorum auribus insueta, imò prorsus inaudita, atq; intolerabilia sunt. Valeat igitur formarum è materiæ potentiâ eductio.*

24. *Qui formas à cœlo, maximè verò à Sole formarum vectore profectas, in materiam idoneâ partium similarium temperaturâ, congruâ organicarum structurâ, spiritu toti perfuso, ac salutari calore adornatam forinsecus induci arbitrantur, remotissimam, generalem, externam, & adminiculantem causam assignantes generationum statuta planè confundunt, atq; evertunt: Deum ipsum, & naturam inferiorem, ac particularem, vim, rationem, vocem, jussumq; divinum contumeliâ afficiunt, & flocci pendunt: infelici & inexpiabili errore stellas in Dei locum substituunt: nihil ratum, nihil firmum, nihil stabile in naturalium cognitione tenent, semper in ancipiti, & eo stantes loco, à quo levi momento possint dimoveri.*

25. *Quippe si stare debeat hoc dogma (ut ex validissimis rationum momentis aliquot seligamus) nulla erit generatio vera, aut univoca, aut omninò nulla: nec genitum generanti erit simile, nedum specie idem, nec nomen ejus feret, sed stellæ formam potiorem largientis: astra omnis generis animabus gravida, imò animata, ac sensu prædita,*

ideaq; non modo extra mentem, sed ante & extra singularia deprehendentur: nec ulla erit particularium agentium ad generationem propriam requisitorum necessitas: nec ex determinato, ac determinatum, sed ex quolibet fiet quidlibet, & formæ foris introductæ artificialibus propinquiores quàm naturalibus evadent, ut absurditates alias θεο-λογίας ἕνεκα prætercam.

26. Negamus igitur διαρρήδην specificam cujusq; rei formam è potentia materiæ per prævias alterationes quantumvis elaboratæ educi: negamus itidem eandem à cœlo in materiam seminis beneficio ad illam excipiendam dignè fabrefactam induci.

27. Ex quo ergo fonte nos tandem nativam formarum originem expiscabimur, firmaq; ac tali assertione derivabimus, quæ Dei gloriæ, naturæ majestati, & doctrinæ Physicæ, hincq; manantis artis Medicæ perspicuitati, ac certitudini appositissima videatur? Ex viva omnis divinæ & humanæ sapientiæ scaturigine prima, ac sola, verbo nempe divinitus inspirato, indubitato τῶν πιστῶν ἅμα καὶ ἀπίστων criterio, quod Propheta Moses, Spiritus veritatis numine & lumine afflatus, fidelissimus Creatoris amanuensis, verissimusq; juxta ac antiquissimus historiæ naturalis scriptor, præterquàm quòd in omni Ægyptiorum sapientia ad miraculum usq; edoctus perhibetur, in suo de generatione libro consignatum reliquit.

28. Ecquod verò illud? Omnipotente Dei Verbo, & Spiritu Domini aquis incubante primis materiæ quasi rudimentis adumbratis, luce è tenebris exsplendescere jussa, factoq; expanso, segregato mari, ac elementis omnibus jam mixtis, distinctis, & constitutis dixit Deus: Herbescat terra herbulas, herbulas sementantes semen, arbores fructiferas edentes fructum, in quibus suum sit semen super terram, & fuit ita. Nam produxit terra herbulas sementantes semen in species suas, & arbores sementantes fructum, in quibus semen suum est in species suas: & vidit Deus id esse bonum; *Gen. I. c. v. II. 12.*

29. Cùm

29. *Cùm enim hic mundus adumbrata generationum perpetuitate æternitatis quandam imaginẽ referre deberet individuis subinde intercidentibus, ex optimi ac sapientissimi Conditoris beneplacito terrâ nascentia & crescentia omnia, non solùm fugaces fructus, verùm & semina, idq; ad speciei conservationem, suiq; propagationem protulerunt.*

30. *Eandem vegetabilium creationem divinus Vates, cap. 2. v. 5. 6. his verbis repetendo inculcat:* Fecit Jehovah Deus omnem stirpem agri, quæ nondũ fuisset futura in terrâ, omnemq; herbam agri, quæ nondum fuisset oritura: cùm non demisisset Jehovah Deus pluviam super terram, & nullus homo fuisset ad colendum terram, aut vapor ascendens è terrâ, qui irrigaret universam superficiem terræ.

31. *Quarto demum die, ut v. 14. & seq. cap. 1. describitur:* Fecit Deus luminaria in expanso cœli, & inter ea duo magna, ad distinctionem faciendum inter diem & noctem, & ad afferendum lucem super terram: ut sint in signa cum tempestatibus, tum diebus, & annis.

32. *Quapropter cùm liber vitæ, testamentum Altissimi scientiam veritatis continens expressis verbis testetur, quòd Sapientia ipsa herbas & arbores, seu totum genus vegetabile ex elemento terræ ab aquis denudato ante accensas cæli faces provocarit, & ex abysso in lucem produxerit, nec ipsorum genitalia semina in astris nondum creatis, sed in ipsismet stirpibus ad propriæ speciei sustentationem collocarit, quæ quæso ratio nos adigat, ut ea à vago cæli exercitu, ejusq; momentaneis, & vix satis exploratis positionibus mutuò petamus, cùm in ipso seminio divina ac immutabili virtute locupletato formæ originaliter delitescant, omniaq; in eo vigeant, quæ hic generationum & corruptionum mira vicissitudine fluere ac refluere videntur.*

33. *Id quod sanctum virum Esdram pensitâsse arbitror, cùm l. 4. c. 6. veluti obstupescens exclamat:* O Domine, loquens locutus

es, & tuum verbum opus perfectum, &c. Et tertiâ die imperâsti aquis congregari in septimâ parte terræ: sex verò partes siccâsti, ut ex his sint coram te ministrantia seminata à Deo, & culta. Verbum enim tuum processit, & opus statim fiebat. Processit enim subitò fructus multitudinis immensus, & concupiscentiæ gustus multiformes, & flores colore immutabili, & odores odoramenti investigabilis.

34. *Animalium vero prælustrius genus, & ipsum ex elementari massâ coagmentatum, ne aliquando interitu deficeret, prudentissimus Conditor vim seminis arcanam, florem naturæ mirabilem, vivaq; insignia formæ ipsis non modò indidit, sed efficaci insuper benedictione, ac promissione confirmavit, quibus viribus procreatricibus dotata in ævum gignendo se transmitterent, adeoq; continuata, & concatenata fieret omnium successio, & invisibilis ille communicatâ bonitate in operibus suis patentibus vestigiis conspiceretur, & coleretur.*

35. Creavit enim cetos maximos: & animantia omnia repentia, quæ abundè progenuêrunt aquæ in species ipsorum: omnesq; volucres alatas in species suas: viditq; Deus id esse bonum. Et benedixit eis Deus dicendo: fœtificate & augescite, & implete aquas per maria, & volucres augescunto in terrâ.

36. Deinde fecit bestias terrenas in species suas, & pecudes in species suas, omniaq; reptilia in species suas. *Postremò præmissâ deliberatione* hominem *omnium Dominum & compendium ex limo terræ formavit* ad imaginem suam: *cui licet* in nares spiraculum vitarum inspirâsset, quo factus est in animam viventem: tamen cùm masculum & fœmellam eos condidisset, *ipsorum quoq; semini vim multiplicatricem liberaliter impertivit hoc axiomate:* Crescite, & multiplicamini, & implete terram, & subjicite eam, & dominamini, &c. deditq; ipsis in cibum omnem herbam afferentem semen super terram, & universa ligna, quæ habent

habent in ſemetipſis ſementem ſui generis. Tum inſpexit Deus quicquid fecerat, & erat valde bonum.

37. Hucusq; recitata ſacratiſſima oracula adeò veneranda, adeò clara & perſpicua ſunt, ut demirari ſatis nequeam, qui fiat, quòd ſagaciſſimi viri ea non exactiùs intueantur, niſi multi παχυλῶς, & rudi Minervâ ea à Moſe prodita impudenter calumniari non vereantur. Mihi certè hæc ipſa perſuaſiſſimum reddunt, ut ἀναμφισβητήτως ſtatuam, ſpecies, formas, proprietates, qualitates, actiones, conformationes, ſitus, & ſignaturas cæteras primò & principaliter quidem à Dei operatione, benedictione, & ordinatione: deinde verò per communicatam potentiam à naturâ ſeminali tanquam Dei manu, & adminiſtrâ, in quâ vitam, eſſentiam, poteſtatem, totiusq; naturæ incomprehenſibilem & inexhauſtum theſaurum primordialiter, ac radicaliter infudit, unicè provenire, atq; dependere.

38. Hìc tamen exceptam velim νοῦν, ſive animam intelligentem, quam θεῖον τι, καὶ θύραθεν εἰσιέναι, creando infundi, & infundendo creari; aut (ut nonnulli acutiores ſentiunt) quoad οὐσίαν creari, quoad ὕπαρξιν, & exiſtentiam generari, ſeu potiùs ingenerari, aut congenerari facilè largior. Neq; id hoc in loco inveſtigandum, multò minus decidendum ſumere animus fuit.

39. Neq; verò eſt quod alicui in mentem venire queat, ordinem in prima creatione à Deo ſervatum, & inſtitutum, jam prorſus abolitum, aut immutatum eſſe, diſcedente ipſo architecto, & vicariis gubernationem tantam committente: ſed illud ipſum Dei verbum ineffabilis virtutis univerſum perſonans, & ſpiritus totam agitans molem in hunc uſq; temporis articulum, imò ad ipſius ſeculi conſummationem, & conſumptionem omnium abſq; ulla roboris & valoris imminutione aut amiſſione fortiſſimè perdurant: hanc legem inſitam, atq; innatam, hanc πεπρωμένην, hanc fatalem prædeſtinationem omnia quæcunq; ſunt, & fiunt, ultrò ſequuntur, & ex naturali neceſſitate obſervant.

40. *Hæc etenim natura vegetabilis, essentia quinta, elixir, & radix vitæ, hoc nobile germen, hoc lumen & numen naturæ à parente ἐκ παιδὸς hanc instructionem, scientiam, ac potentiam sortitum est, ut juxta præscriptas temporum locorumq; periodos cum explicationi naturæ incredibili fœcunditate parturientis inserviendum foret, inditissimo elementorum penuario quiescentia semina in mundanam hanc provinciam ad destinata officia, & vigilias suscitaret, promeret, ac promoveret.*

41. *Quæ à fonte unitatis progressa semina cùm in alio fundari necesse habeant, principiis activis, magnamq; potentiam obtinentibus stipatis involucra corporum eadem natura adjungit, elementa repugnantia concordi mixtionis lege ligat, materiam formis vestit, rebus mortuis vitam afflat, lucisq; imaginem inducit, causas omnes in alteratione, formatione & operatione largissimè confert, elementisq; crassis resolutis ac dissipatis nativum hoc calidum in exquisitiori humido primigenio externis injuriis inviolatum persistit, & individuorum renovatione speciei perpetuitatem custodit, nisi validioribus alterius radicis tincturis supervenientibus impediatur, unde generationis symptoma transplantatio accidit.*

42. *Quantumvis autem hoc vitale balsamum mole minimum, imò rectius invisibile, impalpabile, omniq; sensu incomprehensibile existat, nisi viciniorum receptaculorum medio oculis artificum repræsentetur: virtute tamen longè maximum se ostendit, adeò, ut paucissimæ seminis guttulæ integram totius speciei anatomiam & dispositionem contineant, (hinc tantillo emisso tanta virium jactura fit) unicumq; granulum ad innumera similibus doctibus aucta progerminanda sufficiat.*

43. *Semen animalium turgentis balsami effervescentia evibratum, inq; uteri agello miris illicibus & symbolicis illecebris id ipsum trahente, & amplexante conceptum, vitæ præsentaneæ munia statim exerit, vitalis balsami, & spirituum mechanicorum portionem secum afferens,*

afferens, singulorumq́; membrorum ideam, & principium in seipso cohibens: unde apud veteres à toto corpore decidi, & manare putabatur, & ab Epicuro apud Plutarch. de plac. Philos. l. 5. c. 3. ψυχῆς καὶ σώματος ἀπόσπασμα vocabatur.

44. *Contrahit igitur sese uteri moderato calore fotum, & excitatum, & alimentum initiò spirituosum (quod pallor matrum indicat) hinc corpulentum dulcissimum sanguinis materni attrahit, post assiduâ consentaneorum adjectione, dissentaneorum rejectione materiam distinguit, disponit, ordinat, partesq́; omnes ad functiones varias ritè obeundas necessarias delineat, & effingit, aptumq́; & integrum sibi parat domicilium simile illi è quo decessit.*

45. *Ad eundem ferè modum vegetabilium semina spiritû igneo, humidoq́; glutine pollentia simul ac matricem, & confluentiam idoneam nacta fuerint, disruptis vi fermentationis elementorum siliquis à compedibus actionum remoris liberata, depurataq́;, & exaltata homogeneos spiritus è terris asciscunt, heterogeneos repellunt, terrestrem adipem cum suis salsuginibus radicibus sugentia, foliisq́; cœlestem rorem sorbentia novas indies vires acquirunt, & ad universitatis imitationem ex iisdem elementis corpora sibi fabricant diversissimis signaturis, ac colorum, saporum, odorum, figurarum, proportionum ac similium illecebris sensui insidiaturis gloriosa.*

46. *Vt meritò cum Heraclito in casulâ sedente exclamandum nobis sit:* etiam hîc Dii sunt. *Et cum Poëta Pythagorico:*

Igneus est illis vigor, & cœlestis origo.

Nec non cum Christiano:

Præsentem ecce refert quælibet herba Deum.

47. *Quod si captum humanum excedentia seminum officia ac dona altius apud animum examinaverimus; evidentes characteres divinæ bonitatis, sapientiæ, & potentiæ, ejusq́; stupenda facta in umbris his emicantia, & divinæ majestatis magnalia, ac μεγάλου τοῦ φωτὸς μικρὰ τὰ ἀπαυγάσματα penitiùs & clariùs in his radiis perspicientes, suavissimam*

hanc

hanc contemplationem ad æterni Solis beatum aspectum denuo reflexam grato ac devoto animo libenter convertemus.

48. *Ad quam intelligentiam Salvator ipse cum sanctis suis Apostolis abductos nos vult, cum sementis, radicis, grani tritici, seminis sinapios, seminis humani, vitis, oleæ, aliisq; familiaribus exemplis crebrò utuntur. Nam ut nihil nunc de reliquis dicam, granum tritici vel simile in matrice putrefactum, & per elementorum separationem mortificatum, in novum progreditur corpus glorificatum, & infinitis viribus multiplicatum, id quod pulcerrimum verissimumq; futuræ resurrectionis, & glorificationis corporum nostrorum typum exhibet.*

49. *Quis igitur relictus est, qui semina vitâ plenissima, animaq; prædita esse non pervideat? quis non manibus palpet? quis veritatis tormentis coactus non fateatur? Adduximus irrefragabilem, & omni dubitatione majorem sacrosanctorum Oraculorum autoritatem: inseparabiles animæ viventis proprietates ab ipsa ejus essentia immediatè emanantes commemoravimus, qualitates, & operationes plasticas omnes in ipso semine contineri ad oculum demonstravimus: quis igitur subjectum adæquatum? quis causam propriam, proximam & continentē, puta ipsam animam ipsi semini inesse, & deberi denegabit?*

50. *Concedunt, ultroq; profitentur superioris opinionis patroni, interea donec forma exterius immigret, omni ornatus & perfectionis genere materiam instrui: ab aliquo igitur intus & qualitates, & quantitates, & numeros, & ordines, & situs adornari, adeoq; totum corpus fabrefieri necessitas jubet. Illud autem accidens non erit, sed substantia, eaq; non bruta, sed cognoscens.* Sapientissima enim ab omnibus judicata est tam nobilis templi architecta. *Et quia opera animæ propriissima profert, erit anima: nec alia ab ipsa seminis forma sponte emergente, ut acutissimè contra illos infert subtilissimus Scaliger exerc. 6. s. 5.*

51. *Nec nodum solvit, quod ad priorem opinionem fulciendam comminiscuntur δύναμιν materiæ suprà dictam non merè passivè se habe-*

habere, sed propensionem, & ἐπιτηδειότητα quandam ad formam complecti, & ex se ad ejus actionem excipiendam proclivitatem includere, quam si formarum incoationem nominaveris, nō multùm repugnant. Hæc enim ad veram essentiæ rei productionem, & univocam generationem nondum sufficiunt.

52. *Multò autem adhuc minus concursus ille, sive incursus, & formæ cum subjectâ materiâ conciliatio, concentus, & coalitus, quem doctissimus noster Fernelius pro posteriore parte salvandâ urget, satisfacit. Siquidem in præparatione illâ successivè per partes factâ, cujus gradus supremus ejusdem generis est cum præcedentibus, nulla potest esse perfectio, quæ post illam est, tantum abest, ut formam substantialem illiciat, aut comitem individuo nexu conjunctam secum attrahat: sed ipsa forma à generante quasi per traducem mediante semine ingenita, & velut lumen à lumine accensa matricem, materiam, & conspirationem adepta αὐτοφυῶς erumpit, & per actum secundum operationibus conspicuum per instrumenta sese manifestat.*

53. *Nec ulla nos impellit necessitas, ut cum Schegkio, Philosopho & Medico excellentissimo, in l. de plast. sem. fac. peculiarem λόγον πλαστικὸν, actum substantialem non primum, sed secundum, aliumq; ab animâ, separabilem, & generantis vicarium, ὑπόστασιν οὐσίας efficientem ἄυλον post formationem evanescentem imaginemur: quandoquidem easdem animæ proprias actiones illi attribuit, nec entia citra necessitatem plura in natura censum invehenda sunt, nec quicquam aboleri consentaneum est.*

54. *At quid opus est verbis? eadem prorsus in fœtus diaplasi præstat anima, quæ in partu jam perfecto, & edito in nutritione, accretione, & amissarum partium carnosarum restauratione. Sicut igitur ex sanguine caro non fit, nisi anima nutritiva sanguinem attrahat, carniq; apponat, agglutinet, assimilet, & sui promotione in novam materiam sese induens in substantiam nutriti conversum uniat: ita ab attracto menstruo viscus animatum absolvi nequit, nisi anima in semine*

actu recondita negotium totum moderetur, & qualitatum actionem determinet.

55. Maternæ porrò animæ qui hoc muneris deferunt, de oviparis & plantis interrogati obmutescunt, nec cur fœminæ absq; viris non concipiant, ovaq; subventanea infœcunda sint, rationem firmam afferunt.

56. Sic una eademq; numero anima vegetabilis, quæ primitùs in semine delitescens ex humore spiritibus imprægnato allecto individuum plantæ corpus extulit, quotannis ex radice novos surculos, folia, ramos, flores, & fructus protrudit, ac restituit.

57. Nec aliam ob causam plantæ ex parte à vivâ plantâ avulsâ radicibus, locustis, stolonibus, gummatibus, resinis, aut simili modo translatæ subolescunt, quàm quòd anima in omnes partes sparsa ad materiæ divisionem dividatur. Quo respectu Scaliger catelli animam canis patris animæ partem dicere non est veritus. Nam & ipse Aristoteles generationem viventis definit primam animæ nutritivæ cum calore naturali participationem.

58. Addo, quòd quæ sponte suâ, aut fortuitò, item quæ ex merâ putrefactione suboriri nobis videntur, nec illa omni penitus semine destitui, & orbari, sed plerunq; terram constantem matricem seminum myriadibus luxuriantem, vel aliud elementum occupâsse.

59. Mineralia demum, & metalla, licet obscurè admodum vivant, & corporum compactissimorum vinculis illigata, priusquàm expediantur, & in actum reducantur, vires suas exserere nequeant: tamen & ipsa ab hac fœcunditatis & benedictionis sorte exclusa nō sunt, sed in imis terræ visceribus non à solo cœlestium astrorum calore, sed ab intrinseco, & subterraneo naturæ Vulcano & Archæo ex sulphureis & mercurialibus vaporibus cogulantur, & maturantur.

60. Inficias interim ire nequaquam possumus, aut volumus, elementa de necessitate ad generationis lithurgiam, & absolutionem requiri.

requiri. Sunt enim loca, matrices, & domicilia, quæ ſeminibus & aſtris commodum exhibent domicilium, eademq́ vitali & validâ poteſtate communita. Materiam quoq́ & corpus peregrinantibus ſeminibus ſuppeditant, ſluxuiq́ ac reſluxui inſerviunt, ac naturæ fores claudunt. Præterea corporea elementa, balſamicâ tamen tincturâ perfuſa, ſpiritibus mechanicis alimenta præbent.

61. *Quamvis enim operationes admirabiles, occultæ, ac ſpecificæ, ſeminali tincturâ, & impreſſione validâ conſtantes ab ipſis formis* καθ' ἐντελέχειαν ἀμέσως *procedant: negari tamen nullatenus poteſt, abditas illas vires à qualitatibus manifeſtis primis & ſecundis ex cramate elementorum reſultantibus non parum adjuvari, & conſervari. Plurimæ quoq́ haud contemnendæ actiones à qualitatibus ſub ſenſum cadentibus proficiſcuntur, & materiæ conditionem reſipiunt: ita tamen, ut formæ ſint primarium, ac præcipuum operationum principium, hæ verò inſtrumenti & cauſæ ſine quâ non locum obtineant, velutiq́ legatorum comites & apparitores in expeditionibus aſſiſtant.*

62. *Ad alteram partem cœleſtia luminaria præſtantiſſimis formis perfuſa eſſe, horumq́ fructus, radios, & vivificos effluxus cum ſublunaribus his procreatis confluere, ac conſpirare, ſeq́ ad invicem fovere, & tueri, cùm in propatulo ſit, non diffitemur: verùm hîc non minùs quàm in microcoſmo Hippocraticum illud obtinere cenſemus:* ξύμπνοια μία, ξύῤῥοια μία, ξύνδεσις μία καὶ ξυμπάθεια πάντων.

63. *Hoc ipſum aurea Homeri catena, hoc Cœli, Opiſq́ matrimonium, hoc annuli Platonis, hoc perpetua Philoſophorum circulatio jamdudum deſignabant, eſſe ſpiritum quendam* ἐγκύκλιον *ſidereum, ancipitis mediæq́ naturæ per omnia diffuſum, qui ſuperiora inferioribus, inviſibilia viſibilibus, ſpiritualia corporeis & vice verſâ connectat, omniaq́ in unitate & concordiâ contineat.*

64. *Quandoquidem Sol Boni filius, magnæ Planeta potentiæ, Dux lucis, & caloris vitalis fons, Lunaq́ ipſius æmula humorum domina cum reliquis luminibus minoribus erraticis, & fixis, maſculinâ*

vel fœminina, æstivâ vel hyemali influentiâ præditis, suo per Zodiacum cursu, suo ortu & interitu, congressu, & discessu necessaria sunt digestionum instrumenta: quæ inferiora hæc agitant, movent, & latentes formas exuscitant, benigno roris, mannæ, thereniabin, & pluviarum nectare, blandissimoq; Zephyrorum genitalium, & teporis verni afflatu, ac gratâ temporum vicissitudine fœcundant, & ab extra opitulando, & obstetricando formas ad actus secundos perducunt.

65. *Hinc* φιλία καὶ νεῖκος, *miranda, & imperscrutabilis rerum sympathia, & antipathia, consensus, & dissidium, discors concordia,* φιλέχθρεια *oboritur, quò fit, ut animalium humores superioribus lationibus obnoxii ad illorum motionem permutentur, certisq; astris surgentibus certæ plantæ enascantur, iisdemq; occidentibus decidant.* Verissimum enim est, sine mendacio certum, & verissimum, *quod Hermes noster Trismosynus in tabulâ smaragdinâ conceptis verbis asseverat:* Superiora sunt sicut inferiora, & inferiora sicut superiora.

66. *Nihil enim (ut Cabalistæ tradunt) in veritate Deus creavit superius, quin eidem simulacrum aliquod creaverit inferius: nihil creavit in spiritu invisibiliter, quin in corpore aliquo idipsum adumbraverit visibiliter, ut per corpus umbræ patentis perveniamus ad cognitionem spiritus latentis, & per effigiem apparentis inferius ad noticiam reapse existentis superius.*

67. *Quam utriusque mundi alternatam cohæsionem pulcrè Scaliger astruit, cùm inquit:* Formæ inferiores à superioribus foventur, & superiores inferiorum benignitate non destituuntur. *Istius etiam dependentiæ modum idem exprimit:* pendent hæc nostratia à superioribus non propter univocam effectuū communionem, sed propter ęquivocam connexionem. Sunt enim superiora quasi formæ conservatrices inferiorum. Quia hæc causa ipsa causarum tuetur ea, quæ fecit, per ea, quæ fecit.

68. *Hoc sensu non adeò repudianda videtur veterum Sapientum theoria, qui formas rerum, & virtutes principiò ab ideis in mente divi-*

divinâ eminentibus prodeuntes, deinde intelligentiis administris stellis communicari, & ab his maximè à Sole cæli corde, & lumine masculo, hinc à Lunâ veluti matre susceptas & collectas per spiritus ætherei vehiculum in elementa tanquam δοχεῖα, & ab his in universum mundi corpus, ventremq́; & centrum terræ per ventum prolificum, & aquarum lapsus ceu genitale semen immitti, & minerali naturæ primùm agglutinari, hinc in vegetabilem, & animalem transire: rursus autem mediatoribus illis sublatis à corporibus resolutas, & emeritas, per gradus ad pristinos fontes regredi, atq; reverti: quæ tamen sobriâ intellectione adjuvanda esse reputamus.

69. *Scilicet isti omnes invisibilem Solem, ignem cuncta generantem, incombustibile sulphur, lineam viridem benedictam ubiq; gyrantem, mumiam, & balsamum felicioris naturæ, salem liquoris à putredine corpora præservantem,* τὸ θεῖον, τὸ ἔμβιον τῆς φύσεως, *fabrum occultum, cælum inferius intrinsecum, astraq́; propria non minùs in reliquorum elementorum sinubus, & abyssis potestatibus occultata, quàm in visibili firmamento corporeâ formâ Creatoris benignitate repræsentata magno consensu agnoverunt, & tradiderunt.*

70. *Abundè sufficere possent, quæ strictim huc usq; disseruimus ad dona tam divitis naturæ seminalis delibanda, & adumbranda: attamen superpondii loco præcipuos Philosophorum omnium temporum coryphæos in medium chorum adducemus, qui non modò pedibus in hanc nostram sententiam iverunt, verùm etiam delitiis hisce tanquam elegantibus veritatis flosculis sua scripta passim asperserunt, licet ab interpretibus non rarò in diversos alienosq́; sensus detorta, ac pertracta fuerint.*

71. *Hermes ille termaximus Philosophorum pater, quem inter philosophos* θεολογίζειν *non injuriâ dixeris, ut pleraq; sacris literis non multùm absimilia protulit, ita spiritum fœcunditatis autorē per omnia ferri, cùm alibi, tum in l. 2. qui Asclepias inscribitur, disertè affirmat, eumq́; mirificis encomiis extollit:* Spiritu agitur, & gubernatur

 omnis

omnis in orbe ſpiritus: ſpiritus implet omnia, mundus nutrit corpora, ſpiritus animat: ſpiritu miniſtrantur omnia, & vegetantur in mundo. Hoc ſpiritu omnia indigent, omnia enim portat pro cujuſq; dignitate, omnia vivificat, & alit: A fonte ſancto producitur vitâ & ſpiritu fœcundiſſimus.

72. *Divinus Plato* λόγον *illum* σπερματικὸν *hinc inde, præcipuè in Timæo his verbis manifeſtè aſſerit.* Cùm igitur Deus ſempiternum hunc mundum condidiſſet, rationum quædam ſemina ipſi indidit, & vitæ exordium divinitus induxit, ut cum mundo vim quoque procreatricem gigneret. *Quæ de animâ mundi, primaq; materiâ, & ideis ſparſim habet, brevitatis ſtudio non attingo.*

73. *Dictator noſter Hippocrates repudiatis manifeſtarum qualitatum hypotheſibus* τὸ θεῖον θερμὸν omnia audientis, intelligentis, & animadvertentis, ignisq; triplices circuitus facientis, Solis, Lunæ, & aſtrorū revolutiones imitantis *proprietates, poteſtates, opera, totumq; mechanicū generationis & augmentationis proceſſum, in l. de diætâ, de vet. Medic. &* περὶ ἀρχῶν *graphicè, ſatisq; prolixè deſcribit, ad cujus lectionem quotidianam Philoſophicæ Medicinæ cultores remitto.*

74. *Naturæ genius Ariſtoteles hoc principium ſpeciei cauſam quamplurimis in locis haud obſcurè prodit, ſeminiq; tanquā agenti univoco, & artifici vitam, animam* θρεπτικὴν, *quâ vita continuatur,* κίνησιν *ad generationem,* ἀρχὴν, *& vim corporis conditricem liberaliter indulget. Cujus dogmatis uberrima argumenta nobis præ aliis ſuppeditat egregius ille locus, qui ſub finem 3. c. de gen. anim. l. 2. occurrit, aureis aſteriſcis notandus:* Omnis animæ poteſtas alterius cujuſdam corporis particeps eſſe apparet, ejusq; divinioris, quàm quæ elementa appellantur. Et quemadmodum nobilitate, obſcuritatéve animæ inter ſe diſcrepant; ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in ſe ſemen cujuſq; fœcunditatis ſuæ cauſam, nempe ipſum calorem, qui igneus minimè eſt, neq; id generis facultatem aliquam æmulatur: ſed ſpiritus, qui in ſemine,

mine, spumanteq; corpore coërcetur: & natura, quæ in eo inest spiritu, proportione respondet elemento stellarũ. Quamobrem ignis nullum generat animal, neq; constitui quicquam densis, vel siccis, vel humidis videtur. At verò Solis calor, & animalium, non modò qui in semine continetur, verùm etiam si quid excrementi sit, quanquam diversum à naturâ, tamen id quoq; principium habet vitale. Itaq; dura, mollia, lenta, rigida, aspera, lævia caloris & frigoris vi effici possunt. At propria cujusq; ratio & essentia nequaquam ex elementis emergit.

75. Neq; verò ab hac tuendæ veritatis provinciâ nos deterrent speciosæ antagonistarum objectiones & instantiæ ex ejusdem autoris pharetrâ emissæ. Dicit enim (quod palmarium esse putant) animam δυνάμει in semine inesse, semenq; potentia esse animatum: Ergo non actu, subinferunt. Dictum illud cum Scaligero putamus, non quia anima indigeat aliqua substantia sese eliciente, & ad actum deducente, ac perficiente: esset enim incoata, nec ab alio nisi similem actum habente, deduci posset: sed quia caret instrumentis expressis, quæ sunt in ejus potestate, & semen est potens dare formam, quam in se continet. Nam semen est actu semen per formam in actu, sed quia propter animal est, icircò dicitur animal esse potentiâ: ob eam causam forma seminis est in potentia ad animal, sed non ad semen.

76. Distinguendum autem probè est inter actum primum, seu formam essentialem, ejusq; δύναμιν ἰσοπάλην planè ἀχώριστον, & actum secundum, qui à temperamento, tanquam instrumento dependet, & operationes respicit. Forma substantialis in semine non de novo generatur, sed actu primo, & essentia tota ac integra jam ante inhabitat. Res verò ipsa, seu compositum ab interiore forma proseminatum actu secundo, seu posteriore, respectu molis corporeæ ex miscibilium alteratorũ unione, & qualitatum harmonia resultantis operationibus & usibus perficitur, adeóq; forma in subjecto ad sensum manifestatur.

77. Perficitur igitur non prima, sed secunda potentia quodammodo

omnis in orbe ſpiritus: ſpiritus implet omnia, mundus nutrit corpora, ſpiritus animat: ſpiritu miniſtrantur omnia, & vegetantur in mundo. Hoc ſpiritu omnia indigent, omnia enim portat pro cujuſq; dignitate, omnia vivificat, & alit: A fonte ſancto producitur vitâ & ſpiritu fœcundiſſimus.

72. *Divinus Plato λόγον illum σπερματικὸν hinc inde, præcipuè in Timæo his verbis manifeſtè aſſerit.* Cùm igitur Deus ſempiternum hunc mundum condidiſſet, rationum quædam ſemina ipſi indidit, & vitæ exordium divinitus induxit, ut cum mundo vim quoque procreatricem gigneret. *Quæ de animâ mundi, primaq́; materiâ, & ideis ſparſim habet, brevitatis ſtudio non attingo.*

73. *Dictator noſter Hippocrates repudiatis manifeſtarum qualitatum hypotheſibus τὸ θεῖον θερμὸν* omnia audientis, intelligentis, & animadvertentis, ignisq; triplices circuitus facientis, Solis, Lunæ, & aſtrorũ revolutiones imitantis *proprietates, poteſtates, opera, totumq́; mechanicũ generationis & augmentationis proceſſum, in l. de diætâ, de vet. Medic. & περὶ ἀρχῶν graphicè, ſatisq́; prolixè deſcribit, ad cujus lectionem quotidianam Philoſophicæ Medicinæ cultores remitto.*

74. *Naturæ genius Ariſtoteles hoc principium ſpeciei cauſam quamplurimis in locis haud obſcurè prodit, ſeminiq́; tanquã agenti univoco, & artifici vitam, animam θρεπτικὴν, quâ vita continuatur, κίνησιν ad generationem, ἀρχὴν, & vim corporis conditricem liberaliter indulget. Cujus dogmatis uberrima argumenta nobis præ aliis ſuppeditat egregius ille locus, qui ſub finem 3. c. de gen. anim. l. 2. occurrit, aureis aſteriſcis notandus:* Omnis animæ poteſtas alterius cujuſdam corporis particeps eſſe apparet, ejusq; divinioris, quàm quæ elementa appellantur. Et quemadmodum nobilitate, obſcuritatéve animæ inter ſe diſcrepant; ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in ſe ſemen cujuſq; fœcunditatis ſuæ cauſam, nempe ipſum calorem, qui igneus minimè eſt, neq; id generis facultatem aliquam æmulatur: ſed ſpiritus, qui in ſemine,

mine,ſpumanteq; corpore coërcetur: & natura, quæ in eo ineſt ſpiritu, proportione reſpondet elemento ſtellarũ. Quamobrem ignis nullum generat animal, neq; conſtitui quicquam denſis, vel ſiccis, vel humidis videtur. At verò Solis calor, & animalium, non modò qui in ſemine continetur, verùm etiam ſi quid excrementi ſit, quanquam diverſum à naturâ, tamen id quoq; principium habet vitale. Itaq; dura, mollia, lenta, rigida, aſpera, lævia caloris & frigoris vi effici poſſunt. At propria cujuſq; ratio & eſſentia nequaquam ex elementis emergit.

75. *Neq; verò ab hac tuendæ veritatis provinciâ nos deterrent ſpecioſæ antagoniſtarum objectiones & inſtantiæ ex ejuſdem autoris pharetrâ emiſſæ. Dicit enim (quod palmarium eſſe putant) animam* δυνάμει *in ſemine ineſſe, ſemenq; potentia eſſe animatum: Ergo non actu, ſubinferunt. Dictum illud cum Scaligero putamus, non quia anima indigeat aliqua ſubſtantia ſeſe eliciente, & ad actum deducente, ac perficiente: eſſet enim incoata, nec ab alio niſi ſimilem actum habente, deduci poſſet: ſed quia caret inſtrumentis expreſſis, quæ ſunt in ejus poteſtate, & ſemen eſt potens dare formam, quam in ſe continet. Nam ſemen eſt actu ſemen per formam in actu, ſed quia propter animal eſt, icircò dicitur animal eſſe potentiâ: ob eam cauſam forma ſeminis eſt in potentia ad animal, ſed non ad ſemen.*

76. *Diſtinguendum autem probè eſt inter actum primum, ſeu formam eſſentialem, ejusq;* δύναμιν ποιώδη *planè* ἀχώριστον, *& actum ſecundum, qui à temperamento, tanquam inſtrumento dependet, & operationes reſpicit. Forma ſubſtantialis in ſemine non de novo generatur, ſed actu primo, & eſſentia tota ac integra jam ante inhabitat. Res verò ipſa, ſeu compoſitum ab interiore forma proſeminatum actu ſecundo, ſeu poſteriore, reſpectu molis corporeæ ex miſcibilium alteratorũ unione, & qualitatum harmonia reſultantis operationibus & uſibus perficitur, adeoq; forma in ſubjecto ad ſenſum manifeſtatur.*

77. *Perficitur igitur non prima, ſed ſecunda potentia quodam-*

modo

omnis in orbe ſpiritus: ſpiritus implet omnia, mundus nutrit corpora, ſpiritus animat: ſpiritu miniſtrantur omnia, & vegetantur in mundo. Hoc ſpiritu omnia indigent, omnia enim portat pro cujuſq; dignitate, omnia vivificat, & alit: A fonte ſancto producitur vitâ & ſpiritu fœcundiſſimus.

72. *Divinus Plato λόγον illum σπερματικὸν hinc inde, præcipuè in Timæo his verbis manifeſtè aſſerit.* Cùm igitur Deus ſempiternum hunc mundum condidiſſet, rationum quædam ſemina ipſi indidit, & vitæ exordium divinitus induxit, ut cum mundo vim quoque procreatricem gigneret. *Quæ de animâ mundi, primaq; materiâ, & ideis ſparſim habet, brevitatis ſtudio non attingo.*

73. *Dictator noſter Hippocrates repudiatis manifeſtarum qualitatum hypotheſibus τὸ θεῖον θερμὸν* omnia audientis, intelligentis, & animadvertentis, ignisq; triplices circuitus facientis, Solis, Lunæ, & aſtrorũ revolutiones imitantis *proprietates, poteſtates, opera, totumq; mechanicũ generationis & augmentationis proceſſum, in l. de diætâ, de vet. Medic. & περὶ σαρκῶν graphicè, ſatisq; prolixè deſcribit, ad cujus lectionem quotidianam Philoſophicæ Medicinæ cultores remitto.*

74. *Naturæ genius Ariſtoteles hoc principium ſpeciei cauſam quamplurimis in locis haud obſcurè prodit, ſeminiq; tanquã agenti univoco, & artifici vitam, animam θρεπτικὴν, quâ vita continuatur, κίνησιν ad generationem, ἀρχὴν, & vim corporis conditricem liberaliter indulget. Cujus dogmatis uberrima argumenta nobis præ aliis ſuppeditat egregius ille locus, qui ſub finem 3. c. de gen. anim. l. 2. occurrit, aureis aſteriſcis notandus:* Omnis animæ poteſtas alterius cujuſdam corporis particeps eſſe apparet, ejusq; divinioris, quàm quæ elementa appellantur. Et quemadmodum nobilitate, obſcuritatéve animæ inter ſe diſcrepant: ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in ſe ſemen cujuſq; fœcunditatis ſuæ cauſam, nempe ipſum calorem, qui igneus minimè eſt, neq; id generis facultatem aliquam æmulatur: ſed ſpiritus, qui in ſemine,

mine, spumanteq; corpore coërcetur: & natura, quæ in eo inest spiritu, proportione respondet elemento stellarũ. Quamobrem ignis nullum generat animal, neq; constitui quicquam densis, vel siccis, vel humidis videtur. At verò Solis calor, & animalium, non modò qui in semine continetur, verùm etiam si quid excrementi sit, quanquam diversum à naturâ, tamen id quoq; principium habet vitale. Itaq; dura, mollia, lenta, rigida, aspera, lævia caloris & frigoris vi effici possunt. At propria cujusq; ratio & essentia nequaquam ex elementis emergit.

75. *Neq; verò ab hac tuendæ veritatis provinciâ nos deterrent speciosæ antagonistarum objectiones & instantiæ ex ejusdem autoris pharetrâ emissæ. Dicit enim (quod palmarium esse putant) animam* δυνάμει *in semine inesse, semenq; potentia esse animatum: Ergo non actu, subinferunt. Dictum illud cum Scaligero putamus, non quia anima indigeat aliqua substantia sese eliciente, & ad actum deducente, ac perficiente: esset enim incoata, nec ab alio nisi similem actum habente, deduci posset: sed quia caret instrumentis expressis, quæ sunt in ejus potestate, & semen est potens dare formam, quam in se continet. Nam semen est actu semen per formam in actu, sed quia propter animal est, idcircò dicitur animal esse potentiâ: ob eam causam forma seminis est in potentia ad animal, sed non ad semen.*

76. *Distinguendum autem probè est inter actum primum, seu formam essentialem, ejusq;* δύναμιν ποιητικὴν *planè* ἀχώριστον, *& actum secundum, qui à temperamento, tanquam instrumento dependet, & operationes respicit. Forma substantialis in semine non de novo generatur, sed actu primo, & essentia tota ac integra jam ante inhabitat. Res verò ipsa, seu compositum ab interiore forma proseminatum actu secundo, seu posteriore, respectu molis corporeæ ex miscibilium alteratorũ unione, & qualitatum harmonia resultantis operationibus & usibus perficitur, adeoq; forma in subjecto ad sensum manifestatur.*

77. *Perficitur igitur non prima, sed secunda potentia quodammodo*

omnis in orbe ſpiritus: ſpiritus implet omnia, mundus nutrit corpora, ſpiritus animat: ſpiritu miniſtrantur omnia, & vegetantur in mundo. Hoc ſpiritu omnia indigent, omnia enim portat pro cujuſq; dignitate, omnia vivificat, & alit: A fonte ſancto producitur vitâ & ſpiritu fœcundiſſimus.

72. *Divinus Plato λόγοι illum σπερματικὸν hinc inde, præcipuè in Timæo his verbis manifeſtè aſſerit.* Cùm igitur Deus ſempiternum hunc mundum condidiſſet, rationum quædam ſemina ipſi indidit, & vitæ exordium divinitus induxit, ut cum mundo vim quoque procreatricem gigneret. *Quæ de animâ mundi, primaq; materiâ, & ideis ſparſim habet, brevitatis ſtudio non attingo.*

73. *Dictator noſter Hippocrates repudiatis manifeſtarum qualitatum hypotheſibus τ̃ θείου θερμοῦ* omnia audientis, intelligentis, & animadvertentis, igniſq; triplices circuitus facientis, Solis, Lunæ, & aſtrorũ revolutiones imitantis *proprietates, poteſtates, opera, totumq; mechanicũ generationis & augmentationis proceſſum, in l. de diætâ, de vet. Medic. & περὶ ἀρχῶν graphicè, ſatiſq; prolixè deſcribit, ad cujus lectionem quotidianam Philoſophicæ Medicinæ cultores remitto.*

74. *Naturæ genius Ariſtoteles hoc principium ſpeciei cauſam quamplurimis in locis haud obſcurè prodit, ſeminiq; tanquã agenti univoco, & artifici vitam, animam θρεπτικὴν, quâ vita continuatur, κίνησιν ad generationem, ἀρχὴν, & vim corporis conditricem liberaliter indulget. Cujus dogmatis uberrima argumenta nobis præ aliis ſuppeditat egregius ille locus, qui ſub finem 3. c. de gen. anim. l. 2. occurrit, aureis aſteriſcis notandus:* Omnis animæ poteſtas alterius cujuſdam corporis particeps eſſe apparet, ejuſq; divinioris, quàm quæ elementa appellantur. Et quemadmodum nobilitate, obſcuritatéve animæ inter ſe diſcrepant: ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in ſe ſemen cujuſq; fœcunditatis ſuæ cauſam, nempe ipſum calorem, qui igneus minimè eſt, neq; id generis facultatem aliquam æmulatur: ſed ſpiritus, qui in ſemine,

mine,ſpumanteq; corpore coërcetur: & natura, quæ in eo ineſt ſpiritu, proportione reſpondet elemento ſtellarũ. Quamobrem ignis nullum generat animal, neq; conſtitui quicquam denſis, vel ſiccis, vel humidis videtur. At verò Solis calor, & animalium, non modò qui in ſemine continetur, verùm etiam ſi quid excrementi ſit, quanquam diverſum à naturâ, tamen id quoq; principium habet vitale. Itaq; dura, mollia, lenta, rigida, aſpera, lævia caloris & frigoris vi effici poſſunt. At propria cujuſq; ratio & eſſentia nequaquam ex elementis emergit.

75. Neq; verò ab hac tuendæ veritatis provinciâ nos deterrent ſpecioſæ antagoniſtarum objectiones & inſtantiæ ex ejuſdem autoris pharetrâ emiſſæ. Dicit enim (quod palmarium eſſe putant) animam δυνάμει *in ſemine ineſſe, ſemenq; potentia eſſe animatum : Ergo non actu, ſubinferunt. Dictum illud cum Scaligero putamus, non quia anima indigeat aliqua ſubſtantia ſeſe eliciente, & ad actum deducente, ac perficiente: eſſet enim incoata, nec ab alio niſi ſimilem actum habente, deduci poſſet; ſed quia caret inſtrumentis expreſſis, quæ ſunt in ejus poteſtate, & ſemen eſt potens dare formam, quam in ſe continet. Nam ſemen eſt actu ſemen per formam in actu, ſed quia propter animal eſt, ideircò dicitur animal eſſe potentiâ: ob eam cauſam forma ſeminis eſt in potentia ad animal, ſed non ad ſemen.*

76. Diſtinguendum autem probè eſt inter actum primum, ſeu formam eſſentialem, ejusq; δυνάμει ἐνεργὸν *planè* ἀχώριστον, *& actum ſecundum, qui à temperamento, tanquam inſtrumento dependet, & operationes reſpicit. Forma ſubſtantialis in ſemine non de novo generatur, ſed actu primo, & eſſentia tota ac integra jam ante inhabitat. Res verò ipſa, ſeu compoſitum ab interiore forma proſeminatum actu ſecundo, ſeu poſteriore, reſpectu molis corporeæ ex miſcibilium alteratorũ unione, & qualitatum harmonia reſultantis operationibus & uſibus perficitur, adeóq; forma in ſubjecto ad ſenſum manifeſtatur.*

77. Perficitur igitur non prima, ſed ſecunda potentia quodammodo

omnis in orbe spiritus: spiritus implet omnia, mundus nutrit corpora, spiritus animat: spiritu ministrantur omnia, & vegetantur in mundo. Hoc spiritu omnia indigent, omnia enim portat pro cujusq; dignitate, omnia vivificat, & alit: A fonte sancto producitur vitâ & spiritu fœcundissimus.

72. *Divinus Plato* λόγοι *illum* σπερματικὸν *hinc inde, præcipuè in Timæo his verbis manifestè asserit.* Cùm igitur Deus sempiternum hunc mundum condidisset, rationum quædam semina ipsi indidit, & vitæ exordium divinitus induxit, ut cum mundo vim quoque procreatricem gigneret. *Quæ de animâ mundi, primaq; materiâ, & ideis sparsim habet, brevitatis studio non attingo.*

73. *Dictator noster Hippocrates repudiatis manifestarum qualitatum hypothesibus* τὸ θεῖον θερμὸν omnia audientis, intelligentis, & animadvertentis, ignisq; triplices circuitus facientis, Solis, Lunæ, & astrorũ revolutiones imitantis *proprietates, potestates, opera, totumq; mechanicũ generationis & augmentationis processum, in l. de diætâ, de vet. Medic. &* περὶ ἀρχῶν *graphicè, satisq; prolixè describit, ad cujus lectionem quotidianam Philosophicæ Medicinæ cultores remitto.*

74. *Naturæ genius Aristoteles hoc principium speciei causam quamplurimis in locis haud obscurè prodit, seminiq; tanquã agenti univoco, & artifici vitam, animam* θρεπτικὴν, *quâ vita continuatur,* κίνησιν *ad generationem,* ἀρχὴν, *& vim corporis conditricem liberaliter indulget. Cujus dogmatis uberrima argumenta nobis præ aliis suppeditat egregius ille locus, qui sub finem 3. c. de gen. anim. l. 2. occurrit, aureis asteriscis notandus:* Omnis animæ potestas alterius cujusdam corporis particeps esse apparet, ejusq; divinioris, quàm quæ elementa appellantur. Et quemadmodum nobilitate, obscuritatéve animæ inter se discrepant; ita & natura ejus corporis differt. Continet enim in se semen cujusq; fœcunditatis suæ causam, nempe ipsum calorem, qui igneus minimè est, neq; id generis facultatem aliquam æmulatur: sed spiritus, qui in semine,

mine,ſpumanteq; corpore coërcetur: & natura, quæ in eo in-
eſt ſpiritu, proportione reſpondet elemento ſtellarũ. Quam-
obrem ignis nullum generat animal,neq; conſtitui quicquam
denſis, vel ſiccis, vel humidis videtur. At verò Solis calor, &
animalium,non modò qui in ſemine continetur, verùm etiam
ſi quid excrementi ſit, quanquam diverſum à naturâ, tamen id
quoq; principium habet vitale.Itaq; dura, mollia,lenta,rigida,
aſpera, lævia caloris & frigoris vi effici poſſunt. At propria cu-
juſq; ratio & eſſentia nequaquam ex elementis emergit.

75. Neq; verò ab hac tuendæ veritatis provinciâ nos deterrent ſpecioſæ antagoniſtarum objectiones & inſtantiæ ex ejuſdem autoris pharetrâ emiſſæ. Dicit enim (quod palmarium eſſe putant) animam δυνάμει *in ſemine ineſſe, ſemenq; potentia eſſe animatum : Ergo non actu, ſubinferunt. Dictum illud cum Scaligero putamus, non quia anima indigeat aliqua ſubſtantia ſeſe eliciente, & ad actum deducente, ac perficiente: eſſet enim incoata, nec ab alio niſi ſimilem actum habente, deduci poſſet: ſed quia caret inſtrumentis expreſſis, quæ ſunt in ejus poteſtate, & ſemen eſt potens dare formam, quam in ſe continet. Nam ſemen eſt actu ſemen per formam in actu, ſed quia propter animal eſt, iccirco dicitur animal eſſe potentiâ: ob eam cauſam forma ſeminis eſt in potentia ad animal, ſed non ad ſemen.*

76. Diſtinguendum autem probè eſt inter actum primum, ſeu formam eſſentialem, ejuſq; δύναμιν ποιοῦσαν *planè* ἀχώριστον*, & actum ſecundum, qui à temperamento, tanquam inſtrumento dependet, & operationes reſpicit. Forma ſubſtantialis in ſemine non de novo generatur, ſed actu primo, & eſſentia tota ac integra jam ante inhabitat. Res verò ipſa, ſeu compoſitum ab interiore forma proſeminatum actu ſecundo, ſeu poſteriore, reſpectu molis corporeæ ex miſcibilium alteratorũ unione, & qualitatum harmonia reſultantis operationibus & uſibus perficitur, adeoq; forma in ſubjecto ad ſenſum manifeſtatur.*

77. Perficitur igitur non prima, ſed ſecunda potentia quodam-

modo

modò accidentalis ab actu secundo, & functionibus, deestq́; semini non illa ab animâ, sed hæc à corporis structurâ, partiumq́; compositione integritas, quod obstat, quò minùs semen perfecta planta, vel animal denominari soleat.

78. Semen ex numero efficientium esse apud omnes in confesso est: actu igitur operabitur, actu existet, & inerit. Nec aliud agens adæquatum immediatè cum generato, dum actio fit, conjungitur, quàm semen. Id verò à quo semen communicatum fuit, vel longè abesse, vel periisse potest, ut in ovis clibani calore exclusis, aliisq́; animalibus & plantis dato semine separatis, vel emortuis.

79. Semen igitur, seu spiritus potiùs proportione elemento stellarum respondens in spumoso seminis corpore exsplendescens, sine quo semina esse nequeunt, actu vivens, & animatus, sagacissimus ille plastes est, & architectus sui domicilii, ut Themistius loquitur, qui sibi fabricatur conveniens accommodatumq́; instrumentum: principium nempe divinum & immutabile, quod determinat omnes actiones, & passiones naturales, summa infimis conjungit, & universæ mundanæ œconomiæ dispensationes continet, atq; custodit.

80. Absurdiora, & duriora hæc vulgo φυσιολογοῦσιν *videntur, cùm generatio apud ipsos sit mutatio à non ente ad ens, à potentiâ ad actum, & novam formam priore abolitâ. Verùm enimverò longè iniquius, & sinisterius Hermetis pullis videtur, semen ab illis vocitari non ens, & privatione describi, cùm sit ens nobilissimum, & potentissimum, in quo vita, essentia & robur vigent (sic ex parva glande procera quercus ad circumferentiam expanditur) ex adverso autem entis titulo præ illo insigniri, in quo infirmitas, defectus, morsq́; ipsa inhæret.*

81. Mirabilis invisibilis naturæ cum visibili congruentia, unitatis ac multitudinis differentia, seminum quies & progressio, cumq́; corporibus maritatio, & copulatio, & scientiarum infinitarum explicatio, si ad trutinam mentis exactiorem expendantur, & pulsa caligine in apricum statuantur, insuetas, involutasq́; locutiones satis superq́; excusa-

cusabunt, magnoq́; fœnore compensabunt. Dubitationes autem maximas in animis relictas ad ipsum conflictum collisione ingeniorum mutuâ enucleandas, ac enodandas reservabimus.

82. *Non possum tamen quin coronidis loco perspicuam D. Augustini sententiam nostræ non parum suffragantem huc ascribam, ex l. de civ. Dei:* Insunt, *inquit*, rebus corporeis occultæ seminariæ rationes, quibus cùm data fuerit opportunitas temporalis, & casualis, prorumpunt in species suis modis ac finibus. *Et l. 5. de Gen. c. 4. & 23.* causaliter, potentionaliter, rationabiliter, & primitus insunt, quæ postea tempore evolvuntur, non mole quidem corporis, sed vi potentiæ.

83. *Sed & nostri seculi decantatissimi Philosophi hanc ipsam doctrinam solidè propugnârunt, inter quos excelluerunt recenti memoriâ, Franc. Patritius in l. de novâ universi Philosophiâ,* qui semen actu vivere, sed actu seminali: *& Iul. C. Scaliger, recondita literaturæ vir, in exerc. 6. sect. 5. & seq.* qui semina actu animata esse defendit: *nostrâ autem hac ætate præ aliis Ios. Quercetanus, Med. Reg. Parisiis, in tetrade morborum capital. qui magnum lumen arti Chymicæ intulit: ut & nuper Dn. Daniel Sennertus, Siles. D. & Profess. Medicus Witebergæ eximius, publicis scriptis luculentèr docuerunt, quibus cum malo illucescenti veritati votivam hederam suspendere, & Creatoris bonitati, ac sapientiæ hymnum canere, quàm cum turbulentâ multitudinis turbâ in antiquo errore volutari.*

84. *Galenum denìq; alterum Medicinæ parentem (ne illuminati præceptoris finaliter obliviscamur) à regio veritatis tramite deviâsse mirum non est, cum Empedoclis perverso errore irretitus* τὴν ἐν τῷ σπέρματι ψυχὴν οὐ μόνον οὐκ οὖσαν σοφὴν, ἀλλὰ καὶ παντάπασιν ἄλογον *arbitratus sit. Commendandus tamen est singularis in eo candor; &* φιλομάθεια. *Convictus namq;* ἄνευ σοφωτάτου τε καὶ δυνατωτάτου δημιουργοῦ *opus tam concinnè factum extare non posse, studium summum se in vi formatrice rimandâ posuisse profitetur: cumq́; probabile saltem aliquid, in quo ani-*

 mus

mus satiatus acquiesceret, reperire nequivisset, magnâ se tristitiâ affectum fuisse, nihilq; firmi invenisse eo scripto de fœtus formatione palàm testatur, obtestaturq; omnes sui temporis Philosophos εἴ τι σοφὸν εὑρίσκοιεν, id sine invidiâ secum communicent.

85. *Quem animum verè Philosophicum, & veritatis cupidum, si moderni Philosophi positâ ambitiosa contentionis larva sumerent, & declararent, me Christe, quot & quanta mysteria ex intimis naturæ recessibus quotannis eruerentur, eademq; in Dei gloriam, & mortalium ægrorum salutem erogarentur, & vergerent, quæ invidiosa silentii nocte abstrusa supprimuntur: sed veritas filia temporis quantumvis pressa, non penitus opprimetur, sed tandem aliquando ex Orco Orphei, & puteo Democriti eluctans, inq; altam speculam subvecta prementes opprimet*, opinionum commenta delebit, ac naturæ judicia confirmabit.

✻(*)✻

ELENCHUS

Disputationum Medico-Chymicarum.

FINIS.